UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.l.], 1579

VD16 V 541

urn:nbn:de:hbz:466:1-63204

Visual Library

M. 1 Th. 4833.
31.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANALYSIS METHODICA IVRIS PONTIFICII:

QVA SVB TITVLIS DECRETALIVM antiquarum distinctis quinque libris, succinctè & perspicuè continetur, quicquid in decretalibus, decretis, & toto iure Pontificio sparsim traditur, adiectis singulis titulis proprijs axomatibus & sententijs.

Soc. Jesu Paderborna.

EXPLICANTVR ETIAM PLAnè methodica tractatione omnia iudicia, tam ciuilia, quàm criminalia, & processus iudiciarius ad vsum fori accommodatus, accuratè obseruatis discordantijs iuris Ciuilis & iuris Canonici.

Auctore DANIELE *Venatorio* I C.

MOGVNTIÆ,
Per FRANCISCVM Behem.
ANNO cIↃ. IↃ. LXXIX.
Cum gratia & Priuilegio Sac. Cæs. Maiest.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PRÆSVLI AC DOMINO, D. DANIELI, SANCTAE MOGVNTINAE Sedis Archiepiscopo, sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, Domino suo clementissimo: Nec non

Reuerendis, Generosis, Nobilibus, ac Magnificis Dominis, D. metropolit. Ecclesiæ Mogunt. Prælatis, & Canonicis Capitularibus, Dominis suis, debita obseruantia colendis.

PLATO, QVEM DIVINVM *appellarunt, Reuerendißime Præsul, ac Princeps et Elector illustrißime, Patresque Reuerẽdi, Viri amplißimi, humanũ animum ex mente diuina decerptum, cum alio nullo, nisi cum Deo (si hoc fas est dictu) comparari posse, qui si excultus, & eius acies ita curata est, vt ne cæcetur erroribus, fieri perfectam mentem, id est, absolutam, & cum virtute conuenientem rationem, existimauit. Cauendum igitur summa industria, ne animus rebus se indignis, quibus eius nobilitas, excellentia, diuinitas cõtaminari violariq; possit, applicetur, rebusq; per-*

peram intellectis locus detur erroribus, in quos natura hominis propensa est, & ob rerum varietatem, obscuritatem, perplexitatemq; facilè labitur. Quæ sanè vitabūtur, cùm: si res excellentissimæ, quibus contemplandis, intelligendisq; animus oblectatur, deligantur. ingenij enim humani, naturale quoddam pabulum est, consideratio, contemplatioq; rerum præstantissimarum, quæ honestatem, mirandumq; suauitatē vitæ afferunt tum: si certo iustoq; ordine & compendiaria via, reiecta confusione, explicata perplexitate, & declarata obscuritate proponantur. Siquidem Intellectus, cùm non multiplicis & varij obiecti simul capax, sed speciosa similitudine rerum ordinata quadam serie foris oblata, vt alatur, iuxta Aristotelis approbatam sententiam, necessarium sit: Nihil est: quod in disciplinis percipiendis captui humano conuenientius sit, maiusq; afferat subsidium quàm si plana & methodica ratione omnia, quibus ipsa disciplina continetur, tradantur. Hac enim traditione ratio intelligens quasi conuenienti nutrimento refocillatur, alitur, delectatur, confirmatur: & omnia quasi certis distinctisq; locis comprehensa benignius apprehendit. Quæ tradendi ratio, quantopere in disciplinā legum, sine quibus (vt ait Cic.) nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec ipse mundus potest, satis superq; testatur Imperator Iustinianus tit. C. de vtre veteri enucleando, et Franciscus Duarenus, Marthæus Gribaldus, Claudius Cantiuncula, alijq; viri celeberrimi, qui integra volumina de ratione legalis studij publicè diuulgarunt. Vt igitur nitor legum: non tantùm, repurgata omni obscuritatis confusionisq; face conseruetur, verùm

etiam

etiam clarius splendescat, sanctitasq; eluceat, & maiori auiditate cupida legum iuuentus ciuilem sapientiam, (quæ ab Vlp. sanctissima res dicitur) complectatur, quã plurimi Iuris interpretes fuerunt: qui methodica planè & vtili tractatione, confusè iure ciuili traditas leges explanarunt, pauciores iuris Pontificij methodici extiterunt Commentatores. quamuis maior confusio rerum, quarum præstantia planam tractandi rationem flagitat, cuilibet legenti sese offerat. Hinc euenit, vt adolescentes iuris studio addicti, ob Canonum perplexitatem, obscuritatem, confusionem, varietatem, transpositionem, iuris Pontificij lectionem non modò fastidiant, verùm etiam nescio, quo materiæ insertæ prætextu aspernentur. Et hoc meo iudicio non absq; magno studiorum, & profectus sui impedimento, multo scilicet aliud tam necessitate quàm vtilitate iuris suadentibus. Cùm enim deficiente Ciuili lege, dispositio Canonum sit attendenda, à rationis paritate, similibus, disseparatis, contrarijs, & alijs, iuxta vulgatam & approbatam Doctorum opinionem inde ducantur argumenta, multoq; planiùs, & ad vsum fori accommodatiùs, iudiciarius processus, aliaq; ad processum requisita pertinentia, Pontificio iure, quàm ciuili tradantur, omnes Practicæ obseruationes, & traditiones, quæ his temporibus ad prouehendum conatum adolescentum, animum ad Praxin applicantium, à viris doctissimis, & in causis forensibus versatis, in publicu emittuntur, textibus ex iure Pontificio potissimùm depromptis declarantur, fieri non potest: vt fonte fideliter nõ degustato, vnde declaratio petenda: neglecto hoc Ciceronis lib. 2. de Inuent. in studijs: si varietas rerũ non æquè præ-

stantium sese offerat, eligendum esse, quod commodissimum, aliquid præparati iudicij, ad agendas causas forenses afferant, solidamq; iuris cognitionem, quæ ipsis praxi exercendæ multùm prodesse posset, opera nō rectè collocata consequantur. Cùm igitur (Illustrissime Princeps, Patresq; Reuerendi) vtilitatem necessitatemq; legalis studij lectionem Canonum suadere intellexissem, plus satis perlegendis, examinandisq; Canonibus operam nauaui, quamlibet materiā iuris Pontificij voluminibus hinc inde dispersam sigillatim sub Titulis Decretaliū, in certos locos memoriæ confirmandæ gratia digerere elaboraui. Et licet cum ijs qui desperatione debilitati, experiri id volūt, quod se assequi posse diffidunt, amplitudo difficultasq; rei crebriùs me ab incepto retraherent, tamen spes compensandi cum laboribus eam quam ex discendo capturus essem vtilitatem, in continuatione assidua propositi studij me continuit. Quem huic Operi conficiundo impensum labo rem, cùm non tantùm mihi in materijs difficultate obscuris, & quotidiana praxi vsitatis intelligendis, memoriæq; figendis proficere, verùm etiam iudicio celeberrimorū, iurisq; peritia præstantissimorum virorum, studiosæ iuuentuti vtilem fore comperissem, illudq; Analyticum opus, vt prælis commissum iuuentuti cōmunicaretur, amicè admonitus essem: quamuis multos celebres viros, qui hæc doctiùs, magisq; politè, quàm à me congesta sint, tradere posse non ignorem, eorum tamen consilio et hortationi morem gerere volui. Nō enim in poetis Homero soli locus est, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro. Nec verò Aristotelem in philosophia deterruit à scribendo amplitudo Platonis, nec ipse Aristoteles

ſtoteles (vt ait Cic.) admirabili quadam ſcientia cæterorum ſtudia reſtinxit: nec opifices quidem ſe artibus ſuis remouerunt, qui aut Ia-lyſi non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari, &c. Non igitur hæc opinio me deterrere, ſed ſufficere debuit præſtantiſſimorum virorum authoritas, quorum conſilio perſuaſus, & veſtra humanitate ac clementia, qua omnes complectimini, fretus, ea quæ iure Pontificio confusè tradita ſunt, diſtinctis locis, & ſuccinctè comprehenſa, iuuenilis conatus adiuuandi cauſa typis dare, æternitatiq; veſtræ Ill.C. & R.P. conſecrare non erubui. Et ad hoc me non leues cauſæ impulerunt Cùm enim veſtra Ill.C. & R.P. præeminenti dignitatis poteſtate, cui Deus Opt. Max. adminiſtrationem iuſtitiæ, ob conſeruationem ſocietatis humanæ, commiſit, præfulgeant, habitaq; diſcretione officiorũ, cuiuis dignitati deſtinatorũ iuriſdictiones competentes exerceant, & certam harmoniam corporis, apta compoſitione membrorũ vniti, referant. cuius Tu, Illuſtriſſime Princeps, caput diuinitùs conſtitutũ, vos autẽ membra, in gubernandis regendisq; fidei & ſyncéritati veſtræ concreditis ſubditis, nõ tantùm imperando, ſed etiã parendo (nã ad gubernationem totius corporis, nec manus capiti, vbi præſidet ratio, reſiſtere debet) cũ imperio, authoritate, & obediẽtia officia mutua vobismetipſis præſtatis, nemini cõuenientiùs quàm veſtræ Ill.C. et R.P. hæ meæ primitiæ offerri debuerũt. Primò quidẽ, quia hæc analytica tractatio totius huius corporis, cuius partes inſtar corporis humani cũ quodã quaſi lepore (vt dixi) cõſentiunt, declarationẽ, deſcriptionẽq; planè methodicã cõplectitur, enarrandisq; et declarandis dignitatibus, officijs, poteſta-

tibus, iuribusq; vestris consumitur. Deinde cùm hæc sint præstantißima, operæpretium fuit, vt ad sui tuitionem hæc editio proprios dignosq; nanciscatur patronos, non tantùm nobilitate claros, authoritate graues, & pietate religioſos, verùm etiã præpollenti dignitate præeminentes. Accedit cùm patria omnium nostrûm communis sit parens, cui nos primùm natura conciliat, & vt Plato ad Archytam scribit: præcipua vitæ nostræ pars exigua nobis relicta debetur, ego vt quandã significationem amoris erga patriam, nec non grati & propenſißimi animi & obseruantiæ, ad quæ me, vt filium patriæ vestræ Ill. C. & R. P. qui eius gubernacula prouidentia quadam diuina tenetis, obstrictũ fateor, testarer, nõ immeritò omnibus alijs, in dedicatione huius operis à me præferri debuistis. Quamobrem humiliter & officiosè rogo, vt hanc meam opellam, voluntatemq; gratificandi studioſæ iuuentuti boni æquiq; consulatis, meq; sub clientela vestra benignè et clementer esse patiamini. Quòd si sensero, vbe res fructus adhibitæ diligentiæ me percepisse iudicabo, vestræq; Ill. C. & R. P. beneuolentia & liberalitate incitatus, multò alacriùs quantum sat erit, debita obseruantia breui plura dabo Quos Deus Opt. Max. incolumes florentesq; quàm diutißimè esse velit, precor, Moguntiæ ❧ Calend. Februarij, Anno salutis M. D. LXXIX.

Vestræ Ill. C. & R. P.

subiectißimus & obseruantißimus

Daniel Venatorius D.

TITVLORVM QVINQVE LIBRORVM DECRETALIVM GREGORII INDEX ALPHABETICVS,

AFFIXO NVMERO LIBRORVM ET paginarum; vbi cuiusuis horum inuenienda Analysis.

A.

Accusationibus, Inquisitionibus, & Denunciationibus. lib. 5. tit. 1. pag. 878
Adulterijs & stupro. lib. 5. tit. 16. p. 947
Aetate & qualitate & ordine præficiendorum. lib. 1. tit. 24. pag. 100
Alienatione iudicij mutandi caussa facta. lib. 1. tit. 42. pag. 222
Appellationibus, Recusationibus, &c. lib. 2. tit. 28. pag. 479
Apostatis & reiterantibus Baptisma. lib. 5. tit. 9. p. 931
Arbitris. lib. 1. tit. 43. pag. 226
Auctoritate & vsu Pallij. lib. 1. tit. 21. pag. 70

B.

Baptismo, & eius effectu. lib. 3. tit. 42. p. 755
Bigamis non ordinandis. lib. 1. tit. 21. p. 122

C.

Calumniatoribus. lib. 5. tit. 2. p. 895
Capellis Monachorum, &c. lib. 3. tit. 37. p. 729
Caussa possessionis & proprietatis. lib. 2. tit. 12. p. 814
Celebratione Missarum & Sacramento Eucharistiæ, & diuinis Officijs. lib. 2. tit. 41. p. 748
Censibus, Exactionibus & Procurationibus. lib. 3. tit. 39. p. 736
Clandestina desponsatione. lib. 4. tit. 3. p. 801
Clericis peregrinis. lib 1. tit. 22. p. 128
Clericis peregrinantibus. lib. 2. tit. 29. p. 533

Coniugatis clericis. lib.3.tit.3 p. 450
Clericis non residentibus in ecclesia vel præbenda. lib.3. tit.4. pag. 559
Clericis pugnantibus in duello lib.5.tit.14.p. 945
Clerico ægrotante, vel debilitato.lib.3. tit.6 p. 572
Clerico venatore.lib.5.tit.24.p. 1006
Clerico percussore.lib.5.tit.25.p.
Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. lib.5.tit.27.p. 1018
Clerico non ordinato ministrante.lib.5.tit.28.p. 1019
Clerico per saltum promoto.lib.5. tit.29.p. 1020
Cognatione spirituali. lib.4.tit. 11.p. 816
Cognatione legali.lib.4.tit.12.p. 818
Cohabitatione clericorum & mulierum. lib.3.tit.2.p. 546
Collusione detegenda, lib.5.tit.22.p.
Commodato.lib. 3.tit.15.p. 609
Concessione præbendarum & ecclesiæ non vacantis. lib.1.tit.8. pag. 579
Conditionibus appositis in desponsatione, vt in alijs contractibus. lib.4.tit.5.p. 707
Confessis.lib.2.tit.18.p. 349
Confirmatione vtili vel inutili.lib.2.tit.30.p. 534
Coniugio leprosorum.lib.4.tit.8 p. 814
Coniugio seruorum.lib. 4.tit.9.p. 815
Consanguinitate & affinitate.lib.4.tit.14.p. 824
Consecratione ecclesiæ, vel altaris.lib.3.tit.40. p. 746
Constitutionibus. lib.1.tit.2.p. 15
Consuetudine.lib. 1.tit.4.p. 24
Conuersione coniugatorum.lib.3.tit.32.p. 708
Conuersione infidelium.lib.3.tit.33.p. 712
Corpore vitiatis ordinandis, vel non. lib.1.tit.20.p. 119
Crimine falsi.lib.5.tit.20.p. 980
Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum. lib.3.tit.44.p. 763

D.

DEcimis, primitijs, & oblationibus. lib.3.tit.30.p. 692
Delictis puerorum. lib.5.tit.23.p. 1004

Depo-

Depoſito. lib. 2. tit. 16. p. 612
De deſponſatione impuberum. lib. 3. tit. 2. p. 798
Digamis lib. 1. tit. 21. p. 122
Dilationibus lib. 2. tit. 8 p. 300
Diuortijs. lib. 4. tit. 19. p. 857
Dolo & contumacia. lib. 2. tit. 14. p. 325
donationibus. lib. 3. tit. 24. p. 664
Donationibus inter virum & vxorem. Et de dote poſt Diuortium reſtituenda. lib. 4. tit. 20. p. 869

E.

Eccleſijs ædificandis, vel reparandis. lib. 3. tit. 48. p. 766
Electione, & electi poteſtate lib. 1. tit. 6. p. 25
Emptione & venditione. lib. 3. tit. 17. p. 615
Eo, qui mittitur in poſſeßionem cauſa rei ſeruandæ. lib. 2. tit. 15. pag. 338
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. lib. 4. tit. 7. p. 13
Eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, vel ſponſæ. lib. 3. tit. 23. p. 821
Eo, qui Ordinem furtiuè ſuſcepit. lib. 5. tit. 30. p. 1020
Exceptionibus lib. 2. tit. 25. p. 424
Exceßibus prælatorum & ſubditorum. lib. 5. tit. 31. p. 1021

F.

Ferijs. lib. 2. tit. 9. p. 306
Feudis. lib. 3. tit. 20. p. 638
Fide inſtrumentorum. lib. 2. tit. 22. p. 394
Fideiuſſoribus lib. 3. tit. 22. p. 652
Filijs preſbyterorum ordinandis, vel non. lib. 1. tit. 17. p. 107
Foro competenti. lib. 2. tit. 2 p. 247
Frigidis & maleficiatis, &c. lib. 4. tit. 15. p. 840
Furtis. lib. 5. tit. 18 p. 964

H.

Hæreticis. lib 5. tit. 7 p. 921
His quæ vi metus ue cauſa fiunt. lib. 1. tit. 40. p. 208
His quæ fiunt à Prælatis, ſine conſenſu capituli. lib. 3. tit. 10. p. 595
His quæ fiunt à maiore parte Capituli. lib. 3. tit. 11. p. 596

His

His qui filios occiderunt. lib. 5. tit. 10. p. 938
Homicidio voluntario vel casuali. lib. 5. tit. 12. p. 973

I.

Immunitate ecclesiarum, cœmeterij & rerũ ad eas pertinentium. lib. 3. tit. 49. p. 767
Infantibus & languidis expositis. lib. 5. tit. 11. p. 935
In integrum restitutione. lib. 1. tit. 41. p. 215
Iniurijs & damno dato. lib. 5. tit. 36. p. 1035
Institutionibus. lib. 3. tit. 7. p. 574
Iudæis & Sarracenis & eorum seruis. lib. 5. tit. 6. p. 918
Iudicijs. lib. 2. tit. 1. p. 234
Iuramento calumniæ. lib. 2. tit. 7. p. 288
Iureiurando lib. 2. tit. 24. p. 413
Iure Patronatus. lib. 3. tit. 38. p. 729

L.

Libelli oblatione. lib. 2. tit. 3. p. 257
Litis contestatione. lib. 2. tit. 5. p. 270
Locato & conducto. lib. 3. tit. 18. p. 627

M.

Magistris: Et ne aliquid exigatur pro licentia docendi. lib. 5. tit. 5. p. 916
Maioritate & obedientia. lib. 1. tit. 33. p. 156
Maledicis. lib. 5. tit. 26. p. 1011
Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. lib. 3. tit. 16. pag. 845
Mutuis petitionibus. lib. 2. tit. 4. p. 265

N.

Natis ex libero ventre. lib. 4. tit. 10. p. 816
Ne clerici, vel monachi secularibus se immisceant. lib. 3. tit. 50. p. 776
Ne prælati vices suas vt ecclesias, sub annuo censu concedant. lib. 5. tit. 4. p. 912
Ne sede vacante aliquid innouetur. lib. 3. tit. 9. p. 592
Noui operis nunciatione. lib. 5. tit. 32. p. 1022

O.

Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. lib. 1. tit. 19. p. 117

Obserua-

Observatione ieiuniorum, lib. 2. tit. 46. p. 764
Officio Archidiaconi. lib. 1. tit. 23. p. 124
Officio Archipresbyteri. lib. 1. tit. 24. p. 125
Officio Primicerij. lib. 1. tit. 25. p. 126
Officio Sacristæ. lib. 1. tit. 26. p. 127
Officio Custodis. lib. 1. tit. 27. p. 127
Officio Vicarij. lib. 1. tit. 28. p. 128
Officio & potestate iudicis delegati. lib. 1. tit. 9. p. 133
Officio Legati. lib. 1. tit. 30. p. 144
Officio iudicis ordinarij. lib. 1. tit. 32 p. 148
Officio iudicis. lib. 1. tit. 32. p. 132
Ordinatis ab Episcopo, qui renũciauit Episcopatui. l. 1. tit. 13. p. 99
Ordine cognitionum. lib. 2. tit. 10 p. 309

P.

Actis. lib. 1. tit. 25. p. 762
Paræcijs & alienis paræcianis. lib. 2. tit. 29. p. 689
Peculio clericorum. lib. 3 tit. 25. p. 669
Pœnis. lib. 5. tit. 37. p. 972
Pœnitentijs & remissionibus. lib. 5. tit. 38. p. 1051
Pignoribus & alijs cautionibus. lib. 3. tit. 21. p. 645
Plus petitionibus. lib. 2. tit. 11. p. 311
Postulando. lib. 1. tit. 37. p. 180
Postulatione prælatorum. lib. 1. tit. 5 p. 47
Præbendis & dignitatibus. lib. 4. tit. 5 p. 565
Precarijs. lib. 4. tit. 14. p. 604
Presbytero non baptizato. lib. 3. tit. 43. p. 762
Præscriptionibus lib. 2 tit. 26 p. 443
Præsumptionibus lib. 2. tit. 23. p. 406
Priuilegijs & excessibus priuilegiatorum. lib. 5. tit. 33. p. 1025
Probationibus. lib. 2. tit. 19. p. 535
Procuratoribus. lib. 1. tit. 38. p. 186
Purgatione canonica. lib. 5 tit. 34. p. 1029
Purgatione vulgari. lib. 5. tit. 35. p. 1032
Purificatione post partum. lib. 3. tit. 47 p. 766

Q.

QVI clerici vt vouẽtes matrimonium contrahere possunt. lib. 4. tit. 6. p. 811

Qui

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. lib.1.tit.18.p. 852
Qui filij sint legitimi.lib.4.tit.17 p. 844

R.

Raptoribus,incendiarijs,et violatoribus ecclesiarum,lib. 5.tit. 17.p.
Rebus ecclesiæ alienandis,vel non.lib.3.tit.13.p. 598
Regularibus & transeuntibus ad religionem.lib.3.tit.31.p. 703
Religiosis domibus,vt Episcopis sint subiectæ,lib.3.tit.36.p. 727
Reliquijs & veneratione Sanctorum.lib.3.tit.45.p. 763
Renunciatione.lib.1.tit.9.p. 74
Rerum permutatione.lib.3.tit.19 p. 632
Rescriptis.lib.1.tit.3.p. 26
Restitutione spoliatorum lib.2.tit.13.p. 320

S.

Sacramentis non reiterandis. lib.1.tit.16.p. 106
Sacra vnctione.lib.1.tit.15 p. 104
Sagittarijs,lib.5. tit.15.p. 947
Schismaticis.lib.5.tit.8.p. 928
Scrutinio in ordine faciendo.lib.1.tit. 12.p. 96
Secundis nuptijs. lib.4.tit.21.p. 876
Sententia & re iudicata.lib.2.tit.28.p. 457
Sententia excommunicationis.lib.5.tit.39.p. 1056
Sepulturis.lib.3.tit.8.p. 681
Sequestratione possessionum & fructuum.lib.2.tit.17.p. 344
Seruis non ordinandis,&c.lib.1.tit.18.p. 113
Simonia & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.lib.5.tit.3.p.
Solutionibus.lib.3.tit.23.p. 659
Sortilegijs.lib.5.tit.21.p. 991
Sponsalibus & matrimonijs lib.4.tit.1.p. 778
Sponsa duorum.lib.4.tit.4.p. 806
Statu Monachorum,&c.lib.3.tit.35.p. 721
Successionibus ab intestato. lib.3.tit.27.p. 679
Summa Trinitate,& fide Catholica.lib.1.tit.1.p. 7

Supplenda negligentia prælatorum. lib. 1. tit. 10. p. 28
Syndico & Actore. lib. 1. tit. 39. p. 203

T.

Temporibus ordinationum, &c. lib. 1. tit. 11. p. 86
Testamentis & vltimis voluntatibus. lib. 3. tit. 26. p. 671
Testibus & attestationibus. lib. 2. tit. 20. p. 566
Testibus cogendis vel non. lib. 2. tit. 21. p. 398
Torneamentis. lib. 5. tit. 13. p. 944
Transactionibus. lib. 1. tit. 36. p. 178
Translatione Episcopi. lib. 1. tit. 66. p. 7
Treuga & pace. lib. 1. tit. 34. p. 159

V.

Verborum significatione. lib. 5. tit. 40. p.
Vita & honestate Clericorum. lib. 3. tit. 1. p. 538
Voto & voti redemptione. lib. 3. tit. 34. p. 614
Vsuris. lib. 5. tit. 19. p. 972
Vt ecclesiastica in beneficia sine deminutione conferantur. lib. 3. tit. 12. p. 597
Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vt ad sententiam definitiuam. lib. 2. tit. 6. p. 277
Vt lite pendente nihil innouetur. lib. 2. tit. 16. p. 345

ANALYSIS METHODICA IVRIS PONTIFICII.

LIBER PRIMVS.

De iure Canonico.

HVMANVM genus diuinis humanisq; regitur legibus, c. humanum, dist. 1. Hę moribus, illę natura cõstant, c. omnes, eod. à quibus constitutiones omnesq; leges tã Canonici quàm Ciuilis iuris, varijs voluminibus dispersæ promanârunt, per tot. dist. 1. Quod enim religioni conuenire, disciplinæ congruere, communique omnium saluti proficere naturâ receptum, moribusq; probatũ est, hoc in omnem perpetuitatem valituræ constitutionis loco; nisi necessitatis, vtilitatis, honestatisq; aliqua ratio abrogationem suaserit, promulgatione institutum, vtentium approbatione firmatum, monumentisq; solertia celeberrimorum virorum traditũ est. c. Cõsuetudo, dist. 1. c. Inritis, dist. 4. Sic Ecclesiasticæ constitutiones quæ canonum nomine censentur, c. 1. dist. 2. à tẽporibus Constantini Imperatoris, qui primùm Christianis liberè congregandi facultatem concessit, c. canones, dist. 15. celebratis Patrum concilijs, decretisq; Pontificum eò vsq; excreuerunt, vt Pontifices, inutilibus sublatis, certis voluminibus vni nomini iuris Canonici subnixis, cum

sanctione religiosæ obseruationis, non tantùm in foro ecclesiastico, verùm etiam seculari deficiente Ciuili lege, eas complecti summa industria curauerint. Vnde patet, ius Canonicum ita rectè definiri posse.

Quid est Ius Canonicum?

Ius Canonicum est, quod decretis Põtificum, statutisq; Conciliorum, tam generalium, quàm prouincialium constat, normam rectè viuendi ostendens, c.3.dist.1.

Vnde dictum ius Canonicum?

Dictum à Canone, Græco vocabulo, quod Latinè Regula, eò quòd rectè ducat, nec aliquem aliorsum trahat, imò, quod distortum prauumq; est corrigat, dicitur, d.c.3.c.2.dist.1.

Quot sunt partes huius Iuris?

Partes duæ principaliter sunt: Decreta & Decretales.

Quid Decreta?

Decreta sunt, Ecclesiasticæ constitutiones à summo Pontifice, adhibito consilio Cardinalium & Episcoporum, ad nullius petitionem vel consultationem factæ, 3.q.1.c.generali.

Quot sunt partes Decretorum?

Partes Decretorum sunt tres: Prima continet 101.distinctiones. Secunda compræhẽdit causas 36.cui tractatus de Pœnitentia est insertus. Tertia consecrationem eiusq; species quinq; distinctionibus declaratas compræhendit.

Quid Decretales?

Decretales sunt, Epistolæ & canonicæ scripturæ vim

vim authoritatis habẽtes, quas vel ſummus Põtifex ſolus, vel ex concilio Cardinalium, aliquo interpellante, cõſtituit, gloſ. in c, omnes, 3. diſt. c. 1. extr. de reſcrip. c. bonæ memoriæ, extr. de elect. c. in canonicis, diſt. 19.

Quot ſunt partes Decretalium?

Continentur Decretales diſtinctis quinque libris Decretalium antiquarum, ſexto Decretalium & Clemẽtinarum annexis Extrauagãtibus. Quorum primus & tertius ritus & cæremonias Eccleſiaſticas: ſecundus autem, pars primi & tertij: quartus & quintus iudicialẽ proceſſum, cauſas forenſes, contractus, vltimas voluntates, & criminalia potiſsimùm tractant.

Quæ cauſa efficiens iuris Canonici?

Cauſa efficiens, ſi primam originem ſpectes, eſt ipſe Deus, qui cõditor omnis legiſlationis eſt, legis diuinæ atque naturę, quas Eccleſiaſtica conſtitutio complectitur, & ordinata ſerie cõſequitur, auctor & effector. Diuinæ enim leges cùm natura conſtent, legem naturæ imitantur, cuius notitias Deus in creatione humani generis omniũ mentibus inſeuit inſculpſitq; , vt honeſta à turpib⁹ diſcernere, mores in hac politica vita ritè informare, omnesq; noſtras actiones in cognitionem Dei, vt ſalutarem finem, ſummumq; bonũ, & mandatorum gratum obſequium rectà dirigere poſsimus. Quin & Paulus Apoſtolus legem naturæ eſſe notitiam & partem legis diuinæ hominis naturæ inſitam teſtatur, Rom. 1. & 2. cùm ait, eam eſſe ius Dei & opus legis ſcriptum in cordibus quod Deus nobis oſtendit. Et Ethnici ſuas

leges originem à Deo traxisse crediderunt; vt Sophocles, Plato, & alij. Cicero 2. de legibus: Hanc video, inquit, sapientissimorum fuisse sententiam, legem nõ hominum ingenijs excogitatum, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternũ quiddam. & alia, quæ sequuntur.

Causa efficiens magis propinqua: Sunt 4. Cõcilia generalia, scilicet, Nicęnum, Constantinopolitanum, Ephæsinum, Calcedonẽse, c. sicut, dist. 15. Summi Pontifices iunctis Cardinalibus & Episcopis, c. sunt quidam 25. q. 1. c. inter alia extr. de sententijs excom. Decretales enim antiquæ à Gregorio nono suisq; antecessoribus, vt inter canonicas scripturas connumerẽtur, vimqúe auctoritatis haberent factæ, concinnatæqúe sunt, c. in canonicis, dist. 19. & procemio decret. antiquorum.

Quas ipse Gregorius quinque libris decretalium nomine editis, certa quadam titulorum serie obseruata, redegit. Bonifacius octauus sextũ Decretalium in concilio Lugdunensi, contrarietatibus sublatis, superuacaneisq; resecatis, quæ inter varia Pontificum decreta abundare videbantur composuit. Accesserunt Clemẽtinę à Clemente Quinto, in concilio Viennensi: & Extrauagantes à Ioanne 22. compilatæ. Collegit etiã Gratianus ex Concilijs & scriptis Doctorum Ecclesiæ librum decretorum in tres partes distinctũ, quem Eugenius tertius approbauit publicisqúe Gymnasijs legendum concessit: in vita Grat.

Quod Obiectum?

Obiectum Iuris Canonici secundùm Ioannẽ de

de Immo. in proœmio ad decretal. eſt res Eccleſiaſtica. Licet hoc iure de perſonis Eccleſiaſticis, officijs, contractibus, iudicijs, vltimis voluntatibus, & ſimilibus agatur: omnia tamen circa acquiſitionem, retentionem, cõſeruationem, alienationẽ rerum Eccleſiaſticarũ, vitam, moresq; ſecundùm præſcriptum Eccleſiæ in diuinis miniſterijs, alijsq; ſacris adminiſtrandis rectè inſtituendos verſantur.

Quæ Forma?

Diſpoſitio & ſeries titulorum, quæ in decretalibus antiquis, ſexto & Clemẽtinis ferè eadem eſt; niſi quòd in antiquis numero plures, & ſubiecta materia auctiores tituli, quàm in alijs ponantur. Liber autem decretorũ Gratiani farraginẽ quandam multarum ſententiarum & dictorum Patrum inordinata ſerie compræhendit.

Quis Finis & Effectus?

Finis & effectus ſunt, primò, agnitio Dei, in qua ſumma perfectio & beatitudo humanæ naturæ conſiſtit: ſecundò, diuini cultus, ſecundùm veterum Patrum præſcriptum, rectè inſtituendi noticia: tertiò, ſtatus religionis & Reipublicę conſeruatio: quartò, honeſta à turpibus, æquum ab iniquo diſcernendi cognitio: quintò, quoad leges diuinas, quę natura conſtare dicuntur, ſparſim iuri Canonico inſertas, ſicuti & iuris Naturalis immutabilitas: ſextò, ſalus populi Chriſtiani, ad quam legum latores ſuas leges tanquam ſcopum referunt. Etiam huius operis finis rectè conſtituitur, vt abſque moleſtatione, & iniurijs hoſtium Eccleſię tranquilliùs vitã traducamus,

& post eam beatitudinem cum sanctis, in omne æuum perfruendam consequamur.

Quæ Cognata?

Cognata iuris canonici sunt, Theologia, Philosophia moralis, æquitas, ius naturale, ius Ciuile, lex Mosaica. Conuenit enim cum Theologia, & iure Ciuili, quoad diuinas humanasqúe leges, quas complectitur, Abb. c. quomodo & quando, extr. de accusat. Cum Philosophia morali, secũdùm mores rectè formandos. Cum æquitate & iure naturali, quia omne quod fas est nomine diuinæ, vel naturalis legis accipitur, c. omnes, dist. 1. Cum lege Mosaica conuenit, quoad ritus in sacris à populo Dei obseruandos. & quia ius constitutiõis, à iustificationibus, quas Dominus tradidit Moysi, cœpisse dicitur, c. ius autem, dist. 7. & c. non est, dist. 6.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, Theologia, lectio Patrum, legitima ætas, diuina gratia, veritas, falsitas.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, omnia decreta omnium gentium, quæ à norma Decalogi, lege naturæ, rectæqúe rationis dictamine longiùs recedũt, quibus superstitiones idololatricæ, hæreses, vel schismata, vel tyrannis, vel vagæ libidines inducuntur & stabiliuntur.

DE

DE SVMMA TRINITATE, & Fide Catholica. Titulus I.

Continuatio.

CVm iure Canonico potiſsimùm de rebus diuinis & Eccleſiaſticis, quæ non tã iuris, quã religionis ſunt, agatur: religio aũt conſtantia fidei, cuius principiũ ſanctiſsimum eſt ſumma Trinitas, vt firmo fundamento nitatur, ſuadet dignitatis, doctrinęq; ratio, ſummę, ſanctiſsimæq; Trinitatis, & circa eã verſantis fidei Catholicæ declarationem principali loco collocare.

Quid eſt Trinitas?

Firmiter credimus, inquit Innoc. III. & ſimpliciter cõfitemur, Trinitatẽ, quę eſt vnus ſolus Deus verus, æternus, immenſus, incõmutabilis, incõprehẽſibilis, ômnipotẽs, ineffabilis, pater, & filius, & ſpiritus S. tres quidẽ pſonæ, ſed vna eſsẽtia, ſubſtãtia, ſeu natura ſimplex, c. 1. extr. eo. in prin.

Quæ Cauſa?

Deus ſolus eſt cauſa cauſarũ: Pater quidẽ omnibus q̃ ſunt, vt eſſent, dedit, & ipſe, quod eſt, à nemine accepit; principiũ. n. eſt deitatis, qui, ſicut nunquã fuit nõ Deus, ita nunquã fuit nõ pater, Aug. de trin. & vnit. Dei, ca. 2. & lib. de Eccl. dogma. cap. 1. Filius aũtem neq; creatus eſt, neq; ab alio eſſe cœpit, ſed fuit à principio vnà cum patre, Ioan. 1. Verùm quia ſcriptura Chriſtum filiũ appellat, ideò reſpectu patris, ad diſcernendas perſonas & officia, patrem illius cauſam, omni humano cogitatu depoſito, eſſe intelligimus. Demum ſpiritus ſanctus, reſpectu exiſtentiæ, nõ habet cauſam, q̃a à principio exiſtit cũ patre & filio

filio æternus Deus, respectu verò processionis dicuntur pater & filius quodammodò eius causæ. nam spiritus legitur à patre & filio procedere, Ioan. 25. Et hoc est quod Innocẽti⁹ III. exprimit his verbis: Tres quidem personæ consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæterni: pater à nullo, filius à patre solo, ac spiritus sanctus pariter ab vtroque, absque initio, semper ac sine fine. pater generans, filius nascens, & spiritus sanctus procedens, d.c.1.eod.

Quæ Forma?

Quòd pater, filius, & spiritus sanctus, vera vnione non collectiua seu similitudinaria sint vna essentia, substantia seu natura diuina, quæ tamen secundùm personales proprietates discreta sit, id est, proprietatibus & actibus, non substantiæ, sed personę attributis, differat. Est enim generans genita & procedẽs, quę diuina essentia appellatur, & est De⁹, ęternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapiẽtia, bonitas, creator & conseruator omnium rerum, visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium, c. damnamus, & d.c.1.ext.eod.

Qui Effectus?

Creatio omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium, eorumq; quę creata sunt dilectio, & conseruatio. esse enim ęternã Dei potentiã ac diuinitatẽ, nihil aliud est, quàm Deum inęternum creare, gubernare & cõseruare creata; vt in Actis scriptum est: in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Officia aũt ita distinguuntur: Patris est creare, fouere, curã habere, corrigę vt seruet suos, & diligere, diligit aũt, quia seruat,

uat,seruat,qa fecit ea:Filij est saluũ facere populũ,à peccatis,iustificare,satisfacere,&esse propitiatorẽ pro peccatis,esse mediatorẽ,&pacẽ nostrã, solũ pastorem,& P õtificem suę Ecclesiæ, sacerdotem,&Pontificẽ in ęternum,regem,ducem,& dominum super populũ Dei:Spiritus sancti officium est,confirmare conscięntias,de veritate Dei, & hæreditate in Christo accepta,illuminare,sanctificare,& conseruare in veritate,declarare,glorificare Christum,donare Ecclesiam omni genere donorum, efficere,vt omnis generis bonorũ operum abundemus,Ioan.7.14.15.& 16.cap.

Quid Fides?

Fides,licet varijs modis accipiatur,hic tamen pro credulitate earum rerũ,in quib.salus, vitęq; nostræ redemptio consistit,accipitur.& est secũdùm Paulũ in Epist.ad Heb.ca.11. substantia rerum sperandarum,argumentũ non apparentiũ.

Quæ causa efficiens?

Causa efficiens fidei est Deus ipse.Clem.fidei, eod.tit.fidẽ enim donũ diuinum esse docuit Apostolus in Epist.ad Ephes.cap.2. Gratia (inquit) estis saluati per fidem,& hoc non ex vobis; Dei enim donum est,& 1.ad Corin. cap.12.

Quæ causa impulsiua?

Ipsum verbum quod mouet corda ad credendũ.Vnde dicitur: fides ex auditu est, auditus verò per verbum Dei,ad Rom.10.& in pœnitentia cognoscitur peccatum, cognitio verò peccati occasionem præbet accedendi medicum salutarẽ, id est Christũ,qui fide apprænensus remittit peccata, pars aũt verbi vel Euangelij est pœnitẽtia.

Quæ Materia?

Materia fidei est summa & sanctissima Trinitas, Deus Vnus in natura, & Trinus in personis, Christus seruator noster Deꝰ & homo: Ecclesia, eiusq; sanctissima sacramenta: ac demũ omnia, quę nobis in symbolo Apostolico credẽda proponuntur, quæ perspicuè habentur in c. firmiter, ext. eod. c. per totũ, 24. q. Clem. fidei catholicæ, eod. c. 1. in 6. eod. l. 1. & l. inter claras, C. eod.

Quæ Forma?

Forma est credulitas rerũ diuinarum pręsentium & pręteritarũ, q̃ nec humano sensu, vel intellectu cõphendi possunt cũ fiducia in promissiones de Christo. Vnde Aug. tract. 4. in Ioan. Fides est virtus, qua credũtur ea, quæ nõ vides. Et Paul. ad Heb. definit fidem, esse expectationẽ seu affectum in promisiones Dei. Et in Abrahamo, ad Rom. 4. ait, verũ ob promisionẽ Dei non hęsitabat ob credulitatẽ, sed robustus factus est fide, tribuens gloriã Deo, plenissimè sciens, quòd is, qui promiserat, idem potens esset & pręstare.

Quis Finis?

Finis est æterna fœlicitas, c. 1. §. non solũ, extr. eod. vbi dicitur: nõ solũ virgines & continẽtes, verũ etiã coniugati per rectã fidẽ & operationẽ bonã placentes Deo, ad æternã merẽtur beatitudinẽ peruenire. fides enim per dilectionẽ saluat, iuxta illud Aug. Hęc est vita æterna, vt te cognoscamus verũ Deum: cognoscimus aũt per dilectionẽ, quę cõiuncta fidei est. Aug. in lib. de fid. & ope. Et alibi: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, c. Maiores, ext. de bap. & c. 1. §. hęc sancta extr.

cta extr. eod. Quoniam extra Ecclesiam, & fidem in Christũ nullus saluatur, c. quoniam, 24. q. 1.

Qui Effectus?

Primò: Iustificatio, mediante merito Christi. Gen. 15. credidit Abrahã Deo & imputatũ est ei ad iustitiã. Ad Rom. 4. Arbitramur aũt hominẽ iustificari absq; operibus legis. Ad Rom. 5. Iustificati igitur fide. Ad Gal. Lex pædagogus noster fuit ad Christũ, vt fide iustificaremur. 2. Inuocatio cũ fiducia accipiẽdi petita. Ad Rom. Quomodo inuocabunt eum, in quẽ non crediderũt? 3. Confessio iustitię. Ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem. 4. Tranquillitas conscientiæ; reddit enim tranquillas cõscientias. Rõ. 3. 5. Certitudo de promissiõe in Christo facta & de vita æterna, iuxta illud: Idcircò ex fide datur hęreditas, vt firma sit promissio. & Ioã. 3. Qui credit in filiũ habet vitam æternã. 6. Adoptio filiorũ Dei. Ad Gal. 3. Omnes filij Dei estis, eò ꝙ credidistis in Christo. 7. Nostrî exhibitio, vt Deo placeamus; sine fide enim impossibile est placere Deo, d. c. 1. §. nõ solùm, extr. eod. 8. Puritas animi à sordibus vitiorum: nam Act. Apost. cap. 15. D. Petrus corda purificari per fidẽ ait. 9. Fortitudo animi: nam per fidẽ veteres sancti patres vicerũt regna, operati sũt iustitiã, fortes facti sũt in bello, ad Heb. xj. 10. Timor: nã cùm credimus, eum inquirentibus se, vt loquitur Paul. Heb. 11. esse remuneratorem, in spem maximam salutis consequendæ erigimur. Accedit quòd notitia Dei non contingit, nisi per fidem, quæ appræhendit Deũ & propellit ad sperãdum in Deum propter Christum reconciliatum.

Qua

Quæ Cognata?

Cognata sunt dona pleraq; spiritus sancti: vt est donũ intellectus, quo abditissima quæq; rerũ supernaturaliũ mysteria penetramus: donũ sapientię, quo de diuinis rebus sapiẽtissimè iudicamus: donũ sciẽtię, quo de rebus humanis rectissimè sentimus, & quę credẽda sunt à nõ credẽdis accuratè secernimus: donũ prophetię, quo futura certò p̃dicimus, aut cognoscimus ea, q̃ ab humana cognitione penitùs sunt remota: deniq; cognitio totius Theologię Christianę. quanquã. n. multa in complexu sciẽtię Theologicę sint, q̃ humano ingenio cõpræhendi potuerint: aut etiam eiusmodi sint, quæ necesse non sit credere, tamen omnia ferè ad fidem ipsam, tanquam ad principium quoddam, reuocantur.

Quæ Adiacentia?

Adiacẽtia fidei sunt, Charitas: sine qua, teste Paulo in epist. ad Cor. ca. 13. etiã maxima fides nihil est, & c. vbi sana fides, 24. quæst. 1. Host. in §. quot sint, eod. Spes: Nõ. n. fides sine spe subsistit. Cùm, sicuti corpus reficitur cibo, ita fides spe nutriatur, & quod fides credit, hoc spes expectet, vt ait August. de cog. veræ vitę: & ad Crescentiũ epist. 85. Quoduis opus bonũ. quicquid enim sine fide fit hoc peccatum est, c. quęrat, §. etsi fides, de pœnit. dist. 3. & Rom. 14. deniq; Humilitas, secundùm Gregorij magni dictum, Nõ habet meritum, cui humana ratio præbet experimentũ.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia fidei sunt tria generatim, sub quib. omnia q̃ fidei aduersantur cõpręhendi possunt, scilicet,

scilicet, infidelitas, apostasia & hæresis. Infidelitas dicitur esse in Ethnicis, Iudæis, Turcis, ac ijs, qui nunquam in Christum crediderunt, tot. tit. de Iudę. & cœlicolis, & per tot. 28. quæst. 1. Apostasia est in ijs, qui fidem Christi semel receptam deseruerunt, c. quod quidem, §. & ex his, 1. quæst. 1. c. hæretici, 14. q. 1. & l. fina. C. de Apostat. Hæresis dicitur, qua conuincitur is, qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ principatusq; gratia, falsas, & nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. Easq; pertinaciter defendit, c. hęreticus, c. qui in Ecclesia, c. quī aliorum, 24. q. 3. Quorum varia genera ponūtur in c. quidā autē, 24. q. 3. Et l. Ariani, C. de Hæret.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Fides, quæ per dilectionem operatur, est fundamentum omnium virtutum, c. ante baptismum, dist. 4.

Fides sine operibus mortua est, c. fertur, 1. q. 1.

Omne quod non est ex fide peccatum est, non ita intelligendum est, vt quicquid sit ab infidelibus credatur esse peccatum, sed omne quod contra conscientiam fit, c. omne, 28. q. 1.

Omne quod aliter fit, quàm probatū est, peccatum est: non tamen omne quod fit cum fide, bonum est; ignorantia enim quæ est ex culpa nocet, d. c. omne, 28. q. 1.

Vbi deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus, d. cap. omne, 28. quæst. 1.

Sancta Trinitas secundùm communem essentiam indiuidua, sed secundùm personales proprietates discreta est, d. c. firmiter, ext. eod. Fideles

Fideles Christi vnum esse est. Non eandem rem vnam, quæ sit communis omnibus, sed vnam Ecclesiam propter Catholicæ fidei vnitatem. Et tantùm vnum regnum, propter vnionem indissolubilis charitatis, cap. damnamus, extr. eod.

Licet alius sit pater, alius filius, alius spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est pater, est filius, & spiritus sanctus idem omninò, d. c. damnamus, eod.

Spiritus sanctus æternaliter à patre, non tanquam ex duobus principijs, sed ex vno principio & vna spiratione procedit, c. fidei, eod. in 6.

Quæ malo inchoantur principio, non peraguntur bono exitu, c. principatus, 1. q. 1.

Non superædificatur bonum opus, vbi Christus fundamentum non est, c. cùm Paulus, 1. q. 1.

Qui recedit ab Ecclesia, nec baptisma, nec ius dandi amittit, c. quod quidem, 1. q. 1.

Qui aliorum defendit errorem damnabilior est illis, qui errant. quia non solùm errat, sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde, quia magister erroris est, non tantùm hæreticus, sed etiam hæresiarcha dicendus est, c. qui aliorum, 24. q. 3.

Inter hæresim & schisma, hoc interest, quod hæresis peruersum dogma habeat, schisma post Episcopalem decessionem ab Ecclesia pariter separat, quod quidem in principio aliqua ex parte erat diuersum, c. inter hæresim, 24. q. 4.

A fide recedens spiritûs perfectionem non habet, c. hæretici, 24. q. 1.

Opor-

Oportet esse hæreses, vt probati manifesti fiant: hi autem à Deo probati sunt, qui benè docere possunt, cap. eod. 24. q. 3.

Fidem Christo non exhibet, qui corpus eius discerpit, c. aduocauit, 24. q. 1.

Eligenda est fides cum vita; fides enim meritum nō habet, cui vita deest, c. fertur, 1. q. 1.

DE CONSTITVTIONIBVS.
Titulus II.

Continuatio.

STatuta Conciliorum auctoritate Pontificis Romani, vel Patriarcharum, Primatum, vel Metropolitanorum eiusdem prouinciæ celebratorum, & Decreta, quibus totum ius Canonicum constare dictum est, Ecclesiasticæ constitutiones, quæ canonum nomine censentur, dicuntur, c. 2. & 3. dist. 2.

Quotuplex Constitutio & quid Ciuilis?

Constitutio alia Ciuilis, alia Ecclesiastica. Ciuilis constitutio, forense vel ius Ciuile appella[illegible] dist. 3.

Quotuplex ius Ciuile, & quid commune?

Ius Ciuile, vel est commune, vel municipale. Cōmune dicitur, quo oēs, qui Imperio Romano subiecti sunt, ligantur, quodq; in libris iuris Ciuilis habetur: nec potest condi, nisi per Imperatorem vigore in regiam maiestatem translatę potestatis, Iason in l. imperium, ff. de iust. & iure.

Muni-

Municipale est, quod quisq; populus, vel ciuitas sibi proprium diuina humanaq; causa constituit, c. ius ciuile, dist. 1. Et ius Quiritum, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, constitutionibus principum, & responsis prudentum constat, ius ciuile & propriè Romanorum esse dicitur, c. fin. dis. 1. c. constat, distinct. 2.

Quotuplex constitutio Ecclesiastica & quid Generalis?

Constitutio Ecclesiastica duplex est, Generalis & Specialis. Generalis est sanctio eius, qui ius statuendi habet in vtilitatẽ subditorũ facta, qua omnes qui statuenti subiecti sunt ad illius obseruationem tenentur, c. 1. ext. eod. & c. 3. dist. 2.

Quid Specialis?

Specialis constitutio proprio nomine appellatur priuilegium, dictum eò quòd in priuato feratur, vel quasi priuatam legem singulis, quibus conceditur, generet. Et nihil aliud est, quàm iussio speciale quid cuique petenti singulariter indulgens, c. ideò §. Neque enim, 25. quæst. 1. c. priuilegia, dist. 2.

Quæ est origo constitutionis & legis?

Generaliter acceptum constitutionis nomen, vti in titulo ponitur, duxit originem partim à iustificationib. quas Dominus tradidit Moysi, c. ius autem, distinct. 7. partim ab alijs variarum gentiũ legibus tam scriptis quàm moribus obseruatis: quarum quædam à Romano populo duodecim Tabulis inscriptæ in ius Ciuile & Canonicum postea dimanârunt, c. Moyse3, dist. 7.

Fuit

Fuit autem Moyses primus omnium, qui Genti Hebreæ diuinas leges sacris literis explicauit. Phoroneus Rex Græcis primus leges iudiciaq; constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Athenienſibus ædidit. Licurgus primus Lacedęmonijs iura ex Apollinis authoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo in regno ſucceſsit, primus Romanis leges præſcripſit. Deinde, cùm populus ſeditioſos magiſtratus ferre nõ poſſet, decemuiros legibus ſcribendis creauit. Qui leges ex libris Solonis in Latinum ſermonem translatas xij. tabulis expoſuerunt, c. Moyſes, diſt. 7. Atque ex his, accedẽtibus poſtea alijs iuris partibus; ſcilicet ſenatuſconſultis, principum placitis, reſponſis prudentum, prætorum edictis, & plebiſcitis, ius Ciuile compilatum eſt, c. Fuerunt autem, diſtinct. 7.

Quæ cauſa efficiens Eccleſiaſticæ conſtitutionis?

Cauſa efficiẽs conſtitutionis Eccleſiaſticæ, eſt primò authoritas Põtificis, c. fi. ext. eod. c. inter alia, ext. de ſenten. excommunicat. Secundò, authoritas Prelati, c. fin. ext. de offi. leg. Tertiò, authoritas Epiſcopi, c. ſi quis, ext. de Maio. & obedientia. Quartò, authoritas Capituli, c. cũ acceſſiſſet, ext. eod. Quintò, authoritas Vniuerſitatis clericorum, c. ex literis, ext. eod. ſolent etiã, conuocatis Patriarchis, Epiſcopis, & p̃latis in Concilijs, q̃ generalia, prouincialia & Epiſcopalia ſunt, conſtitutiones Eccleſiaſticæ vnanimi conſenſu confici, c. 3. diſt. 2. c. ſunt quidam, 25. quęſt. 1. c. quod dicitis, diſt. 16. c. fin. diſtinct. 18. Et Con-

ciliorum generalium quidē constitutiones magis proprio vocabulo Canones appellantur, & omnes ad illorū obseruationem obligāt. Quod verò in Concilijs prouincialibus & Episcopalibus, p Primates, Metropolitãos, vel Episcopos, vocatis ius statuitur, nō propriè canon, sed constitutio dicitur, eorumq; prouinciæ ciuitatis & diecœsis homines dūtaxat deuincit, nec de maioribus negotijs decernere potest, c. 1. dist. 18. vbi glo. Et sola immediati Prælati authoritas, hisce concilijs congregandis sufficiet. Quare nec Episcopus concilio suo Diecœsano Metropolitani authoritatem: nec Metropolitanus Primatum, aut Superiorum adhibere tenetur, glos. in c. 1. dist. 17.

Quæ Materia?

Materia constitutionum sunt, personæ, res, & iudicia. Personarū ordines sunt tres: sunt enim quidam in minoribus ordinibus, quidam in maioribus, & quidā in supremo dignitatis gradu constituti. Et hi, vel regulare, vel seculares, &c. Res sunt etiam in triplici genere: vel diuinę, vel ecclesiasticæ, vel humanæ. Iudicia hīc vel ciuilia, vel criminalia dicuntur.

Quæ Forma?

Forma constitutionis est ipsa ratio, quę quoque dicitur anima legis, c. sedulò. 38. dist. c. consuetudo, dist. 1. Ratione autem minimè carere dicitur, si honesta, possibilis, secundùm naturam, & secundùm consuetudinem patriæ, loco, temporiqúe conueniēs, necessaria, vtilis, manifesta

festa quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro ciuium subiectorumq; vtilitate conscripta fuerit, c. erit autem, distinct. 4. Et hoc est, quod alibi dicitur, legem ratione consistere dici, si religioni conueniat, si disciplinæ congruat, & si communi omnium saluti proficiat, c. consuetudo, dist. 1.

Quis Finis?

Finis est, vt Deus decenti religionis cultu honoretur, & earum metu humana coerceatur audacia: tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas, cap. 2. dist. 4. &, c. causa, eod.

Quis Effectus?

Effectus est, quòd constitutiones habeant vim legis obstringantque ad earum obseruantiam omnes, qui statuenti subiecti sunt, Felin. in c. 3. num. 5. de iureiuran. & c. 1. extr. eod. princeps autem illis solutus est, legibus tamen vt obtemperet, nec in se posse damnare iura, quæ in subiectis constituit iustum est, cap. iustum, dist. 9.

Quæ Cognata?

Cognata constitutionis sunt pragmatica sanctio, annotatio, consuetudo, priuilegium, rescriptum, lex Mosaica, stylus, præscriptio.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, possibilitas, honestas, iustitia, veritas, & continentia, c.2.dist.4. c.veritate, dist.8.c.ego, dist.9.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, omnes constitutiones, quæ canonibus, decretis Præsulum Romanorũ, vel bonis moribus, aduersantur, c. constitutiones, distinct. 10. Et desuetudo in contrarium; sicuti enim moribus vtentium leges confirmantur, ita moribus vtentium in contrarium, nonnullę leges abrogantur, c.in istis, dist.4.

AXIOMATA, SENTENTIAE, VARIAE Definitiones, & diuisiones, quæ in Decretis ponuntur.

Ius naturale est, quod in lege & Euangelio continetur, quo quisque iubetur alij facere, quod sibi vult fieri: & prohibetur alij inferre, quod sibi nolit fieri, c.humanum, dist. 1.

Differunt lex humana & diuina; cùm omne, quod fas est, nomine diuinæ vel naturalis legis accipiatur, nomine verò legis humanæ, mores iure cõscripti et traditi intelligantur, c.omnes, dist.1.

Lex est constitutio scripta, mos autem, lõga consuetudo de moribus tantumodò facta, c.lex, c.mos, dist.1.

Consuetudo est ius quoddam institutum, quod pro lege suscipitur, cùm lex deficit, c.cõsuetudo, nec differt, an scriptura, an ratione consistat, eod.

Sicuti

Sicuti ratio consuetudinem, ita legem, commendat, d.c.consuetudo.

Lex est, si ratione constiterit, si religioni conueniat, si disciplinæ cõgruat, & si communi omnium saluti proficiat, d.c.consuetudo.

Ius naturale est commune omnium nationum, eò quòd vbique, instinctu naturæ, non constitutione habetur aliqua, c.ius naturale, eod.

Ius ciuile est, quod quisque populus, vel ciuitas sibi proprium diuina humanaque causa constituit, c.ius ciuile, eod.

Ius gentium est, sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera pacis, inducia, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita, c.ius gentium.

Ius gentium dicitur, quia eo iure omnes ferè gentes vtuntur, d.c.ius gentium.

Ius militare est, belli inferendi solennitas, fœderis faciendi nexus, signo dato egressio in hostem, item signo dato receptio, flagitij militaris disciplina, si locus deseratur, stipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor, prædæ decisio, pro personarum qualitatibus & laboribus iusta diuisio, c.ius militare, eod.

Ius publicum est in sacris, & sacerdotibus & Magistratibus, c.ius publicum.

Ius Quiritum, est propriè Romanorum, quod nulli tenent nisi Quirites, id est, Romani, c.fin. dist. 1.

Constat ius Quiritum ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, constitutionibus Principum, & responsis, prudentum, c.constat, dist. 2.

Lex constitutio est populi, quâ maiores natu, simul cum plebe aliquid sanxerunt, c. constat, eod.

Plebiscita sunt, quæ plebes tantùm constituunt, & vocantur plebiscita, eò, quòd ea plebs sciat, vel quòd scisscit & rogat vt fiant, c. plebiscita. eod.

Senatusconsultum est, quod tantùm senatores populis consulendo decernunt, c. senatusconsultum, eod.

Constitutio vel edictum est, quod tantùm Rex, vel Imperator constituit, vel edicit.

Responsa prudentum sunt, quæ iurisconsulti respondere dicuntur consulentibus, c. responsa.

Satyra lex est, quæ de pluribus simul rebus loquitur, dicta à copia rerum, & quasi à saturitate, c. satyra, eod.

Rhodiæ leges, naualium commerciorum sunt, ab insula Rhodo cognominatæ, in qua antiquus mercatorum vsus fuit, c. Rhodiæ, dist. 2.

Constitutionum alia est Ciuilis, alia Ecclesiastica. Ciuilis constitutio, forense vel ciuile ius dicitur: Ecclesiastica Canonis nomine censetur, c. 1. dist. 3.

Canon, Græcum vocabulum est, Latinè regula dicitur. Regula dicta est, eò quòd rectè ducit, nec aliquem aliorsum trahit, vel ab eo, quòd regat, vel quòd normam rectè viuendi præbeat, vel quòd distortum, prauumq; est, corrigat, c. 3. dist. 3.

Canonũ alij sunt, decreta Pontificũ, alij sunt statuta Conciliorũ. Conciliorum, alia sunt vniuersalia, alia sunt prouincialia. Prouincialiũ alia celebrantur authoritate Põtificis Rom præsente, videlicet, Legato Rom. Ecclesiæ, alia authoritate Patriarcharũ, vel Primatũ, vel Metropolitanorum eiusdem prouinciæ, d. c. 3. Pri-

Priuilegia sunt, priuatorum leges, quasi priuatæ leges. nam priuilegium dictum est, quod in priuato feratur, c. priuilegia.

Omnis lex, aut permittit aliquid, aut vetat, aut punit, aut præcipit, c. fin. dist. 3.

Causa cõstitutionis legum est, humanã coercere audaciã, & nocendi facultatem refrenare, c. causa, dist. 4.

In constitutione legum, maximè qualitas constituendarum obseruanda est, vt contineat in se honestatem, iustitiam, possibilitatem, continentiã, c. 2. dist. 4. non legibus, sed secundũ leges iudicandũ est, c. erit aũt, dist. 4.

Leges instituũtur, cùm promulgãtur, firmãtur cùm moribus vtentium approbantur, c. in istis, dist. 4.

Sicut moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges abrogatæ sunt, ita moribus vtentium, ipsæ leges confirmantur, d. c. in istis.

Ius constitutionis cœpit à iustificationibus, quas Dominus tradidit Moysi, c. ius autem, dist. 7.

Generale pactum societatis humanæ, est, obtemperare Regibus suis, quantò magis, Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea, quæ iussit, sine dubitatione seruiẽdum est? sicut enim in potestatibus societatis humanæ, maior potestas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus præferri debet, c. quæ contra, dist. 8.

Non consuetudinem hominum, sed veritatem ipsam sequi oportet, c. si solus, dist. 8.

Ius naturale inter omnia primatum obtinet, tempore & dignitate: cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tẽpore, sed immutabile semper permanet, c. hæc quæ, dist. 5. & c. non est, dist. 6.

Differt ius naturale à consuetudine & constitutione: nam iure naturali omnia sunt communia omnibus, iure autem consuetudinis vel constitutionis, hoc meum est, illud tuum, vel alterius, c differt, dist. 8.

Platoni illa ciuitas iustissimè ornata dicitur, in qua quisq; proprios nescit affectus, c differt, dist. 8.

Diuinũ ius illud est, quod in scripturis diuinis: Humanum, quod in legibus Regum continetur, c. quo iure, dist. 8.

Non iure diuino, sed humano, rerum dominia sunt distincta, d. c. quo iure.

Iustum est, Principem legibus obtemperare suis; tũc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet, c. iustum, dist. 9.

Principes legibus tenere suis, nec in se posse damnare iura, quæ in subiectis constituunt, iustum est: iusta est enim vocis authoritas eorum, si, quod populis prohibent, sibi licere non patiantur, d. c. iustum.

Ratio exemplis anteponenda est, c. fin. dist. 9.

Constitutiones Principum Ecclesiasticis constitutionibus non præeminent, sed obsequuntur, c. 1 dist. 10.

Lex Imperatorum Ecclesiastica iura dissoluere non potest, c. lege, dist. 10.

Leges Principum & regulas Patrum contemni non licet, sed obseruari, c. quis autem, c. de capitulis, & c. fin. dist. 10.

Quicquid cõtra leges accipitur, per leges dissolui meretur, c. vides fili charissime, dist. 10.

Constitutiones contra Canones & decreta Præsulum Romanorum: vel bonos mores, nullius sunt momenti, c. constitutiones, dist. 10. Nul-

Nulli licet sine discretione iustitiæ contra disciplinam Romanæ Ecclesiæ agere, c. 1. & c. nō decet, dist. 12.

Contra naturale ius nulla dispēsatio admittitur, nisi fortè duo mala ita vrgeant, vt alterum eorum necesse sit eligi, c. 1. dist. 13.

Minus malum de duobus malis eligendum est, c. duo mala, dist. 13. Quod verum, si fortè duo mala ita vrgeant, vt alterum eorum necesse sit eligi, c. item aduersus, dist. 13.

Dispensatio locum habet non tantùm in vna persona, sed etiam diuersis: v. si quis committat minus malū, ne alius grauiori implicetur, c. 1. dist. 14.

Non sunt à nobis committenda delicta, ne alij grauiora committant, c. 2. dist. 14.

Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt, quæ, aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum, oportet temperari, c. fin. dist. 14.

Quatuor generalia Concilia probantur, scilicet, Nicænum, Constantinopolitanum, Epehsinum, & Calcedonense, c. sicut, dist. 15. Nicæno, peruersum Arriani dogma destruitur. Constantinopolitano, Eunomij & Macedonij error conuincitur. Ephesino, Nestorij impietas iudicatur. Calcedonensi, Eutichetis & Discori prauitas reprobata est, d. c. sicut.

Inter canonicas scripturas decretales Epistolæ connumerantur, & vim authoritatis habent, c. in canonicis, dist. 19.

Necesse est, vt iuxta diuersitates locorum, temporum & hominum, quibus diuersæ scripturæ factæ sunt,

diuersas causas, & argumenta, & origines habeant, c. necesse, dist. 29.

Constitutio futura respicit, & non præterita, nisi de præteritis caueatur, c. quoniam, extr. eod.

DE RESCRIPTIS.

Titulus III.

Continuatio.

REscripta inter partes, quibus cõcèduntur, ius constitutionis habent, ideo cõstitutionibus rectè subijciuntur, c. cõstitutus, extr. de concess. præbend.

Quid Rescriptum?

Rescriptum est iussio Principis, in scriptis facta, quæ translata iurisdictione in eum, ad quẽ dirigitur, vel etiam nulla translata iurisdictione (si non ad lites, sed beneficia, vel alia petatur rescribi) ad preces impetrantis mãdatur aliquid fieri, d. c. constitutus.

Vnde dictum Rescriptum?

Dictum à rescribendo, quasi ab Apostolico, vel Imperatore, ad consolationem, relationem, intimationem, vel supplicationem literæ scriptæ, c. consuluisti, 2. quæst. 5. c. ex parte, extr. eod. c. querelam, extr. de procurat.

Quotuplicia Rescripta?

Rescripta sunt, ratione causę efficientis, materiæ, formæ, effectûs, & causæ impulsiuæ, varia.

Quome-

Quomodo ratione cauſæ Efficientis?

Ratione cauſæ efficientis, quædam reſcripta ſunt Apoſtolica, Imperalia, & Epiſcopalia. Apoſtolica ſunt, quæ in ſpiritualibus à Pontifice concèduntur, c. ex parte, extr. eod. Imperalia ſunt, quę ab Imperatore in temporalibus, l. ſancimus, C. de diuerſ. reſcript. Epiſcopalia, quæ à vicario vel Epiſcopo emánant, c. pénul. de off. vicarij.

Quomodo ratione cauſæ Procatarticæ variè intelliguntur?

Ratione cauſæ impulſiuæ, ſiue, cauſæ procatarticæ, ſunt duplicia. Quædam enim Pontifex, vel Imperator, ob merita, vel nulla ex cauſa, vltrò proprio motu, & ad nullius petitionem impartit; & hæc dicuntur annotationes, & indulgentiæ, d. c. conſtitutus, & l. vniuerſa reſcripta, C. de diuerſ. ref. Quędam, quę ad alicuius factam querelam, petitionem, vel ſupplicationem conceduntur, c. querelam, extr. de procurat.

Quotuplicia ratione Materiæ?

Ratione materiæ etiam ſunt duplicia. Quædã enim ſuper rebus priuatorum, de quibus cõtrouerſia eſſe poteſt, vel beneficijs concedũtur, c. ad aures, c. ad hoc, extr. eod. Quædam ſuper rebus Eccleſiæ, & negotijs Vniuerſitatum, quæ propriè dicuntur pragmaticæ ſanctiones, requirentes cauſæ cognitionem, gloſ. in c. 1. extr. de rerũ permutat.

Quomo-

Quomodò secundùm Formam varia?

Secundùm formam sunt, vel generalia, vel specialia. Generalia sunt, in quib. generales, seu indefinitæ clausulæ continentur. Specialia autẽ, quę inter certos diriguntur, & super certis, & expressis rebus, seu negotijs, sine clausula generali fiunt, c. 1. & c. pastoralis, extr. eod. inter hæc, speciale derogat generali, illudq; prorsus tollit, c. pastoralis, & c. 1. extr. eod. sin autem vtrunque sit generale, vel speciale vtrunque, non valebit posterius, nisi de primo fecerit mentionem, c. veniens, de præscript. c. institutionis, 25. quæst. 2.

Quotuplicia secundùm Effectum?

Sunt & duplicia, ratione effectûs, scilicet, personalia, quæ ad personam concedentis restringũtur: & impersonalia, quæ indefinitè, nulla personę consideratione, vel mentione habita, dantur, c. si gratiosè, extr. eod. Effectus personalis est, vt concessio simul cum persona concedente expiret, secus autem impersonalis; durat enim, nisi à successore expressè reuocetur, d. c. si gratiosè, c. 2. de vsucap.

Sunt denique ratione diuersi effectus, quorũ nunc quædam commemorata sunt, varia rescripta, omnia tamen, siue sint secundùm ius, siue præter ius, siue contra ius, vim & authoritatem constitutionis habent, c. 1. 2. dist. 19. c. 3. dist. 29. nisi sint contra ius publicum, vel diuinum, vnde dicitur, Rescriptum contra ius impetratum, è tenentis manibus euellendum esse, l. 3. c. de sacri. pa ga. pari ratione rescripto, contra consuetudinẽ

impe-

impetrato, prævalet consuetudo, si sit laudabilis, c. fin. de consuet.

Quot sunt species Rescriptorum?

Species Rescripti sunt quinque: Annotatio, Pragmatica sanctio, Gratia expectatiua, Priuilegium, & Rescriptum ad lites, siue literæ de iustitia.

Quid Annotatio?

Annotatio est rescriptum, quod Princeps vltrò, proprio motu indulget, & cõcedit, l. vniuersa, C. de diuers. rescript.

Quid Pragmatica sanctio?

Pragmatica sanctio, est sacra Principis iussio, super rebus non priuatis, sed publicis, & vniuersitatum, ad petitionem collegij, scholæ, curiæ, ciuitatis, prouinciæ, vel cuiusdam vniuersitatis, ob publicam causam emissa, d. l. vniuersa, c. dicéti, 25. quæst. 2.

Quid Priuilegium?

Priuilegium est iussio specialis & priuata, in odium vel fauorem alicuius, contrà communes iuris normas singulariter facta: quod ad exemplum non est trahendum. Atque vbi super priuilegijs sedis Apostolicæ causa vertitur, non debet de ipsis, per alios, quàm per Summum Pontificem iudicari, c. regula, dist. 3. c. cùm veniisset, extr. de iudicijs.

Quid Gratia expectatiua?

Gratia expectatiua, vel literæ de gratia, sunt quæ

quæ ſuper aliqua dignitate, vel beneficio vacatu ro, conferendo dirigũtur, Clem. gratiæ, & Clem literas de reſcriptis.

Quid literæ de Iuſtitia?

Reſcriptum in ſpecie, vel literæ de iuſtitia, ſunt, quibus cauſæ controuerſæ cognitio, ad petitionem cuiuſdam priuati, inferiori committitur, c. ſtatutum, extr. eod. c. cũm dilecta, eod.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiens eſt, quilibet in dignitate aliqua conſtitutus. generaliter enim ſumpto reſcripto, quilibet, qui delegare poteſt, poteſt etiam per reſcriptum mandare: aliàs in ſpiritualibus, tantùm Papa, & in temporalibus, Imperator per reſcripta mandant, vel indulgent, Hoſtienſ. in §. quis poſſit, eod.

Quod Obiectum?

Obiectum reſcriptorum ſunt, omnes res corporales, & incorporales, de quibus controuerſia moueri poteſt: ſiue ſint priuatorum, ſiue vniuerſitatum: ſiue ſint ſpirituales, ſacræ, religioſæ, ſiue temporales, c. querelam, extr. de elect. c. 2. c. inter cæteras, c. olim, c. adeò, c. capitulum, extr. de reſcrip. c. ex parte, extr. de ſepul.

Quæ Forma?

Forma reſcriptorum eſt, vt nomen Pontificis, vel Imperatoris præponatur, annus incarnationis,

tionis & pontificatus,(si Pontificis: vel si Imperatoris,dies,consul, indictio) locusque subijciatur: faciantque literæ mentionem, inter quos, ad quem iudicem,& per quam personam fuerit dictitata iussio, & de his,quæ processum negotij,causamque principalem contingunt.& si hęc, prout narrantur,veritate nitantur,mandetur aliquid fieri, vel omitti: debetque imperiale rescriptum,purpurea scriptura scribi signariqúe, ardore cocti muricis, & triti cochilij, manuque Imperatoris subscribi,c. ex parte, c. eam te, c. significauit,extr.eod.c.gratum,de offic. delegat.c. ex tenore,extr.de test.l.sancimus, & l. sacri affatus,C.de diuers.rescript.

Quæ causa Procatartica, & Impulsiua?

Sunt,necessitas,vtilitas,euidens meritorum prærogatiua, & querela impetrantis, 1. quæst.7. c.tali cõiugio,c.cùm nobis,extr.de elect.c.ad aures,c.sicut,extr.eod.

Quæ causa finalis Rescriptorum?

Causa finalis est, vt Principis iussio in causis, quibus ipse Princeps præesse non potest, ad conferendam gratiam, vel iustitiam administrandam, per eos, quibus hoc delegatum est, executionem sortiatur.

Qui

Qui sunt executores Rescriptorum?

Executores rescriptorum sunt, delegati canonici cathedralis Ecclesiæ, principalis Officialis Episcopi, & religiosus conuentualem Prioratum obtinens: vel quilibet alij in dignitate constituti, & habitantes eo loci, quo Actor & Reus fixa sede cõmorantur, Clem. etsi principalis, de rescript. Sunt tamẽ 6. casus, quibus Actore & Reo eiusdem diocœsis causa committi, extra diocœsim possit, scilicet, nisi ab Episcopo cõtra aliquẽ de sua diocœsi, vel ab aliquo contra eum, aut cõtra eius capitulum, seu contra vniuersitatem ciuitatis, villæ, aut castri fuerit actio dirigenda: vel, nisi Actor eandem ciuitatem seu diocœsim intrare non audens, aut sui aduersarij potẽtiam meritò perhorrescens; cùm inter ipsas nequeat conuenire securè, c. statutum, §. cùm verò, de rescript. in 6.

Qui Effectus?

Effectus rescriptorum super litibus impetratorum sunt duo: primò, quòd rescriptum speciale ius statuat in negotijs & personis, in quibus, & inter quas, conceditur, c. cõstitutus, extr. eod. Secundò, sicut actiones annales prætoriæ, quæ de suâ natura temporales sunt, & anno expirãt, per litis contestationem perpetuãtur, ita etiam perpetuantur, si libellus Principi porrigatur, & ille ad eum rescribat, c. 1. C. quando libel. prin. dat. litis cont. faciat. Si alia ex causa rescriptũ concedatur vim & authoritatem constitutionis

scriptæ

scriptæ habet, obligatq; ad eius obseruationem omnes, ad quos dirigitur, c. si quando, extr. eod. speciale tamen derogat generali, d.c. pastoralis, §. quoniam, c. studuisti, extr. de offi. deleg. præfertur q; posterius priori, c. cæterùm, §. 1. extr. eod. & ibi DD. extra quos casus antiquius præfertur, modò segnis nõ fuerit impetrator illius in eo reddendo, vbi nullum certum beneficium in eo designaretur, Abb. c. Capitulum, num. 4. eod. Sin autem inter duos impetrantes non appareat prioritas vter præferendus alteri? Decidit illa quæstio, in c. duobus, de rescript. in 6. is, cui præbenda collata est præferendus est alteri, qui nondum consecutus est. & sic melior est conditio possidentis, tuetur q; is in possessione. Si verò neutri eorũ, vel vtriq; præbenda collata est prefertur is, qui primò præsentauit. Quòd si forsan simul in præsentando concurrant? illi, ad quos spectat Canonicorum receptio, & collatio præbendarum: vel eorum maior pars, ex ijs alterum, quem voluerint, eligere tenentur, quo electo, alter omninò carere debet impetratis, nisi ex tenore literarũ expressè appareat, quod vtrique ipsorum prouisum sit, d.c. duobus, de rescrip. in 6.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, omnes constitutiones scriptæ & statuta singularia, Principum placita, senatusconsulta, & aliæ iuris partes.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, lites, controuersiæ, veritas

petitionis, posibilitas, & honestas rei, cap. dicenti, §. vniuersa, 25. q. 2.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, falsitas impetrationis, abusus rescriptorum, vitium formæ, & dolus culpaque impetrantis.

In quibus consistit Falsitas?

Falsitas in expressione falsitatis, & suppressione veritatis, consistit, cap. in literis, extr. de rescript. circa quæ distingue: aut per fraudem & malitiam, aut, per simplicitatem & ignorantiam, rescriptum impetratum est. Si primo modo, falsitate expressa, & suppressa veritate, in sue peruersitatis pœnam, nullum ex literis commodum consequitur impetrans, c. dicenti, 25. quæst. 2. d. cap. in literis. Si posteriori modo: distinguendum, quæ falsitas suggesta, & quæ veritas suppressa fuerit? Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ, quamuis fuisset tacita vel expressa nihilominus in forma communi literæ datæ fuissent, tunc delegatus non sequens formam in literis appositam, secundùm ordinē iuris in causa procedere potest: sin autem per huiusmodi falsitatis expressionem, & suppressionem veritatis, literæ fuerint impetratæ, qua tacita, vel expressa, nullæ datæ fuissent literæ, à delegato non est aliquatenùs procedendum: nisi forsan eatenus, vt partibus ad suam præsentiam conuocatis de precum qualitate cognoscat, vt sit in vtroque casu eadem ratio, quæ delegantem mouerit, moueat etiam

etiam delegatum & vbi delegans suas denegaret literas, delegatus etiam commissæ cognitionis officium nullatenus interponat, c. super literis, extr. eod.

Abutentes etiam rescripto priuantur commodo rescripti, & condemnantur in sumptibus & damnis aduersario, c. quia nonnulli, eod.

Qui sunt modi abutendi Rescripti?

Modi abutendi rescripti sunt. 1. Si obtentas sub nomine suo literas, alijs eiusdem nominis tradunt. 2. Si quos volunt fatigant indebitè per easdem. 3. Si tales eodem modo recipiunt. 4. Si illos, contrà quos nihil habent quæstionis faciunt in iudicium euocari. 5. Si literas ipsas ad futuras trahunt controuersias, quæ nondum erant tempore impetrationis exortæ. 6. Si quempiam super vero negotio, vel etiam malitiosè super pluribus personalibus actionibus. quę sub vno iudice, tractari commodiùs possūt per varias literas corā diuersis iudicibus trahūt, vt laborib. fatigatus aduersarius & sumptibus, vel componere, vel cedere iuri suo compellatur. 7. Si Reus Actorem eodem tempore ad diuersa loca, vel indeterminatè ad villam, quæ commune cum pluribus eiusdem prouinciæ villis habet vocabulum citari procurat, & dum non comparuerit, quasi contumax excommunicatur, & sic eum à sua intentione repellat, c. nonnulli, c. quia nōnulli, extr. eod. c. dispendia, de rescript. in 6.

Quæ vitia formæ obstant Rescriptis?

Vitium formæ vires rescripti eneruat: quod etiam varijs modis contingit. Primò. Si rescriptum nõ continet, annum incarnationis, diem, consulem, indictionem, locum, nomen, & subscriptionem Pontificis, vel Imperatoris, c. eam te, c. constitutus, c. significauit, de rescrip. eod. c. gratum, extr. de offi. deleg. c. inter dilectos, extr. de fide instrum. 2. Si rescriptum ad beneficium impetratum de beneficio impetrãtis non faciat mentionem, c. à Deo, extr. eod. 3. Si in secundo rescripto per aduersarium impetrato non fiat mentio de primo, subsistit primũ, & non secundum, aliàs valet secundum: Et si primum fuit impetratum communi consensu partium, non valet secundum impetratum per alteram partem, c. cæterùm, c. ex parte, extr. eod. 4. Si in rescripto taceatur dignitas impetrantis. 5. Si falsa in rescripto fuerit Latinitas, c. ad audientiam, eod. 6. Si primæ literæ sint speciales, & primæ generalitatem contineant. Speciales enim literæ derogant literis generalibus, super non specificatis in eis, quãquam de illis nullam faciant mentionem, c. pastoralis, §. quoniam, c. si propter, de rescrip. in 6. Hinc est quòd iurisdictio per generales literas concessa, per speciales, quantùm ad eã, quæ specialiter exprimuntur, penitus eneruaretur, d. c. pastoralis, §. quoniam, vers. nos igitur. 7. Si per rescriptum frangatur in ecclesia numerata numerus præbendarũ, non facta in ijs de numero mentione, c. constitutus,

tutus,extr.de reſcrip. 8. Si reſcripta continent, vt quis vltra duas diætas extra ſuam diecœſim per literas apoſtolicas ad iudicium trahi poſſit, c. nonnulli,§.cùm autem, extr. eod.

Quibus modis dolus, vel culpa impetrantis Reſcripta eneruant?

Dolum & culpam impetrantis validitati reſcriptorum aduerſari, varijs etiam modis contingit. 1. Si primus impetrans beneficio impetrato,dolo vel negligentia non fuerit vſus,c. ad aures, extr. eod. 2. Si callidè ſubreptitias conſecutus fuerit literas, c. cùm dilecta, eod. 3. Si in literis Gratiæ tacuit perpetuam vicariam,c. poſtulâſti,eod. 4. Si literæ ad lites,fuerint impetratæ ſine ſpeciali mãdato domini, niſi impetrentur per coniunctam perſonam. Ratio eſt:ne propter eas laborum vel expenſarum diſpẽdio moleſtetur, vel indebitè fatigetur aduerſarius, c.nonnulli,extr. eod. 5. In culpa etiam dicitur impetrans, ſi nimis diu expectauit, & longas in petendo traxit moras, vt ab alio præueniretur. Secundum enim reſcriptum ſuper beneficio nihil prodeſt, ſi alius priùs id per preces impetrauit:primus enim præfertur& ſolus admittitur, c. capitulum, extr. eod. 6. Si habens literas Papæ, ad beneficium,eis, propter annuam penſionem, renunciet, literæ beneficiales per eum hoc tacito impetratæ no ſubſiſtũt,c. ad audientiam, eod. 7. Si procurator reuocatus, & de hoc certificatus,extra iudicium impetrauit, non valet reſcriptum:ſecus tamen, ſi in iudicio dũmodò reuocatio ad notitiam aduerſarij,vel iudicis nõ

peruenit,c.ex parte, extr.eod. 8. Si in literis executorijs impetrans falsò dixit,monitorias preceſsiſſe, c. ex inſinuatione, eod. 9. Si impetretur ab excommunicato, ipſo iure nullum eſt,& inde ſecutum; niſi in cauſa excommunicationis & appellationis, c. ipſo iure, de reſcript.in 6. 10. Si impetrans peruersè petat, quod iuri diuino, iuri publico, & laudabili conſuetudini aduerſetur,c. reſcripta, 25.q.2. 11. Si qualibet alia ratione impetranti poſsit dolus,vel negligentia imputari,c.ſi autem,c.plerunque,extr.eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Per iudicium iniurijs aditus patere nõ debet,c. nonnulli,extr.eod.

Lites reſtringendæ ſunt potiùs, quàm laxandæ, c. nonnulli,§.cùm autem,eod.

Gratia generalis non præiudicat ſpeciali priuilegio, conſuetudini, vel ſtatuto,c.ſi propter,eod.

In literis ad beneficia impetratis inſpicitur tempus datæ,c.ſi eo tempore,eod.in 6.

Reſcripta quoad illos, quibus, & inter quos conceduntur,vim conſtitutionis habent,c.2.cap.cùm dilecta, eod.c.nouit,de Appell.

Diuina conſilia non ſunt adeò ſapienti corde& altâ mente dijudicanda: ſunt enim inſcrutabilia & incomprehenſibilia,c. Nabuchodonoſor,23.q.4.

Reſcriptum contra ius impetratum,eſt manibus tenentis euellendum, nec laudabili conſuetudini præualet,c fin.de conſuet.

Ordi-

Ordinaria iurisdictio à Deo est, sed delegata ab homine.

Mutato iudice, mutatur iudicium.

Reus in exceptionibus partibus Actoris fungitur.

Conditio, si preces veritate nitantur, semper inesse literis intelligitur, c. 1. eod.

Rescriptum causæ inhibens cognitionem falsi suspicione non caret, c. 2. eod.

Consuetudo interpretatur rescriptum, quæ est optima legum interpres, c. cùm dilectus, de consuet.

Eius est interpretari, cuius est condere: ergo interpretatur rescriptum, qui concessit, c. inter alia, extr. de sententijs excom.

Obtentu alicuius exceptionis peremptoriæ principale negotium contingentis, non retardatur litis contestatio, nisi de re iudicata, vel transacta, vel finita excipiat litigator, c. exceptionis, extr. de litis contest.

Potestas dandi iudicem ex iurisdictione procedit.

Rescriptum, vel priuilegium, vel indulgentia, quod contra, vel præter ius aliquid continet, derogat generali, id est, mandato, vel rescripto, vel priuilegio, Inno. c. 1. eod.

In iudicijs non est habenda acceptio personarum, 4. q. 4.

Papa omnia iura in scrinio præsumitur habere recondita, 30. q. 1.

Vacante sede ea, quæ sunt iurisdictionis deuoluuntur ad capitulum, c. cùm in cunctis, de elect.

Delegatio non debet excedere fines mandati, c. cùm olim, extr. de offi. deleg.

Reſcriptum ſalua intentione mandantis & proprietate verborum latè, licet aliàs ſtrictè interpretandum eſt, c. ſede, extr. eod.

Conſilium in alterius præiudicium mutare nõ licet, c. ex parte eod.

Partes Rei fauorabiliores ſunt partibus Actoris, d. c. ex parte, eod.

Spoliatus ante reſtitutionem, de facto non cogitur reſpondere accuſatori, nec alij in criminali cauſa, nec libellus dandus, nec deliberandum, an ſit recipienda eius accuſatio, imò ſaluæ ſunt eius exceptiones, tam peremptoriæ, quàm declinatoriæ iudicij, 2. quæſt. 2. c. 1. per totum, 3. quæſt. 2. c. 1. & 3. per tot. 2. q. 7. c Symmachus.

Verba ambigua ſunt interpretanda ſecundùm ius commune & ſtatuta, c. cùm dilectus, extr. de cõſuetud.

Fraus nemini debet patrocinari, c. ex tenore, extra, eod.

Mentiri plus eſt, quàm lenonium facere, c. poſtulâſti, eod.

Si dominus ratum habuit factum procuratoris falſi ſiue expreſsè ſiue tacitè, dummodò eius nomine agatur, vlteriùs contrauenire non poteſt, Innoc. c. ex parte, eod.

Iuriſdictio priorum iudicum eſt ſuſpenſa, vbi cauſa appellationis eſt commiſſa ex certa ſcientia, c. paſtoralis, eod.

In literarum impetratione non ſufficit narrare factum, niſi quis narret cauſam facti, aliàs præſumitur ſcriptum falſum, c. cùm dilectus, extr. eod.

Non

Non potest quis de vna eademq; re sub pluribus iudicibus conueniri, c. ex tenore, c. super literis, extr. eod.

Appellationi non est deferendum, quando causa iudicibus, appellatione remota, est commissa, cap. sicut, eod.

Duo alternatiuè proposita in rescripto, ad vnum effectum consequendum, sufficit vnum probari, c. inter cæteras. Secus autem, si plura narrantur diuersos effectus operantia, c. olim, eod.

Is, ad quem rescriptum Papæ dirigitur, debet illi parére, vel causam rationabilē, quare parére non possit, c. adsignare, c. si quando, c. cùm te, eod.

Delegatus debet exequi rescriptum, nisi fuerit reuocatum, de quo cognoscit Ordinarius, c. cùm contingat, eod.

Si occasione duorum rescriptorum, vnius scilicet in causa principali, alterius in causa appellationis, contenditur, non iudex super principali, sed deputatus super appellatione, cognoscere debet de validitate appellationis, c. dilectus, eod.

Rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus refutāda sunt: nisi fortè sit aliquid quod non lædat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat, c. rescripta, 25. quæst. 2.

Rescriptum sortitur effectum quod cum iuris & legum ratione concordat, c. dicenti, 25. q. 2.

Rescripta, siue sint annotationes, siue pragmaticæ sanctiones, expressam debent in se habere conditionem, si preces veritate nitantur: mendax enim precator de-

bet tarere impetratis. & quibus scripta diriguntur sunt puniendi, si precum mendacia vetuerint argui, c. dicenti, 25. q. 2. §. rescripta, & §. vniuersa.

DE CONSVETVDINE.

Titulus IIII.

Continuatio.

DIuturni mores, consensu vtentium approbati, legem imitantur: ideò inueterata consuetudo, modò bonis moribus, decretis, concilijs, non aduersetur, in rebus & iuribus Ecclesiasticis, constitutionis scriptæ habet vigorem, c. diuturni, dist. 12. c. consuetudo, dist. 1.

Vnde dicitur Consuetudo?

Dicitur Consuetudo ab eo, quòd in communi est vsu, d. c. consuetudo. Et post naturalem legem exordium habuit, ex quo, homines conuenientes in vnum cœperũt, simul habitare, c. non est, dist. 6.

Quotuplex Consuetudo?

Ea genericè vel specificè accipitur. Genericè quidem, vt consuetudinem, constitutionem, omnesq; iuris partes contineat. Vnde dicitur in c. in istis, dist. 4: Firmantur leges, non si institutæ vel promulgatæ sint, sed si vtentium moribus approbentur. Specificè autẽ, quæ moribus tantùm vtentium reseruata, in consensu populari tacitè consistit, & per vsum longi temporis comprobatur: nec scripturam, nec institutionem, vel promulgationem solennem requirit, c. consuetudo, dist. 1.

Con-

Consuetudo Specifica quotuplex?

Duplex. Vniuersalis vel Localis. Vniuersalis est, ius non scriptum, in solo populi vsu consistens, quod non in certo aliquo loco, sed ab omnibus, vel à multis, indifferenter, moribus obseruatur & custoditur. Localis autem est consuetudo, quæ ad certum locum restricta in vim legis municipalis valet, Cynus & Dd. in l. 2. C. quæ sit long. consuetudo.

Quid est Consuetudo?

Consuetudo est, ius non scriptum, tacito Maiorum consensu inductum, & diuturnis vtentiū moribus comprobatum, c. diuturni, dist. 12.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens sūnt, tacitus consensus, & mores Maiorum, potestatem legis faciendæ habētium, l. de quibus, ff. de legibus. Et vsus longæuus, c. fin. extr. eod. c. non est. de consuet. in 6. c. mos est, dist. 1.

Quæ causa Materialis?

Causa materialis sunt, res incorporales: vt iura seruitutum, iurisdictionum, electionum, & similium, quæ speciem aliquam iuris habent: nec exinde peccatum, iniquitas, absurditas, aut præiudicium Ecclesiæ prouēniat. Vnde consuetudo in præiudicium Ecclesiæ, vel quæ derogat iuri naturali, seu diuino; cuius transgressio peccatū inducit; ipso iure non subsistit, c. consuetudines, c. cùm olim, extr. de consuet. c. 1. de cons. in 6. c. cū contingat, de foro compet. c. scriptum, c. Cumana, extr. de elect.

Quæ

Quæ Forma?

Forma Consuetudinis, est, vt tacito Maiorũ consensu, vrgente recta ratione, frequẽtia actuũ maximè iudicialium, vel, si illi nõ sint, extraiudicialium, non tamen minus duorum & diutur nitate temporis, quod ad præscriptionem sufficiat, introducatur, l. 1. C. quæ sit longa consuet. l. nemo, C. de Episcopali audientia, c. fi. eod. c. diuturni, 12. dist. Nam in his 4. tacita, scilicet, conuentione, iusta ratione, frequentia actuũ, & tem poris diuturnitate; consuetudinis natura, vis, atq; conditio, consistit. Et, vt Albericus in Rub. C. quæ sit longa cons. ait, consuetudinẽ concipi, nasci, perfici, & roborari. 1. Concipitur in Ratione, sicuti partus in vtero matris. 2. Nascitur, dum, quod recta ratio suadet, vnus aut alter facere cœperit. 3. Perficitur similium actuum multitudine: dum paulatim omnes quod aliquando per aliquos cœptũ est, imitantur. 4. Et vltimò roboratur crebrioribus exercitijs & tẽpore legibus præscripto.

Qui Effectus?

Effectus cõsuetudinis sunt. 1. Vt legem imitetur, c. diuturni, dist. 12. Vbi dicitur: Diuturni mores (nisi legi sint aduersi) consensu vtentium approbati legem imitantur. 2. Si secũdùm legem inducta sit, interpretatur & confirmat legẽ: optima enim interpres legum, est consuetudo, c. cùm dilectus, extr. eod. l. si de interpretatione, ff. de legibus. 3. Cùm in neutram partem scripta lex est, neque prohibens, neque permittens, ipsa ob-

ipsa obtinet vim legis, & secundùm eam iudicatur, c. consuetudo, dist. 1. l. sed & ea, ff. de legibus. Quod verum est non tantùm in contractibus, verùm etiam in pœnis. Nec ab ea recedere iudex debet, l. quòd si nolit, §. quia, ff. de ædilit. edict. Auth. qua in prouincia, C. vbi de crim. 4. Si contra ius positiuum, cõstitutionem scriptam, vel legem, inducta sit consuetudo, ipsum tollit, derogat, & præiudicat, vt inquit Gregorius IX. in c. cùm tanto, extr. eod. Licet longæuę consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est vsqueadeo valitura, vt vel iuri positiuo debeat prejudicium generare: nisi fuerit rationabilis & legitimè præscripta. Præscribitur autem in foro ciuili decennio: 40. verò annis in foro Ecclesiæ, in d. c. fin. extr. eod. Bart. & Iason in l. de quibus, ff. de legibus, c. de quarta, extr. de præscrip. c. cũ beneficio: vbi glos. in ver. legitima, de præbendis, in 6.

Quæ Cognata Consuetudinis?

Cognata sunt, omnes constitutiones scriptæ, & statuta, legesque morales, vt supr. tit. de constitutionibus.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, veritas, possibilitas, honestas, mores, & vsus, c. veritate, c. si solus Christus dist. 8. c. diuturni, dist. 12. c. 2. dist. 4.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, contrarius actus, desuetudo, corruptela, & mala irrationabilisq; cõsuetudo, c. fin. & ibi Cano. extr. eod. c. consequens, c. nolite, dist. 11. Abb. in d. l. fin. extr. de consuet.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Consuetudo est, ius quoddam moribus institutũ, quod pro lege suscipitur, cùm lex deficit, c. consuetudo, dist. 1.

Sicuti ratio consuetudinem, ita legem commendat, c. consuetudo, eod.

Ius consuetudinis post naturalem legem exordium habuit, ex quo, homines cõuenientes in vnum, cœperũt simul habitare, c. non est, dist. 6.

Vsus authoritati cedit, prauum vsum, & lex, & ratio vincit, c. 2. dist. 11.

Inuiolabilis consuetudo est, quæ nec humanis legibus nec sacris canonibus obuiat, c. consuetudinis, c. Ecclesiasticus, c. consequens, c. nolite, dist. 11.

Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum cõmendat, c. nouit, extr. eod.

Quod neq; contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate, seruandum, c. illa autem, dist. 12.

Resecanda sunt, quæ neq; authoritatibus, neq; moribus vniuersitatis comprobantur, c. omnia, c. illud, c. nos consuetudinem, c. consuetudo, dist. 12.

Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione cõuelli: ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporis, aut pro consideratione ætatum, oportet temperari, c. fin. dist. 14.

Consuetudo, optima legum interpres est, c. cùm dilectus, extr. eod.

Capitulum sine Episcopo statuta seu consuetudines

dines nouas facere, vel antiquas mutare non potest, c. cùm consuetudinis, eod.

Consuetudo non derogat iuri naturali seu diuino, cuius transgressio peccatum inducit, c. cùm tanto, eod.

Diuturni mores, (modò legibus non aduersi) consensu vtentium approbati, legem imitantur, c. dicitur, dist. 12.

Veritati & rationi consuetudo est postponenda, per tot. dist. 8.

DE POSTVLATIONE Prælatorum.

Titulus V.

Continuatio.

SVnt certi modi, quibus clerici ad dignitatem aliquam euecti, hocipso etiam iudices ad exercendam iurisdictionem dignitati annexã, iuraq; reddenda, constituuntur, vt sunt Postulatio, Electio, Translatio, &c.

Quid Postulatio?

Postulatio est, vnanimis, certa, simplexq; Collegij petitio Antistiti facta eius personæ, quæ aliquo defectu ad regendam, vel administrandam Ecclesiam admitti non poterat, secundùm Abb. in rub. extr. eod.

Quotuplex Postulatio? & quid solennis?

Duplex est Postulatio, solennis & simplex. Solennis est, quæ rectà ad Superiorẽ instituitur, qui omnem postulandi impedimentum remouere potest.

Quid

Quid simplex Postulatio?

Simplex est, quæ nullam solennitatem desiderat, sed ei fit cuius cõsensus ad promotionem Postulati necessarius est, Abb. c. 1. Vt si religiosus ad dignitatem aliquam assumeretur, hoc fieri non potest, nisi consentiente Abbate: imò, vt quidam dicunt, totius Conuentus. quia promotio hæc personæ quandam alienationem inducit, quæ rei alienatione maior est, 16. quæst. 1. c. 5. si quis monachus, c. statuimus, 19. quæst. 3.

Quæ causa efficiens Postulationis?

Causa efficiens postulationis est consensus & voluntas eorũ, qui ius postulãdi & eligendi habent iuncta auctoritate & licentia Superioris, c. etsi vnanimiter, extr. de elect. c. bonæ, 2. §. Cæterũm, extr. eod. c. 1. innotuit, §. vlt. extr. de elect.

Qui habent ius Postulandi?

Ius postulandi habent Episcopus, Abbas, Capitulum, Collegium: & omnes, nisi quibus canones eligendi facultatem non dant, vel ex causa euidenti adimunt: vt sunt omnes, qui elegerint indignum postulandum scienter, id est, malæ vitæ, vel minoris scientiæ, vel illegitimum, c. cùm in cunctis, c. innotuit, c. scriptum, extr. de elect. Secus si postulârint eligendum, tunc non priuantur, cap. bonæ memoriæ, eod. 2. Si recipiunt in Episcopum postulatum, vel electum, cuius nulla est postulatio, vel electio, d. c. bonæ memoriæ, extr. de elect. extruagan. dispendijs, eod. 3. Si sint postulantes in capitulo suspensi, & excommunicati, c. cùm dilectus, de consuet.

4. Si

4. Si nõ eligant intra tẽpus in Lateranensi consi lio constitutũ, de con. prẽb. Et Ecclesiæ nõ va. c. 2. extr. de sup. neg. præla. c. 3. 5. Prohibẽt canones laicis postulare, c. messana, de elect. sac. sanct. 6. Prohibent Capitulo vel Episcopo, qui quidem ob delictum nõ sint priuati iure postulandi, tamen à tertio quodam, qui sua interesse, ne alius postuletur, asserit, interposita appellatione inhibetur postulãdi actus, c. bonæ memoriæ, extr. de elect.

Quod Obiectum?

Obiectum postulationis est, quælibet persona clericalis, quę, vel ratione Ordinis, ætatis, natalium, criminis, irregularitatis: vel ob aliquem similem defectum eligi non potest. Vt sunt laicus, seruus, libertus, adscriptitius, clericus alterius professiõis, Ordinis, & Collegij, monachus professus, vel non professus in alio monasterio constitutus, minor, illegitimus, excommunicatus: & quæuis aliæ personæ irregulares, quæ, ratione irregularitatis à priuilegijs, dignitatibus, & iuribus clericis cõpetentibus arcentur. Quarum 18. recenset Innocent. in c. etsi vnanimiter, extr. eod. 58. dist. c. 2. & c. officij, extr. de elect. c. monasterium, extr. de elect. c. innotuit, de elect. c. cùm inter, de elect. c. si quis, 15. quæst. fin. c. Tantis Daniel, dist. 81.

Quæ Forma?

Forma postulationis eadem est, quæ in electionibus, quoad hoc, vt per scrutinium, vel cõpromissum fiat, Abb. c. quia propter, colum. 3. de elect. Debet etiã persona ineligibilis per verba,

(postulo eligẽdum) vel (eligo & postulo,) prout potest melius de iure valere, (si dubitetur, an eligi vel postulari possit,) postulari ab his, ad quos spectat confirmatio. Nam qui confirmandi authoritatem habet, is & postulationem admittere potest, dum maior non sit defectus, quàm ab ipso tolli queat: ideò rectè ab illis postulatur, qui & ratione dignitatis dispensare possunt, vt ad Episcopatum postulatur quis à Papa, ad alias dignitates ab Episcopis. Clericus alterius professionis seu ordinis, postulandus ab Episcopo, Prælato, Abbate, & Conuentu, quorum consensus coniunctim & diuisim in promotione religiosi requiritur, c. 2. distin. 58. Clem. perpetuò, eod. §. sub ea.

Quæ causa Impulsiua?

Necessitas & vtilitas. Necessitas quidem: vt si nullus sit in Collegio, cui tutò vacãs præfectura committi possit: alioquin enim postulatio non concederetur. Quia, quandiu in eadẽ Ecclesia idoneus reperitur, non debet aliunde postulari, c. nec emeritis, dist. 61. & c. nullus inuitus, eod. Vtilitas autem: vt si spectata probitas, insignis pietas, literarum doctrina, magnus rerum vsus, morum vitæque integritas Postulati, eum dignitati vel officio præfici suadeãt, c. ad hoc, & c. bonæ memoriæ, extr. eod.

Qui effectus Postulationis?

Effectus postulationis est, quòd in Postulatum transfundatur ius & potestas regendi, constituendi, instituendi, & confirmadi, aliaque,

pro

pro cuiusque Postulati dignitate & conditione: Non secus, ac si electus vereque confirmatus esset, Abb. cap. 1. col. fin. num. 34. de postul. Quod in solenni postulatione verum est: in simplici tamen postulatione adhuc electione & cõfirmatione opus est, cùm ea secum non trahat.

Secundus effectus est, quòd cùm Postulatus omnium postulantium accommodato consensu ius consequatur, simul omnibus postulantibus ius reuocandi adimatur: ita, vt sine Superioris licentia, & permissu à postulatione recedere non possint, argumento, bonæ memoriæ, extr. eod.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, nominatio canonica, solennis electio, translatio, prouisio.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, inquisitio, confirmatio, præsentatio, institutio, postulationis receptio & admissio, gratia, consecratio, & examinatio.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, vitium formæ, graue peccatum, non acta pœnitentia Postulati, pernities Reipublicæ, & inde exurgens iniquitas, quam postulatio continere videtur, si in ea priuata vtilitas communi, & maiori bono Reipublicæ & Religioni præferatur.

AXIOMATA.

Frustrà legis auxilium inuocat, qui committit in legem, c. bonæ memoriæ, extr. de elect.

Quilibet eligi potest, qui, sine alterius requisitione, electioni de se facta consentire potest, c. 1. extr. eod.

Interrogatus non respondens pro confesso habetur, c. 1. eod.

Approbatio postulationis & Postulati, pro electione & confirmatione habetur: ideò datur Episcopis transeundi licentia sine confirmatione alia, c. bonæ, eod. c. in causis, de elect.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE. *Titulus VI.*

Continuatio.

PEr electionem clerici in sacris ordinibus dignitatis gradus conscendunt, in quibus constituti non tantùm ea, quæ Ordinis, sed etiã quæ Iurisdictionis sunt, post cõfirmationem & consecrationem acceptam exercent. Modus igitur alter conferendæ dignitatis, constituendiq; iudicis, est electio.

Quid est Electio?

Electio est personæ cuiusdam dignæ Ecclesiasticæ, per eos, qui ius eligendi habent, ad præfecturam, vel dignitatem canonicè facta vocatio, glos. c. 1. de post. prælat. in 6.

Quotuplex Electio?

Canonica electio ratiõe formæ accipitur strictiùs, strictè, & largè. Strictè vbi omnia interueniunt, etiam quæ sunt de solennitatibus, quæ à iure præcipiuntur. Et sic loquitur c. 63. dist. c. 1. Strictè, vbi omnia interueniunt, non quæ sunt de solennitate, secundùm c. quia propter, eod.

sed

sed quæ sunt de substantia. Largè autem dicitur canonica, quæ scilicet secundũius naturale, vbi nulla est seruata forma, sed tantùm consensus eligentium & electi interuenit, & non causæ, ex quibus fit nulla electio, c. considerauimus, eod. Dicitur etiam electio ratione formæ duplex. Quia vel fit per compromissum, vel per scrutinium, vt infrá.

Quot modis dicitur Electio, ratione Obiecti?

Dicitur electio multiplex ratione obiecti. Est enim electio, vel summi Pontificis, vel Imperatoris, vel Episcopi, vel Abbatis, Abbatissæ, aliorumq; Prælatorum.

Quid electio summi Pontificis?

Electio summi Pontificis fit per Cardinales, si non maior, vt in alijs electionum speciebus, sed duæ partes, cùm ad Superiorẽ recursus haberi non possit, in vnum consenserint, c. vbi periculum, de elect. in 6. c. licet, de vitanda, de elect.

Quomodò fit electio Imperatoris?

Electio Imperatoris est, quæ fit p tres Archiepiscopos, & quatuor principes laicos, quos electores vocant Germaniæ. ita, vt si maior vel sanior pars in vnum consenserit, is præferatur, c. venerabilem, extr. de elect.

Quomodo fit electio Prælatorum?

Electio aliorum Prælatorum fit, vel per Papam, vel suffragijs Capitularium, vel Conuentualium Collegij, ex quo Prælatus desumitur.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens electionum sunt, vota, eorum, qui in qualibet electionis specie ius suffragiorũ

habent, iuncto electi consensu. Vt in electione Papæ Cardinales: in electione Imperatoris septē Principes Germaniæ: in electione aliorum Prælatorum, Papa, Capitulum, Conuentus: dummodo in Collegio, cui pastor vel prælatus quæritur, sint idonei; non impuberes, excommunicatione, vel suspensione illegitimi, inordinati, nō professi, c. nemo, &, c. ex eo, de elect. in 6. Nota tamen, quòd Cardinales per exceptionem excōmunicationis, suspensionis, vel interdicti ab electione Pontificis non repellantur, Clem. ne Romani, §. cæterùm, eod.

Quod Obiectum Electionis?

Obiectum electionis est, quęuis persona eligibilis. Dicitur autem eligibilis persona de Collegio, à quo electio celebratur, vel si ibi idonea p̄sona non inueniatur, de alio, cuius meritis, quæ in scientia moribus, ordine, vita, ætate, & natalibus consistunt eligentes permoti ad eligēdum procedunt, c. cùm in cunctis, 36. dist. c. in nomine Domini, §. eligatur, dist. 23. vbi glo. verb. gremio. is enim, qui ad dignitatē vel præfecturam assumitur ex legitimo matrimonio triginta annorum, item grauitate morum, & literarum scientia conspicuus esse debet: minor enim 14. annis, illiteratus, excommunicatus, vel ob delictum suspēsus & illegitimus promoueri nō possunt, 24. dist. c. qui Episcopus, 38. dist. c. omnes, c. vltimo & penul. de ætate, & quali.

Quæ Forma?

Forma electionis duplex est, vel enim fit electio per scrutinium, vel per compromissum.

Quo-

Quomodo Electio fit per Scrutinium?

Per scrutinium fieri dicitur, si, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretò & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli consentit, c. quia propter, eod. Hic enim ordo obseruatur: vt si per scrutinium electio instituatur, 1. omnium, qui ius suffragiorum habent, fiat congregatio, 2. scrutatorum constitutio. 3. votorum exquisitio. 4. scrutinij publicatio. 5. votorum collatio. 6. collationis publicatio. 7. electionis celebratio. 8. electionis decretum. 9. decreti præsentatio. 10. electi inquisitio. 11. electi cõfirmatio. 12. electi cõsecratio. Quorum omnium breuis, & ad electionis ex scrutinio formam intelligendam accommoda declaratio, ex subiectis descriptionibus patebit.

Quid est Congregatio?

Congregatio est, in loco idoneo ad hoc electionis negotium obeundum destinato, eorum, quibus eligendi potestas est, conuentus, c. in nomine, §. eligatur, vers. fieri, dist. 23. c. cùm congregatio, eod.

Quid est Constitutio?

Constitutio est, quorundam de Collegio, ad sententias omnium Collegarum secretò & sigillatim exquirēdas & describendas ordinatio, d. c. quia oportet.

Quid est Exquisitio?

Exquisitio est, suffragiorum eligentium secretò & sigillatim facta inuestigatio.

Quid est Publicatio?

Publicatis, est, cōsensuum per inquisitionem descriptorum manifesta recitatio, c. cùm post petitam, eod.

Quid est Collatio?

Collatio, est numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meritorum ad merita, eorum, qui elegerint, facta comparatio, c. dudum, & c. in Genesi, eod.

Quid collationis Publicatio?

Collationis publicatio est maioris & sanioris partis votorum, inquantùm aliorum votis numero & zelo, meritisqúe præpolleat, declaratio.

Quid Decretum?

Decretum est, scriptura publica per Tabellionis, vel alicuius authenticæ personæ, manum confecta, omniumqúe de Collegio sigillis subsignata. Qua tota series & forma electionis nomina eligentium & consentientium, subscriptionesq; cuiuslibet continentur, cap. Episcopus, 61. dist. c. innotuit, extr. de elect. 63. dist. c. vota, 1. q. 2. c. si quis aūt, c. cùm inter canonicos, extr. eod.

Quid

Quid Decreti Præsentatio?

Decreti præsentatio, est scripturæ publicæ, cui electionis series inscripta est, electo infra 8. dies facta oblatio.

Quid electi Inquisitio?

Electi inquisitio est, ab eo, qui ius confirmandi habet, in personæ præsentatæ mores, scientiam, ætatem, conuersationemqúe: num muneri, cui præficiendus est, idonea sit? diligens facta inuestigatio, c. si fortè, in 6. c. in cũctis, c. dudum, extr. eod.

Quid est Confirmatio?

Confirmatio est, approbatio promoti ad dignitatem, post examinationem electionis eiusq; processus & personæ electi ab immediatè Superiori facta. Abb. c. cùm Ecclesia, num. 8. extr. de elect.

Quid Consecratio?

Consecratio fit, vnctione capitis & manuum, Chrismate, solennibus verbis, precibusq; additis, examinatione etiam præuia: qualem Carthaginense concilium IIII. præmonstrauit. Et quidem hora 3. Dominicæ lucis, forma illa solenni seruata, quæ alibi edocetur, glos. & Abb. de sac. vnct. &, c. Episcopus, 23. dist. seu silvest. vers. consecratio.

Quomodo per compromissum Electio celebratur?

Ex compromisso celebratur electio, si eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant

deant de prælato vèl paſtore, d.c. quia oportet, c. cùm dilectus, c. cùm in iure, eod. Et in hac electione ordo ferè idē, qui in electione ex ſcrutinio, obſeruatur.

Quid Electio per Spiritum ſanctum, vel inſpirationem?

Eſt & alia electio, quæ ratione diuinæ cuiuſdam concordiæ, ſiue præſcripta forma ſeruata ſit, ſiue non, per inſpirationem dicitur. Et celebrari fertur, quando ſubitò omnes eligētes quaſi diuino numine afflati ſuos conſenſus vnanimiter in vnum dirigunt. Ad quam requiritur, vt abſque vitio ſimoniæ, conſpirationis, coniurationis, requiſitionis, vel conſenſus extra capitulum habiti proceſſerit, Cano. in d. c. quia propter, eod. & c. cùm poſt petitam, eod.

Qui modus eligendi Pontificem, Imperatorem, & Abbatiſſam?

Speciales etiam formæ, ſolennia, & modi eligendi, examinandi, adprobandi, conſecrandi, coronandi, præſcribuntur in electione Imperatoris, in c. venerabilem, extr. de elect. Sūmi quidem Pontificis, in c. vbi periculum, §. hoc ſacro, eod. in 6. Et Abbatiſſæ, in c. indemnitatibus, §. ſanè, extr. eod.

Qui effectus Electionis?

Effectus electionis conſideratur circa alterā partem Rubricæ, ſcilicet, electi poteſtatem. Eſt autem illa poteſtas ferè nulla ante confirmationem. Quia clericus ad Epiſcopatum, vel præfecturam

cturam electus, nondum confirmatus, neque beneficia conferre, neq; alia, quæ muneris sui sunt, administrare potest, c. nosti, c. cùm vobis, &, c. quod sicut, §. super, extr. eod. Sed per confirmationem, nedum cõsequitur potestatem exercendi ea, quæ sunt Ordinis, sed tantùm ea, quæ sunt iurisdictionis, Abb. c. qualiter, extr. eod. & c. auaritiæ in 6. eod. Sed per consecrationem, qua fœdus coniugij spirituale, quod est inter Episcopũ & Ecclesiam, intelligitur consummatum: quod electione fuerat initiatum, & confirmatione ratificatum, plenam potestatem administrandi ea, quæ sunt iurisdictionis & ordinis adipiscitur, c. transmissam, & ibi glos. eod.

Quæ dicuntur esse Iurisdictionis?

Iurisdictionis esse dicuntur veluti potestas iudicandi, excommunicandi, corrigendi, iurãmenta à vasallis accipiendi: item confirmandi, inuestiendi, beneficia conferendi, & quę his sunt similia.

Quæ dicuntur Ordinis?

Ordinis sunt, quæ maioris inquisitionis discussionem exigunt, in quibus censentur clericorum ordinatio, & depositio actualis, Chrismatis confectio, virginum benedictio, Ecclesiarum & altarium consecratio, & similia.

Infra quod tempus Confirmatio post electionem peti debet?

Infra quod tempus autem peti debeat Cõfirmatio,

matio, varia iura diuersis temporibus fuerunt obseruata: circa quæ vide glos. fin. c. quàm sit, de elect. in 6. Crebriùs tamen posterioribus constitutionibus obtentum, vt confirmatio infra 3. menses, Consecratio autem infra 6. peti & expediri debeat; aliàs promoti per electionem Ecclesijs ipso iure priuantur, c. 2. vbi Abb. num. 22. de transf. Epis. c. 1. & 2. dist. 73. & c. 1. & 2. dist. 100. Abb. in c. cùm in cunctis, §. cùm verò, eod. Trid. cons. cap. 9. sess. 7. & 23.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, postulatio, nominatio canonica, translatio, collatio, institutio, prouisio, præsentatio.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, citatio, decretum, collatio, præsentatio, deuolutio, dispensatio, suffragia, examinatio, inquisitio, approbatio, confirmatio, consecratio, iuramentum fidelitatis.

Quæ Pugnantia?

Pugnãtia sunt, omnes modi, quibus electio non procedit, sed ipso iure nulla, vel ex post facto irrita sit. Quod vel ratione formæ, vel facto eligentium, vel electi contingit.

Qui sunt modi infirmandæ electionis, ob vitium Formæ?

Modi infringendi electionem, ob vitium formæ, sunt:

1. Si electionem collatio nõ præcesserit: vel quæ facta

facta est à maiori parte capituli, vel quæ non fuit communis, c. in Genesi.

2. Si electio post collationem ex interuallo celebrata sit, c. cùm post petitam, & c. Romana Ecclesia, extr. eod.

3. Si instituatur electio ex scrutinio, & contra præscriptam scrutinij formam celebretur electio, d. c. quia propter, & c. in Genesi, eod.

4. Si compromissarius, secundùm traditam sibi metam, exquisitis & in scriptis redactis voluntatibus singulorum, illum eligat, in quẽ non maior pars capituli, sed plures aliorum computatione cõsenserunt: non tenet electio, cùm præter formas Concilij fuerit celebrata, c. si cui eligẽdum, extr. eod.

Quomodo ratione eligentium nulla dicitur Electio?

Ratione eligentium nulla dicitur, vel infirmatur, electio.

1. Si per alios, quàm per collegium, cui eligẽdi potestas est, electio fiat, c. 1. extr. eod.

2. Si ad clamorem populi facta sit: quia possunt ad hoc plures prẽmio & mercede corrumpi, c. Osius Episcopus, eod.

3. Si Pontifex non à duabus partibus Cardinalium, nulla exceptione obstãte, vel alius Prælatus non per maiorem & saniorem partem fuerit electus, c. licet, c. auditis, c. si quando, eod.

4. Si non ex libertate, sed coactione eligentium fiat, c. cùm terra.

5. Si ab ijs, qui suspensionis censurâ notati sunt, c. cùm inter.

6. Si

6. Si contempta minore parte, electio fiat per partem maiorem, c. quòd sicut. Ratio est in c. bonæ memoriæ: plùs enim consueuit in talibus cõtemptus vnius obesse, quàm multorum contradictio in præsenti.

7. Si maior pars postulantium, & minor eligẽtium in indignum sit, & hoc ignorent postulantes, c. scriptum, eod.

8. Si non per eos, qui ius eligendi habẽt, & præsentes sunt, sed per eorum procuratores electio celebretur, d. c. quia oportet, §. illud autem.

9. Si electio Pontificis per laicos & canonicos iure consuetudinario, vel nullo iure facta sit, c. Massana, eod.

10. Si simoniacè, siue sciente, siue ignorante electo, electio celebrata fuerit, c. si alicuius, eod.

Quibus modis Electio non subsistit ex parte Electi?

Ex parte electi non subsistit electio variè.

1. Si electus non præstet fidelitatis & obediẽtiæ iuramentum, c. significâsti.

2. Si schismaticus ad vnionem Ecclesiæ reuersus, non subsecuta, per dispensationem, confirmatione electus sit, c. quia diligentia.

3. Si electus ad dignitatem triginta annorum non sit, c. cùm nobis, c. cùm in cunctis.

4. Si ex nefario & vetito coitu, vel non legitimis nuptijs natus, c. innotuit, d. c. cùm in cũctis.

5. Si non sit sufficiẽti scientia, vel morum integritate præditus, c. qualiter, c. dudum.

6. Si ante confirmationem Superioris res sa-

cras

cras administret,c.nosti,c.cùm nobis,c. quòd sicut,§.super,eod.Quod verum est, siue administret per se,vel per alium,in totum, vel pro parte,sub quocunque prætextu,c.auaritię,in 6.eod. & extrau ag.in iiunctæ,eod.

7.Si non professus eligatur ad regimen Eccle siæ regularis,c.cùm causam,c.nullus,eod.

8.Si Abbas electus non instructus regula monachali,c.officij sui.

9.Si eligendus consenserit electioni de se factæ per abusum potestatis secularis, c. quisquis, extr. eod.

10. Si electus habeat plures dignitates,& plura beneficia curata, sine dispensatione Papæ, c. dudum,c. vt quis, in 6.

11.Si,dato pretio, vel factis promissis, se curet eligi,c.si alicuius.

12.Si electus intra vnum mensem electioni non consenserit,vel, post accommodatum consensum, intra tres menses confirmationem non petierit,c.quàm sis Ecclesijs,in 6.

13.Si quis religiosorum ad præfecturam extra administrationem sui Ordinis electus sit, c. quorundam,in 6.

14.Si quis clericorū ad duas prelaturas simul electus fuerit, vna apprehēsa,electio alterius corruit,c.vt quis duas,eod.

15.Si electi vitium reueletur,quod anteà erat occultum,eò quòd si notum fuisset,eligi non potuisset,c.si electio, in 6.

16.Si electus,præbito consensu,renuntiet electioni de se factæ,d.c.si electio,in 6.

17.Si post cōsensum electioni datum vitam

cum

cum morte commutet, d. c. si electio, in 6. de elect.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Vnus est Electionis actus, licet habeat plures partes: scilicet, initium, in scrutinio vel compromisso, medium, in collatione, & finem, in publicatione electionis, c. Ecclesia, extr. eod.

Si confirmationem electionis, propter debitam iuris solennitatem in confirmatione ipsa omissam: vel ex eo, quia is, qui confirmauit, eam potestatem confirmandi non haberet, irritam nuntiari contigerit, nō propterea præcedens electio canonica infirmatur, c. si confirmationem, de elect. in 6.

Electio ad Episcopatum fieri debet digno scientia, moribus, ætate, & natalibus, c. si forte, in 6. c. cùm in cūctis, c. dudum, eod.

Par in parem non habet imperium, c. innotuit, eod.

Canonicis cathedralis Ecclesiæ ipso iure, vel per sententiam (præterquàm in casu negligentiæ) eligendi potestate priuatis ad Papam ius deuoluitur eligendi: in inferioribus Ecclesijs semper ad proximum superiorem, c. quanquàm malitijs hominum non est indulgendum, c. auaritiæ, §. cùm itaque, eod.

Vota conditionalia & incerta in electionibus reprobantur, & habentur pro non adiectis, & recidunt in purè consentientes, c. in electionibus, eod. in 6.

Per confirmationem electionis non transfertur potestas exercendi ea, quæ sunt ordinis, quia illa transferuntur per consecrationem, c. transmissam, eod.

Non

Non solùm in temerarijs, sed etiam illicitis iuramentis, licet contrauenire, sine authoritate Superioris, si necessitas vrgeat, vel nõ posset haberi Superior, à quo petatur absolutio, eod.

Contradictio, pro consensu, non habetur, vbi expressus non requiritur, eod.

Qui confirmandi ius habet, si eligat, confirmâsse videtur, arg. 67. dist. c. in synodo.

In electionibus, eligentium numerus, qui consistit in quantitate: & auctoritas, quæ consistit in partibus, in qualibet dignitate, maioribus ordinibus, prouectiori ætate, & tempore ordinationis attendi debent, 74. dist. c. Episcoporum.

Vbi periculum maius intenditur, ibi plenius consulendum, c. vbi periculum, eod.

Potestas data compromissario, ad eligendum Prælatum, re non integra, non potest reuocari: & desinit esse res integra, postquam compromissarij cœperunt habere tractatum, c. in causis, & c. cùm dilectus, eod.

Nemo rei, in qua se ius habere credit, renunciare præsumitur, c. licet.

Quod nullum est, impedimentũ non præstat, c. considerauimus, eod.

Iura iuribus concordare, & correctiones legum vitari debent, c. cùm expediat, in 6. eod.

Vbicunque electio est nulla, propter personam electi, tum ipso iure eligentes priuati erunt potestate eligendi: non autem, si propter defectum formæ electio sit nulla, c. quia propter, extr. de elect.

Qui permittitur electioni de gratia intereſſe, nec ius, nec commodum aliquod ſibi acquiritur, c. ſolicitudinem, extr. de appellat.

Cardinalium pacta, obligationes, iuramenta, quæ data vel facta ſunt, de aliquo eligendo in Summũ Pontificem, inania ſunt, c. vbi, §. cæterùm, eod.

DE TRANSLATIONE EPIſcopi. Titulus VII.

Continuatio.

QVandoque Prælatus Eccleſiam, cui electionis celebratæ vigore præfectus, deſerit, & ad aliã paris dignitatis conſequendæ officijqúe in ijs, quæ ordinis & iuriſdictionis ſunt, exercendi gratia, vtilitate, & neceſsitate Ecclſiæ flagitante transfertur.

Tranſlatio quid eſt?

Translatio eſt, cuiuslibet perſonæ in ſacris Ordinibus conſtitutæ, quæ poſtulari poteſt ab vna Eccleſia ad aliam, cauſa neceſsitatis, vel vtilitatis conſenſu ſuperioris Prælati facta trãſpoſitio, 8. quæſt. 1. per totũ, & 21. quęſt. 2. per totũ, c. cùm ex illo, c. inter corporalia, extr. de tranſlat. c. gratum, extr. de poſtulando.

Quot modis accipitur Tranſlatio?

Translatio, accipitur genericè & ſpecificè. Specificè quidem, ſi de ſolo Epiſcopo intelligatur, vt hoc titulo. Genericè autem, vt de omnibus perſonis Eccleſiaſticis, quæ poſtulari poſſunt,

possunt, intelligatur, sic nõ tantùm Episcopus, verùm etiã Cardinalis, Archiepiscopus, Abbas, Prępositus, & quiuis beneficiatus transferri potest, c. dilectus, de præbend. c. scriptum, extr. de elect. c. bonæ, extr. de postul. c. cùm venerabilis, extr. de consuet. c. dudum, de elect. c. admonet, extr. de renunciat.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens, si Cardinalis, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, vel Præpositus transfertur, est, solius Papæ authoritas, c. inter corporalia, extr. eod. Sin autem beneficiatus transfertur, authoritas immediatè superioris Prælati, ad cuius diocœsim quis transfertur, iuncto consensu clericorum, à quibus transfertur, c. admonet, extr. de renunciat. c. eo libentiùs, extr. de ser. non ordinand. c. fin. extr. de cler. perer. c. ex frequentib. extr. de institut.

Quod Obiectum Translationis?

Obiectũ translationis est, persona, quæ transfertur, sc. Cardinalis, Archiepiscopus, Abbas, Prępositus: & quilibet beneficiatus, qui postulari potest, c. dilectus, de præben. c. dudum, de elect.

Quæ Forma?

Forma est, vt ab Ecclesia, cui transferẽdus adstrictus erat, per absolutionem liberetur facultas transeundi, per dimissorias literas concedatur, & pallium ad nomen & vsum eiusdem Ecclesiæ, si translati dignitas hoc requirat, trãsmittatur, c. bonæ memoriæ, 2. §. fin. extr. de postul. c. gratum, in fin. &, c. in causis, extr. de elect. c. 1. 21. quæst. 2.

Quæ causa Impulsiua?

Est necessitas & vtilitas, quibus cessantibus, translationis actus non facilè celebratur.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, vt Ecclesiæ necessitati personis dignis rectè succurratur.

Qui Effectus?

Effectus primus est: per translationem spirituale cõiugium, quod inter Episcopũ & Deum est, dissoluitur, transferẽdusq; omnimodò à prima Ecclesia liberatur, & eximitur, c. inter corporalia, extr. eod. c. si quis, 21. q. 2. c. bonę memoriæ, §. fin. extr. de postulan.

Secundus: translatus eandẽ potestatem consequitur, perinde ac si concordibus eligentium suffragijs esset electus, & per Pontificem, vel alium Superiorem, præstito fidelitatis iuramento, confirmatus, d. c. inter corporalia, extr. eod.

Tertius: translatus Ecclesiam, à qua discedit, repetere non potest: nec quid cum ea post translationem commune habet, 7. quæst. 1. c. eos, de renun. c. quod in dubijs, 21. quæst. 2. c. si quis iam translatus.

Quæ Cognata?

Cognatâ, quoad discessionẽ ab Ecclesia, sunt, depositio & cessio, renunciatio, resignatio: Sed quoad adeptionem alterius, electio & postulatio. Conuenit enim translatio cum electione, & postulatione: quòd sicut vnanimi Capituli, vel maioris partis, consensu clericus ad Episcopatum, vel aliam præfecturã, per electionem, euehitur,

hitur, ita translatus per Papam (qui in hoc Capituli suffragia, necessitate, vel vtilitate ita suadente, sedis Apostolicę authoritate supplet,) per translationem, dignitatem, vel Ecclesiam aliam consequitur. Conuenit cum depositione & cessione, renunciatione, vel resignatione: quòd pari ratione, sicuti ipsis, coniugium spirituale, per translationē, separetur, c. inter, c. licet, extr. eod.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia translationis sunt, postulatio, authoritas Superioris, dimissoriæ literæ, honos, onus, necessitas, vtilitas, examinatio, præsentatio, absolutio liberatio, c. 1. &, c. 2. 21. quęst. 2. d. c. inter, §. sicut autem, extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, temeraria transitio, depositio ob crimen facta, concupiscentia alterius dignitatis, beneficij, vel officij, per ambitionem & auaritiam, pernicies Reipublicæ & religionis, c. quanto, extr. eod. c. quoniā, &, c. si quis, 21. q. 2.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Inter spiritualia & corporalia hæc differentia est, quòd corporalia facilius destruantur, quàm construantur: spiritualia verò facilius construantur, quàm destruantur, c. inter corporalia, extr. eod.

Sicuti carnale coniugium Deus solo suo iudicio dissoluendum reseruauit, ita etiā spirituale, d. c. inter corporalia, c. quanto, eod.

Parium est eadem iuris dispositio, & iudicium, c. inter, c. sicut ergo, extr. eod.

Nonnunquam intelligitur prohibitum, quod nō inuenitur conceſſum, d. c. inter corp. §. vnde ſi, extr. eod.

Non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, c. inter, §. cùm quis, eod.

Gradatim honores ſunt deferendi, c. legimus, 93. diſt.

Translationes Epiſcoporum, & ſediū mutationes ad ſummum Apoſtolicæ ſedis Pontificem de iure pertinēt: nec ſuper his quicquam, præter eius aſſenſum, debet immutari, c. 1. extr. eod.

DE AVTHORITATE ET vſu Pallij.

Titulus VIII.

Continuatio.

LIcet Prælatus inferior electus poſtulatus, vel translatus, poſt confirmationem & cōſecrationem, plenius officium ſibi demandatum exercere poſsit: ſunt tamen Patriarchæ, Archiepiſcopi, & quidam Epiſcopi, qui pleniſsimam offi cij & dignitatis adminiſtrationem (niſi impetrato Pallio à Superiore) hocipſo, quòd electi, poſtulati, vel translati ſunt, conſecuti minimè dicuntur.

Quid eſt Pallium?

Pallium eſt, inſigne ornamentum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Metropolitarū, & quandoq; etiam Epiſcoporum, plenitudinē Pon-

Pontificalis officij, cum translatione dignitatis designans, 25. quæst. 3. c. in Galliam, c. nisi specialis, &, c. cùm sis, eod. Abb. in rub. eod. tit.

Qui tradunt Pallium?

Pontifex in quatuor principes Patriarchas, videlicet, Constantinopolitanum, Antiochenũ, Alexandrinum, & Hierosolymitanum, solus cõferendi potestatem habet. In cæteros verò inferiores Episcopos, ipsi quatuor principes Patriarchæ conferre possunt, c. antiqua de priuileg. Ex quibus intelligitur, qui Pallium impetrant, & quibus tradi solitum sit. Impetrant Pallium quatuor Patriarchæ, Archiepiscopi, Metropolitani, & quandoq; Episcopi, Abb. in rub. eod. tit. c. duo simul, extr. de off. ordi. 21. quæst. 2. c. 1. 2. & 3. Et quædam Ecclesiæ ex priuilegio personali, c. cùm in iuuentute, extr. de præsump.

Quæ Forma tradendi Pallium?

Forma, modusq; tradẽdi Pallium, est, vt post præstitum Sedi Apostolicæ sacramentum Ponti fex, vel, quatuor Patriarchæ, in plenitudinem põtificialis dignitatis instanter petenti tradant, vt eo, infra Ecclesiam, vel prouinciam suã, dieb. qui exprimuntur in priuilegijs Ecclesiæ suæ cõcessis, vtatur, vt habetur ca. 1. extr. eo. c. ad honorem, extr. eod. c. significâsti, extr. de elect. c. optatum, c. ex tuarum, extr. de autho. Pallij.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis traditionis Pallij est, vt plena

dignitatis administratio, quæ sunt: Cõsilium vocare, Chrisma facere, basilicas dedicare, clericos ordinare, Episcopos consecrare, & similia, trãsferatur, c. ex tuarum, extr. eod.

Qui Effectus?

Effectus primus est: In Patriarchis plenissima, in Archiepiscopis plenior, & in Episcopis plena pastoralis officij exercendi permissis, infra prouinciam suam diebus potestas, c. antiqua, extr. de priuileg. c. nisi, &, c. honorem, extr. eod. & exempla habentur, d. c. ex tuarum, extr. eod.

Secundus effectus est: Vsus nominis Patriarchalis, Archiepiscopalis, & Episcopalis, c. cùm super, c. ad hæc, &, c. ex tuarum, c. nisi specialis, extr. eod.

Quæ Cognata?

Cognata traditionis Pallij sunt, consecratio & confirmatio: quia, sicuti traditio Pallij superioribus, ea, quæ sunt suæ dignitatis, ita illa inferioribus Episcopis, ea, quæ sunt ordinis & iurisdictionis exercendi, tribuit potestatem, c. cùm sis, extr. de elect.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, præstatio obedientiæ, & fidelitatis iuramentum, instans petitio, præfixio temporis vtendi Pallij, literæ traditionis Pallij, extrauag. iiunctæ, eod.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, manifesta impietas, peruersitas, mors impetrantis, & obiectio criminis, quod

quod probationibus promptis ostendi possit. Quoniam traditionem Pallij obiectio criminis non remoratur, nisi obijciens præmisso iuramẽto, de obiectis promptã fidem faciat, extrauag. malitijs hominum, eod. Prompta autem fides hoc in casu fieri dicitur, si intra bimestris temporis spacium, à die collationis numerandum, quod opponit legitimè probauerit, d. extrauag. malitijs, §. promptam, de autho. Pallij. Sanxit etiam Bonifacius VIII. quòd, qui apud sedem Apostolicam Pallium recipiunt, absq; literis traditionis Pallij non discedant, aliàs prouentibus, potestatecq; administrandi ea, quæ Pallij concessio tribuit, priuantur, extrauag. iniunctæ, §. illi etiam, de elect. Morte etiam eius, qui Pallium impetrauit, potestas tributa per Pallium, quod vltra personam non prodest, extinguitur, c. 2. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Cum augmento honoris Pallij, crescere debet cura solicitudinis pastoralis, vt ornatui vestium, actionum conueniant ornamenta, c. diu, §. priuilegia, & c. sequenti.

Augeri debet vtilitas, per dignitatem, 24. q. 1. c. qui, contra.

Pallium dandum est, cum concessione noui priuilegij, & renouatione antiqui, d. c. diu, §. priuilegia.

Pallium non est de substantia collationis ordinum de natura sui, sed tãtum ratiõe priuilegij, quod extra prouinciam commissam non extenditur, 1. extuarum, ext. eod. & ibi Abb.

Archiepiscopus alteri Archiepiscopo Pallium suum accommodare non potest, c. ad hæc, eod.

Archiepiscopus extra suam prouinciam, Pallio vti non potest, etsi hoc habeat consuetudo, d. c. ex tuarum, eod.

DE RENVNTIATIONE.

Titulus IX.

Continuatio.

COntingit, Prælatum iuri, ex postulatione, electione, vel translatione, sibi competenti renuntiare. qui renuntiandi actus ab Ecclesia, in qua Prælatus præfecturam, vel dignitatem obtinuit, exemplo trãslationis, discessionẽ inducit.

Quid est Renuntiatio?

Renuntiatio est abdicatio dignitatis, personatus, prælaturæ, beneficij collati, vel iuris sibi competentis, ex causa Capitulo, vel Superiori permittenti facta, c. cùm inter, c. ad supplicationem, c. admonet, extr. de renunt.

Quotuplex Renuntiatio?

Est Renuntiatio duplex, spontanea & coacta. Spontanea dicitur, quando renuntians libera voluntate, legitimam ob causam, & ad cessionem sufficientem in manus Superioris resignat, c. super hoc, extr. eod.

Quid Coacta?

Coacta est, quæ non sponte, sed vi, metu, oppres-

oppreſsione,interuẽtu pecuniæ, vel illicita promiſsione(quæ ferè ſemper à malo eſt) & nulla iuſta ex cauſa,extorquetur, d. c. ſuper hoc, extr. eod. Clem. ſi te præbendam,eod.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiens ſpontanẽę renuntiationis eſt, volũtas perſonæ,ad quam ius,cui renuntiatur, ſpectat,c.ad Apoſtolicam,&, c.ſtatuimus,ext.de regula,c.vlt.extr. de crimine falſi.

Quæ Materia?

Prælaturæ beneficium, ius proprium quod in præſenti competit,& in fauorem renuntiantis introductum eſt,non,ſi fuerit alienũ,non cõpetẽs,&in odium aliorũ,vel totius Collegij,vl vniuerſitatis inductũ fauore. Vnde clericus priuilegio,quod habetur in c.ſi quis ſuadente,17.q. 4.non renuntiat.Et regulare eſt, quòd iuri alieno,vel non competenti renuntiari non poſsit,licet ius competiturum pacto remittatur, vt tradit Alc.in l.1.C.de pactis.

Quæ Forma?

Forma renuntiationis ſpontaneæ eſt, vt renuntians permiſsu Superioris iuſtæ cauſæ impellentis recitatione in manus eius,ius ſibi competens,liberè & ſpontè per verbũ reſignationis ſimpliciter,vel adhibito iuramento reſignet.Vt ſi Epiſcopus ſit:in manus Papę,ſi Prę̨latus:in manus Epiſcopi,ſi clericus:in manus Epiſcopi, Capituli,vel Prælati,huiuſmodi beneficiũ, cui renuntiatur,conferendi,confirmandi, & inſtituẽdi poteſtatem habentis,c. quod in dubijs, extr. eod.18.quæſt.2.c.abbas.7.quæſt.1.c.non oportet, 33.quæſt.5.c.mulier.

Quæ

Quæ cauſæ iuſtæ Renunciandi?

Iuſtæ cauſæ, ob quas à Superiore recipienda eſt renunciatio, ſunt ſex: ſcilicet, conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, graue ſcandalum, & perſonæ irregularitas. Comprehenduntur q; his verſibus:

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcãdala, cedere poßit.

c. poſt translationẽ, &, c. niſi iam pridẽ, extr. eod.

Cuius criminis conſcientia admittit Renunciationem?

Primò igitur conſcientia criminis præſtat cedendi licentiam, non cuiuslibet, ſed duntaxat illius, propter quod, ipſius officij executio, poſt peractam pœnitentiam, impeditur: vt eſt ſimonia, 1. q. 1. c. erga ſimoniacos. Notatur de hoc in c. penul. &, c. apoſtata, extr. de apoſt. c. fin. &, c. ſchiſma, de ſchiſ. c. 1. vbi notatur, 7. quæſt. 1. c. factus, 16. quæſt. 7. c. ſi quis dei inceps.

2. Si in electione non ſit ſeruata Forma, in c. quia oportet, extr. de elect.

3. Quodlibet crimen, quod ipſo iure irrogat infamiam, 3. quęſt. 7. §. porrò, quia talis infamia per pœnitentiam aboleri non poteſt, 2. quæſt. 3. §. hinc colligitur.

Quæ debilitas corporis?

Secundò. Debilitas corporis, quæ ex infirmitate, vel ſenectute procedit. Nec tamen omnis, ſed illa ſolummodò, per quam impotens redditur,

tur, ad exequendum officium pastorale, c. nisi cùm pridem, §. alia verò. extr. eod. 7. quæst. 1. c. quia frater.

Qualis defectus scientiæ?

Tertiò. Ob defectum scientiæ quis petere potest cessionem, si non didicerit ea, quæ ad officium suum pertinent, 38 dist. c. 1. & seq. Licet enim defectus non sit peccatũ, sed pœna, 15. quęst. 1. §. 1. hîc tamen negligentia discendi pro peccato habenda est, d. dist. 38.

Quæ malitia plebis?

Quartò. Malitia plebis ad renuntiandum impellit. Quando plebs adeò duræ ceruicis existit, vt proficere nequeat apud ipsam, sed propter eius pertinaciam quò magis satagit, eò magis iusto iudicio deficere permittatur, c. nisi cùm pridem, §. propter malitiam, eod.

Malitia plebis in quibus consistit?

Malitia plebis in persecutione extrinseca, & persecutione intrinseca, obseruata quadam distinctione, versatur.

Quæ extrinseca persecutio?

Extrinseca intelligitur, quæ consistit in manifestis, & pręcisis inimicis Ecclesię, qui nos persequuntur. Et tunc aut solus Prælatus quęritur, aut totus clerus, aut tota Ecclesia. Si solus Prælatus, aut eo recedente tuta est Ecclesiæ salus: & fugiat, si non: ponat animam pro ouibus, d. c. ni

cùm

cùm pridem, §. non tamen. Si totus clerus quęritur, si aliàs poteſt cõſuli Eccleſiæ, totus clerus fugiat cum Prælato: ſi non poteſt conſuli, remaneant cum Prælato, vel omnes, vel quidam ex his. Si eſt altercatio inter eos, de remanſuris, res ſorte dirimatur, 26. quæſt. 2. c. ſors. Si autem tota Eccleſia quęritur, & fides impugnatur, tunc non fugiat, ſed omnes ex aduerſa pro domo Iſrael cõ ſurgant, 43. diſt. c. ſit rector.

Quæ intrinſeca perſecutio?

Intrinſeca perſecutio dicitur, quæ conſiſtit in ſubditis præfractæ naturæ, qui corrigi nolũt, & ſe ſanæ doctrinæ opponunt. Et tunc aut ſubditi omnes ſunt mali, aut etiam quidã boni: ſi boni ſunt admixti malis, eos non deferet, 23. quæſt. 4. c. tu bonus: ſi mali omnes ſunt, aut ſpes eſt de correctione; & non ſunt deferendi; ſi nulla ſpes, ſunt deferendi, vt in fin. c. vlt. imò, 33. quęſt. 7. c. igitur.

Quod ſcandalum?

Quintò. Scandalum cauſam præbet renuntiationi, per cuius euitationem non committitur peccatum: alioquin vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm vt veritas bonæ vitæ, vel iuſtitię deſeratur, c. qui ſcandalizauerit, de reg. iur.

Quæ irregularitas?

Sextò. Perſonæ irregularitas omnis, quæ ordinationi clericali, absque diſpenſatione præſtat impedimentum: Vt ſunt bigamię, vitium nata-

natalium,& huiusmodi generis,c.cùm in cūctis, extr.de elect.c.non confidat,50.dist.

Qui effectus spontaneæ Renuntiationis?

Effectus spontaneæ renuntiationis est, priuatio iuris,vel beneficij,cui renuntiatum est,intantùm,vt qui semel legitimè beneficio renuntiauit,illud repetere non possit, c.ex transmissa, & c.in præsentia,extr.eod. Et licet renuntiatio ex parte eius personæ cui renuntiatur,nulla sit, tamen beneficio,cui nulliter renuntiauit,priuatur,c.quod in dubijs,extr.eod.Nota tamen,cùm renuntiatio sit stricti iuris,eam nō ad aliud, sed ad ipsum beneficium,cui renuntiatur restringēdam esse,nisi ex causa criminis cessio facta esset, c.ad translationem,extr.eod.

Quæ cognata spontaneæ Renuntiationis?

Cognata sunt, submissio gratiæ, translatio, dimissio, abiuratio, c. veniens, & c. super hoc, extr.eod.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt,prouisio,absolutio,&c.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, coacta renuntiatio, subtractio iuris,deiectio,& denegata licentia Papæ, vana & temeraria,nullaq; ex causa resignatio facta.

Quæ

Quæ causa efficiens & procatarctica coactæ Renuntiationis?

Causa efficiens & procatarctica coactæ renunciationis sunt: vis, dolus, metus, terror, potẽtia, illicita promissio, d.c. super hoc, eod.

Quæ Forma?

Forma est, vt renuntians vi oppressus, vel dolo circumuentus, non requisito Superiore, absq; iustæ causæ allegatione, statim Episcopatum, præfecturam, personatum, beneficiumqúe, vel, quoduis aliud sibi competens ius, in manus potentioris, non habentis facultatem acceptandi cessionem, resignet, d.c. super hoc.

Qui Effectus?

Effectus est: quòd, nulla probatione spontaneæ renũtiationis Rei admissa, sed tantùm probata spoliatione, siue renuntiatio præcedat spoliationem, siue sequatur, non impediatur restitutio, d.c. super hoc. Si tamen non iuri beneficij tantùm, sed etiam petitioni restitutionis, per pactum, renuntiatum fuerit, locus non datur restitutioni, d.c. super hoc, extr. eod.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, spoliatio, simonia, quoad illicitam promissionem, &c.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia, vis, metus, dolus, culpa, potẽtia, illicita promissio, turpitudo, malitia.

Quæ

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, spontanea cessio, religio, fidelitas, turpitudo, & impietas renũciantis, spectata authoritas & dignitas eius, in cuius manus renuntiatur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Illegitimi, si parentum vitia non sequuntur, ad dignitates, cum dispensatione, admittuntur. Illo tamen discretionis adhibito moderamine, vt inter nothos, manzeres, naturales, & spurios, distinguatur, c. nisi §. vnde patet, extr. eod.

Negantis factum per rerum naturã nulla est probatio, c. super hoc, eod.

Dolus suus nemini patrocinari debet, Clem. si te præbendam, eod.

Nõ extenditur iuramentum ad ea, de quibus in iuramento cogitatum non fuit, c. cùm inter, eod.

Actoris probationes admittendæ sunt super implicita assertione, d.c. super hoc.

Si intentetur possessoriũ Reo nullæ probationes sunt admittendæ: secus si petitorium. Ratio est: Quia in possessorio ei fit modicũ præiudicium, cùm statim posit de proprietate agere, petitorio, cùm econtrà agenti rei iudicatæ obstet exceptio, d.c. super hoc.

Post sententiam non sunt proponendæ peremptoriæ exceptiones, d.c. super hoc.

Duobus testibus de affirmatione deponentibus plùs creditur, quàm mille de negatione testificantibus, c. 1. extr. quod metus causa.

Qui metu vendidit, recipiendo precium, nō videtur renunciare actioni.

Licet falsæ causæ subijciantur in sententia, tamen sententia tenet, quia non est contra ius scriptum, sed ius litigatoris, c. in præsentia, eod.

Maius malum minori est consideratione præferendum, 7. q. 1. omnes, 2. q. 3. c. si quis.

Publica vtilitas p̄fertur priuatæ, 7. q. 1. c. mutatiōes.

Nonnūquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat, d. c. nisi, eod.

Iudex non semper ad vnā speciem probationis applicare mentem suam, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius præsentia proponuntur formare animi sui motum debet. Et tanta sit authoritas iudicialis, vt semper pro ipso præsumatur, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur, c. in præsentia, eod.

Quantocunq; virtutum flore refulgeat quis, & in se charitatem non habeat, nihil videtur habere. Nulla siquidem maior charitas poterit esse, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, c. nisi cùm pridem, §. quippe, eod.

DE SVPPLENDA NEGLI-gentia Prælatorum.

Titulus X.

Continuatio.

PRælati Ecclesiarum non sunt adeò diligentes, vt commissi muneris functio, aliquam

repræ-

repræhensionem quandoque non possit incurrere. Ne igitur, si quam negligentiam committi contingat, Ecclesia damnum patiatur, iustissimè Superiores, defectus, & Inferiorum neglectus, supplere permittuntur, & iubentur.

Quid suppletio Negligentiæ?

Suppletio negligentiæ Prælatorum est, susceptа administratio muneris, ab inferiore, per malitiam, vel supinam negligentiam omissi, c. licet magister, extr. eod.

Quotupliciter Negligentia suppletur? Et quæ causa efficiens Suppletionis?

Suppletur negligentia bifariàm: vel per Superiorem, vel per Inferiorem. Per Inferiorem, quando Episcopus ter requisitus in conferendis benedictionibus negligens sit, potest tunc Abbas, donec Episcopus suam duritiam recognoscat, monachos suos benedicere, cap. statuimus, extr. eod. 63. distinct. c. quoniam videmus, cuius tenor ponitur in c. cùm contingat, extr. de ætate, & quali.

Per Superiorem suppletur negligentia dupliciter: vel per susceptionem muneris neglecti, vel permissionem coadiutoris, vel visitatoris. Cùm enim prelati, vel clerici in conferendo, administrando, constituendo, præsentando, negligentes sunt, vel vltra legitimum tempus, longas moras trahunt, licet tunc diocœsano, vel Episcopo ordinario regulariter vicem eorum subire, c. si episcopus, in 6. Clem. quia regulare,

c. sicut nobis, c. licet magister, c. literas, &, c. dilecto, extr. eod. Quòd si autem Superior vice Negligẽtis fungi nolit, potest ipse vel Summus Pontifex, ad defectum supplendum, & emendandum, Coadiutorem, Visitatorem, vel Administratorem deputare, c. grandi, c. Ecclesiæ, in 6. eod. Distingue tamẽ, si Capitulum in spiritualibus, vel temporalibus negligenter, vel perperam administrat, Archiepiscopus, ob negligentiam, vel malitiam Capituli, eo vocato, causæque super hoc, cognitione præmissa, Visitatorem, vel Administratorem deputat. Si nulla intercedat vel malitia, vel negligentia Capituli, tunc solus Papa Administratorem, vel Visitatorem constituit, c. Ecclesię, in 6. Visitatoris autem munus est, spiritualia & temporalia administrare: Sed beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non potest, d. c. Ecclesiæ, §. huiusmodi, in 6. Ex quibus patet, causam, efficientem suppletionis esse, solertiam superioris, & quandoque inferioris Prælati, & missi Visitatoris adiuuamen.

Quod Obiectum?

Obiectum suppletionis est, cuiuslibet generis commissa negligentia & defectus, in quolibet officio, ratione ordinis, vel dignitatis, iuncto, scilicet in competentibus prouisionibus, beneficijs & benedictionibus conferendis, alijsq; sacris administrandis, & iurisdictionalibus, d. c. statuimus, eod.

Quæ

Quæ causa Impulsiua?

Causa impulsiua supplendæ negligentiæ est, periculum instãs, ob malitiam & negligentiam Prælati, iurisq; Ecclesiastici conseruandi necessitas & pietas, religioqúe, c. grandi, in 6. §. per hoc autem, c. Ecclesiæ, in 6. eod.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, ne status Ecclesiæ benè institutus, per insolertiam, vel malitiam alicuius, subuertatur, sed cura & solicitudine Superiorum omnimodò conseruetur, c. sicut nobis, §. nolentes, eod.

Qui Effectus?

Effectus est, quòd, si per Superiorem negligẽtia inferioris suppleta sit, inferioris ius, quoad hoc, cesset, d. c. licet, &, c. literas, extr. eod. Et pro diuersitate & qualitate eorum, quæ negliguntur: quandoque excommunicatur, quandoque deponitur, & quandoque omninò ab officio remouetur, c. quicquid, 1. quęst. 1. c. dictum, dist. 81. c. 1. extr. de officio custodis. Secundò, quòd Visitator, ob negligentiam Capituli, constitus, consequatur facultatem administrandi spiritualia & temporalia: conferre autem beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, non possit, d. c. Ecclesiæ, §. huiusmodi, in 6. eod.

DE TEMPORIBVS ORDInationũ,& qualitate Ordinandorum.

Titulus XI.

Continuatio.

QVamuis omnes Christiani,per bāptismum in ministerium(in quo se si benè quis gesserit, condignũ pręmium, per diuinam gratiam, reportet) à Deo recepti sint,ita quòd meritò sacerdotes(vt spiritales hostias, id est, semetipsos Deo offerant,nomen eius laudent,& inuocent)dici possint: Non tamẽ omnes Ecclesiæ ministri; sed iaminde ab Ecclesiæ initio selecti sunt quidam, quibus munium Ecclesiasticorũ administratio commissa est.

Quid Ordinatio?

Ordinatio est, ritus consecrandi personas Ecclesiasticas: quo confertur gratia & potestas ad obeunda decenter Ecclesiastica munia: ab Ecclesia institutus & obseruatus,c.sanè,extr.eod.&,c. fin.extr.de sacrã.non iterand.

Quotuplex Ordinatio?

Ordinatio generatim continet maiorẽ & minorem ordinationem. Minor est, quæ minores ordines continet: maior, quæ maiores.

Quot sunt minores Ordines?

Minorum ordinum sunt quatuor,scilicet,Ostiariorum,Lectorum,Exorcistarũ, & Acolytorum. Est & psalmistæ infimus ordo, qui tamen inter minores non recensetur, licet ordo sit,c.cũ cõtingat,vbi glo.& quod,extr.de ætate & quali.

Quot

Quot sunt Maiores?

Maiorum Ordinum pariter sunt quatuor, Subdiaconorum, Diaconorũ, Presbyterorum, & Episcoporum.

Quotuplex ordo Episcoporum?

Ordo Episcoporum quatripartitus est. Sunt enim Patriarchæ, Archiepiscopi, Metropolitani, & Episcopi, c. cleros, §. episcoporum, dist. 21. Et hi nomine & appellatione maiorum Prælatorum, magna potestate & reuerenda dignitatis præeminentia excellentium veniunt. Alij inferiores vel minorum Prælatorum, vel clericorũ nomine censentur, qui sub Maioribus sunt, & in Ecclesia ministerio deseruiunt, atq; in curanda dominica messe, tanquam operarij, existunt.

Quis Pontifex, & vnde dicatur?

Pontifex omnium Prælatorum, maiorum & minorum, sacerdotumq; est, vel dicitur esse, quasi via sequentium, & summus Sacerdos, & Pontifex Maximus, d. c. cleros. Olim autẽ Pontifices reges erant: siquidem maiorum hæc consuetudo fuit, vt Rex esset Sacerdos & Pontifex. Vnde & Pontifices Romani Imperatores appellabantur, d. c. cleros.

Quis Patriarcha, & vnde dicatur?

Patriarcha dicitur ἀπὸ τ ἀρχὸς τῶν πατρῶν, id est, principe Patrum. Quia is summus Patrum dicitur: cùm & primum post Apostolicum teneat locum, d. c. cleros.

Quis Archiepiscopus, & vnde dicatur?

Archiepiscopus dicitur, ἀπὸ τοῦ ἄρχος καὶ σκοπεῖν, id est, principum superintendentium. Quia Archiepiscopus summus est Episcoporum, & tenet vicem Apostolicam, præsidetq; tam Metropolitanis, quàm alijs Episcopis, d.c.cleros.

Qui Metropolitani, & vnde dicantur?

Metropolitani dicuntur à mensura, vel magnitudine ciuitatum. Sunt enim, qui singulis prouincijs præeminent, quorumq; authoritati, & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt: sine quibus nihil agere licet reliquis Episcopis, d.c. cleros.

Qui Episcopi, & vnde dicantur?

Episcopi Græcè dicti, Latinè speculatores dicuntur. Quòd ille, qui efficitur Episcopus, superintendat, curamq; gerat subditorum, quoniam speculator in Ecclesia ideò dictus, quòd speculetur & prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam, d.c.cleros.

Quis Presbyter?

Presbyter senior interpretatur, non modò pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem, d.c.cleros.

Qui

Qui Diaconi?

Diaconi, ministri Latinè dicuntur, quia sicuti in sacerdote consecratio, ita in Diacono ministerij dispensatio habetur, d. c. cleros.

Qui Subdiaconi?

Subdiaconi dicuntur, quia subiacent præceptis & officijs Diaconorum, d. c. cleros.

Qui Lectores?

Lectores, à legendo, quòd sacra legant, dicti sunt, d. c. cleros.

Qui Acolyti?

Acolyti, Latinè ceroferarij, dicũtur, à deportandis cereis luminibus, d. c. cleros.

Qui Exorcistæ?

Exorcistæ adiurantes, siue increpantes, vocantur, qui super catechumenos inuocãt ad expellendum malum spiritum, d. c. cleros.

Qui Ostiarij?

Ostiarij sunt ianitores, qui in veteri testamento electi sunt ad custodiam templi, d. c. cleros.

Sunt & alia nomina, quibus olim, diuinis ministerijs dediti, appellabãtur: vt sunt, Flamines, Vates, Antistes.

Qui Vates?

Vates à vi mentis dicitur, cuius significatio multiplex est: nam modò sacerdotem, modò prophetam significat, modò poëtam, d. c. cleros.

Qui Flamines?

Flamines sunt gentilium sacerdotes à filo dicti, quasi filamines. Hi enim in capite habebant

pileum,in quo erat breuis virga, desuper habe lanæ aliquid,quod cùm propter æstum ferre poſſent, filum tantùm in capite religare cœp runt:nam nudis capitibus incedere,nefas illis rat,d.c.cleros.

Qui Antiſtes?

Antiſtes ſacerdos dictus eſt ab eo, quia ant ſtat.Primus eſt enim in Eccleſiæ ordine,vt ſupr ſe nullum habeat,d.c.cleros.

Quis Sacerdos, & vnde dicatur?

Sacerdos,nomen compoſitum habet à Gra co & Latino:quaſi ſacrum dans; ſicuti rex à re gendo,ita ſacerdos à ſacrificando dicitur. conſe crat enim & ſacrificat.Et hæc duo poſtrema, ad huc hodiè vſurpantur,d.c.cleros.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiens Ordinationis eſt,perſona,qu ius ordinandi habet.Ordinat autem Epiſcopu ad ſacros & maiores ordines.Verùm ad minore Prælatus,etiamſi Epiſcopus non ſit, de ordi. ad Epiſcopo qui rē. Epiſ.§.quid iuris,c.cùm conti gat,extr.de æta.& qual.c. veniens, extr. de præ ſcript.

Quod Obiectum? & qui ad Ordines non admittuntur?

Obiectum Ordinationis eſt,ipſa perſona,ad ordines recipienda,dummodò talis ſit,quæ pro moueri poſsit. Promoueri autem prohibentur quidam,ob ætatem,vitium animi, vitium cor poris

poris,& vitium originis,vinculum reale, vinculum personale,& vinculum ciuile.

Qui ob ætatem prohibentur?

Ob ætatem infans ad minores ordines: minor 18.annorum ad Subdiaconatum: minor 20. ad Diaconatum:& minor 25.annorum ad Sacerdotium, non admittuntur. Cùm absurdum sit, eos ad Ecclesiasticos ordines recipi, qui, quod agitur,nõ intelligunt,vel fari nõ possunt, Clem. c.fin.de ætat.& qual. Si tamen minor ordinatus fuerit,ab ipsius executione,vsq; ad legitimam ętatem,suspenditur, c. vel non est compos, extr. eod.

Quæ animi vitia impediunt?

Secundò: ob animi vitia clericus ordinari prohibetur. vt si sit homicida,adulter,periurus alijsqúe criminibus,quę peccatum mortale cum perpetua infamia inducunt, addictus. Tamen circa crimina, secundùm Innocentium,sunt cõsideranda quatuor: 1.quantitas criminis, scilicet,sit modicum, mediocre, vel enorme, vel tale,quod etiam,post peractam pœnitentiam, impediat executionem officij. 2. qualitas criminis: an sit occultum vel manifestum. 3. modus publicationis: an per euidentiam operis, vel per sententiam,vel confessionem spontaneam. 4. satisfactio vera, & pœnitentia non simulata. Et si quidem enorme & manifestum est, deponitur, nec promouetur, nisi ex dispensatiõe ordinarij Episcopi,50.dist.c.minor. Si enorme

enorme & occultum parte pœnitentiæ peracta, poterit miniſtrare in ſuſceptis ordinibus: & monendus eſt, vt abſtineat ab vlteriori ſuſceptione Ordinum. Tamen ſi voluerit, non eſt prohibendus, c. ex tenore, extr. eod. Nec hîc requiritur diſpenſatio Ordinarij, ſed ſufficit ſacerdotis abſolutio, arg. 6. quæſt. 1. c. illi qui. Et hoc verum, niſi ſit tale crimen, quod impediat executionem officij, poſt pœnitentiam, c. niſi cùm pridem, §. 1. extr. de renunt. Si verò eſt modicum, ſiue mediocre & occultum fortè, non eſt monendus vt abſtineat à ſuſceptione Ordinum. Si verò mediocre & manifeſtum, ſi conuictus eſt in iudicio, vel timore probationis confeſſus, deponitur, 15. quæſt. 8. c. ſi quis, & c. 1. diſt. 80. Si verò operis publicatione, vel ſpõtanea cõfeſsione, acta pœnitentia, cum eo poterit miſericorditer agi, quãdoque plùs, quandoque minùs, inſpecta probitate perſonæ, & alijs circumſtantijs, 15. quæſt. 8. c. ſi quis presbyter, 50. diſt. c. presbyterum.

Quod vitium corporis impedit?

Tertiò: Vitium corporis præſtat impedimentum Ordinationi. Vt ſi quis volens, vel virilia, vel digitum, vel pedem ſibi amputauerit, vel oculum eruerit, c. pœnitentes, c. ſi quis abſciderit, c. qui partem, c. lator, c. ſi Euangelica, diſt. 55.

Quomodò ob vitium originis prohibetur?

Quartò: Ob vitiũ originis prohibentur quidam,

dam, vt filij presbyterorum, & alij, ex illicito & nefario coitu, procreati: qui ex incontinẽtia parentum, quasi maculati & dehonestati, infames, & turpes personæ censentur, quibus dignitas & excellentia Ordinis clericalis non debet committi, c. inter dilectos, extr. de excess. præla. c. infamibus, de reg. iur. ob quam dignitatem lex diuina prohibuit, spurios, & huiusmodi turpes personas, vsque in decimam generationem Ecclesiam Dei intrare, c. per venerabilem, extr. qui filij sint leg. Distingue tamẽ, vt infrà, tit. de filijs presbyterorum.

Quod vinculum personale?

Quintò: Vinculum personale Ordinationem impedit, quo persona personæ, ob dominicam potestatem, cui subiecta est, ad quælibet seruitia præstanda obstringitur, vt est, seruus in potestate domini constitutus, qui, donec per tacitam, vel expressam manumissionem, beneficẽtia domini libertatem consequatur, ab Ordinibus arcetur, toto tit. extr. de ser. non ord. & per tot. dist. 54.

Quod vinculum reale impedit?

Sextò: Ob vinculum reale: vt sunt, procuratores, actores, executores, & pupillorum tutores, vel curatores, qui suscepta gestiõe alieni negotij sese obstrinxerunt, ordinari non possunt. nisi administratione finita, &, rationibus redditis, à nexu obligationis liberati sint, c. 1. extr. de oblig. ad ratioci.

Qua-

Quale vinculum ciuile præstat impedimentum Ordinationi?

Septimò, modus impediendi ordinationem est, vinculum ciuile, quo quis ciuilibus oneribus se subiecit, foriq; secularis coertitioni perpetuò se alligauit, vt bigamus, qui cum duabus vxoribus legitimis contraxit, à foro seculari ad Ecclesiasticos ordines, quibus indignũ se fecit, migrare nõ potest, c. vnico, extr. de Bigamis, &, c. de Digamis, extr. eod. dist. 33 per totum.

Quæ causa Impulsiua?

Causa impulsiua est, honor Deo & Ecclesiæ debitus, dignitas, excellentia & sanctitas, diuini ministerij. Ne cuilibet, discretione personarum non habita, illotis, vt dicitur, manibus Ecclesiastica munia & sacra tractare liceat. Cùm, vt testatur scriptura, neminem honorem exercendorum mysteriorum Ecclesiæ, nisi à Deo vocatus sit, sibi assumere posse.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, vt Ecclesiastica munia decenti quadam serie, ad honorem Dei exprimendum, diuinumq; cultum propagandum, fideliter expediantur, &c. Gratiaq; spiritualis ad expedienda ea conferatur.

Qui Effectus?

Effectus est, potestas administrandi munia Ecclesiastica, cuilibet ordini in suo genere destinata.

Quæ

Quæ Forma?

Forma Ordinationis est, vel superior Prælatus, vel Episcopus, ordinando, qui suæ diocœsi subiectus est, præuia examinatione, per manûs impositionem, aliorumq; solennium adhibitionem, statuto canonibus tempore, Ordines gradatim conferat. In minoribus quidem, quilibet, die festo, in sacris quatuor tẽporibus, vel sabatho sancto ante Dominicã passionis, c. dilectus, c. literas, extr. eod.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, omnes dignitates: vt sunt, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Abbatia, Præpositura, Prioratus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & reliqua.

Quæ Adiacentia Ordinis?

Adiacentia sunt, omnia munia & officia Ecclesiastica, onus, honos, dignitas, & personatus, omnesq; virtutes, quibus persona Ecclesiastica commendatur. Differunt dignitas, personatus, & officium. Dignitas est, Ecclesiasticarum rerum cum iurisdictione administrandarum potestas. Personatus est, prærogatiua in Ecclesia omni carens iurisdictione. Officium est ius administrandarum rerum Ecclesiæ, sine iurisdictione, Abb. c. de multa, num. 22. de præben. Felin. in d. rub. Io. de selua, in tract. de benef.

Quæ

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, omina vitia animi, corporis, & originis, seruilis conditio, excommunicatio, suspensio, bigamia, neglectus formæ Ordinationi præscriptæ, hæresis, schisma, ambitio, simonia, &c.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Sicuti pro non facto habetur, quod fit, ab eo, qui potestatem faciendi non habet: ita pro non dato habetur, quod datur, ab eo, qui dandi potestatem non habet, c. quod autem, extr. de iure patronatûs.

Propter simplicitatem repellitur quis ab obtinendo, sed non reijcitur ab obtento, sed datur ei coadiutor, 39. dist. c. Petrus, 7. quæst. 1. c. quia frater, c. cùm in cunctis, extr. de elect.

Domus clericorum omnibus debent esse communes, 16. quest. c. quoniam.

DE SCRVTINIO IN ORdine faciendo.

Titulus XII.

Continuatio.

QVi ad sacros Ordines cõtendunt, priusquã ordinentur, examini per Archidiaconum faciendo, qui deinde eos probatos Episcopo ordinandos præsentet, subijciuntur.

Quid

Quid Scrutinium?

Scrutinium est, inquisitio scientiæ, morum, vitæ, fideiq;, & institutionis eiqúe, qui Ordines petit, per Archidiaconum, vel Episcopũ, facta, c. vnico, extr. eod. c. licet, extr. de off. leg. c. 1. dist. 24. per tot.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens, de iure communi, est Archidiaconus, argumento, 23. dist. c. psalmista. Item Episcopus. nam dicitur in c. quando, distin. 24. quòd Episcopus sacerdotibus, & alijs prudentibus viris diuinæ legis peritis, atq; in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, ætatem, personam, institutionem, mores, doctrinam, & fidem, vitam, patriam, locumqúe, vbi educatus sit, diligenter inuestigare & examinare debeat, d. c. quando.

Quod Obiectum?

Obiectum scrutinij sunt, vita, mores, institutio, doctrina, & alia, quæ circa ordinandi personam, educationemqúe, inquiruntur.

Quæ Forma?

Forma est, vt Archidiacon⁹, feria quarta proxima ante sabathum, quo ordinatio celebrari debet, de moribus, institutione, conuersatione, doctrina, & alijs similibus ordinandi, diligenter inquirat, quibus probatis, eum præsentet Ordinatori, cui interroganti: num dignus sit? si ipse (quantùm humana fragilitas nosse finit) respõderit, non peccat, licet postea contrarium probetur, d. c. vnico, extr. eod. Dum tamen contra

conſcientiam non loquatur, aliàs contrà, 28.q. 1.§.1.de præſcript.c.quoniam,24. diſtin.c.quando. Quæ autem forma inquirendi ſit, ſi Epiſcopus fide & doctrina conſpicuis quibuſdam viris id muneris committat, habetur in c. quando epiſcopu,sdiſt.24.

Qui Effectus & Finis?

Effectus & finis ſcrutinij eſt, examinati coram Epiſcopo præſentatio: hoc caſu quo Archidiaconus ad ordines petentem examinauit, & eum examine dignum probauit. Sin autem indignum inuenit, reiectio. At, ſi Epiſcopus iunctis ſacerdotibus alijsqúe fide dignis & doctrina præditis viris examinationem fecerit, admiſsio ad ordinationem, vel reiectio, prout examini ſatisfecerit, d. c. quando, diſt.24.c.1.de offic. Archidiaconi.

Quæ Cognata?

Cognata ſunt, alia ſcrutinia, quæ vel à confirmatore in electum, vel poſt confirmationem ex officio per inquiſitionem contingũt, c.nihil eſt, extr.de elect.& electi poteſtate.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia ſunt, impedimenti, ob quod promoueri non poterat, detectio, veritatis ſuppreſſio, mendacium, dolus, culpa, ſcrutatoris & ſimonia, c.ſi qui ſine examinatiõe, 81. diſt.c. ſi ſeruus, diſt.54.c. quando, diſtinct. 24. &, c. ſi quis, diſt.24.

AXIO-

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Fauores sunt ampliandi, odia autem restringenda, renouantes, 22. dist.

Qui asserit falsum, dum opinatur verum, si non cõtra conscientiam loquatur, non peccat, c. vnico, extra, de scrut.

Nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit, vel examine Episcoporũ, vel populari testimonio, c. nullus, dist. 24.

Ipsi, quibus cura inquirendi committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuscunque muneris cupiditate illecti à vero deuient, vt indignum & minùs idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent: aliàs vterque, & examinator & examinatus & promotus ab altari Ecclesiasticaque dignitate remouentur, c. quando Episcopus, dist. 24.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, qui resignauit Episcopatui.

Titulus XIII.

Continuatio:

Et quomodo intelligatur, quòd ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit ordinatus officij executionem non habeat?

EFfectus renũciationis est, vt quicquid post eam fit, quod officio vel iuri, cui renunciatum est, cohæret, non subsistat. Ideò sacros ordines ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit, suscipiens executionem officij non habebit.

Requiritur tamen, 1. Vt Episcopus nõ loco tantùm, sed simul loco & dignitati renunciauerit. 2. Vt non minores; qui etiam à non Episcopo conferri possunt; sed maiores & sacros ordines contulerit. 3. Quòd ordinatus sciuerit Episcopum renunciâsse, aliàs si ignorâsset, cùm culpabilis non sit, ei per dispensationem succurritur. Idem obseruatur, si ab Episcopo excommunicato ordines, à sciente, vel ignorante suscipiantur, c. 1. &, c. 2. extr. eod. c. gratia, 1. quæst. 1. &, c. statuimus decretum.

DE AETATE, QVALITATE, & ordine præficiendorum.

Titulus XIIII.

Continuatio.

INter Ecclesiasticas personas, quidam simplici nomine clerici, qui in octo, vel nouem classes distincti sunt, dicuntur: quidam prelati, magna potestate & reuerenda dignitatis præeminentia excellentes. & sub his alij Ecclesiasticorũ munium functioni addicti, in quorum promotione certa ætas, vitæ & doctrinæ integritas, & ordo requiruntur, esse censentur.

Quæ ætas requiratur, vt quis muneri alicui præfici possit?

Primò: minor 30. annorũ ad Episcopatûs dignitatem non ascendit. In dignitatibus autem inferioribus, & beneficijs, curam animarum habentibus, ætas 25. annorum determinata est, in qua sufficit, si vltimus annus cœptus sit, c. cùm

in cur-

in cunctis, §. inferiora, extr. de electio. quòd si curâ animarum solutum sit beneficium, regiminis tamen alicuius onus sentiat, 14. annus sufficiat: sed nullo dato regiminis onere, vel titulo, septem annorum ætas, dum nullum cõsilij maturitatem eiuscemodi beneficiũ desideret, promouendum idoneum facit, Abb. c. super inordinata, col. fin. extr. de præbend. Abbas quidem, 25. anno, Abbatissa, vel Priorissa 30. promoueri possunt: sed Prior, qui vel Collegio præsit, vel curam habeat animarum per se illam exercens anno pariter 25. sin curam animarum per se non exerceat anno 20. At si neque Collegium, neque animarũ curam talis Prior habiturus sit, anno 14. esse concedetur, Abb. c. si super ordinata. Tamen in dignitatibus, personatibus, alijsq; beneficijs, quæ curam animarũ non habent, non tantùm à Papa, verùm etiam ab Episcopo, circa ætatem dispẽsatur, c. vnico, permittimus, eod. in 6. c. cùm nobis, §. fin. & c. innotuit, extr. de elect. c. 1. 2. 3. 4. ext. de transslat. Episcop. c. quòd translationem, extr. de offic. legat.

Qualitas præficiendorum circa quæ consideretur?

Secundò: cùm ad dignitates non admittatur, vel præficiatur quis munijs Ecclesiasticis, nisi in ordinibus constitutus. Non debet, exemplo ordinandi, præficiendus vitio animi, corporis, vel vitio originis, vel natalium, laborare, & diffamatus esse, vel seruituti, coercitioni fori secularis, vel administrationi aliorum negotiorum obstrictus, sed omnibus virtutibus præditus, &

ab omni suspicione sceleris immunis esse, secundùm traditionem Pauli Apostoli, ad Timoth. 1. cap. 3. asserentis: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium: prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem: sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suę domui benè propositum, non neophytum. Quę omnia fusè explicantur in Gratiani Decreto, à 23. distinctione vsque in finem 100. distinctionis. Et specialiùs exprimuntur in c. his igitur, dist. 23. &, c. qui Episcopus, dist. 23. Quibus locis, qualis præficiendorum, clericorum conuersatio esse debeat, latissimè disseritur.

Potissimùm autem præficiendorum qualitas circa commemoratas virtutes attenditur: quibus non tantùm crimina, quibus animus deprauatur, verùm etiam inscitia, mali mores, & crassa rusticitas aduersantur. Ob quæ, non tantùm ad prę fecturas non admittuntur: sed etiam promoti deponũtur. Vnde Episcopus Calinensis, qui confessus est, se nũquam Grammaticam didicisse, vel legisse Donatum, ab Honorio III. Pontifice depositus est. Ratio huius est in c. quãuis, extr. eod. Quia contra Deum & Canonicas sanctiones est, tantum in Episcopo tolerare defectum. Alia ratio est in c. indecorum, extr. eod. Indecorũ est, vt hi debeant Ecclesias regere, qui non nouerunt gubernare seipsos: cùm ad Ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretione, prudentia, & doctrinæ præstãtia præemineant, & morum fulgeant honestate, d. c. indecorum, extr. eod.

Præ-

Præficiendus in quibus Ordinibus debeat esse constitutus?

In admissione clericorum ad præfecturas & dignitates, Ordinis etiam habetur ratio, scilicet, vt præficiendus in sacris Ordinibus, &, ad minimum, in inferiori sit cõstitutus. Quoniam Subdiaconus absque dispensatione in Episcopum eligitur, c. à multis, extr. eod. Tametsi ad regimen parochialis Ecclesiæ, is, qui nõdum est in sacris: sicuti monachus in minoribus Ordinibus in Abbatem, instante necessitatis articulo, dispensatiuè possit assumi, c. præterea, &, c. tuã in domino, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Exigente necessitate & vtilitate, potest Episcopus clericos ad suscipiendos Ordines cogere, c. quæris, extr. eod.

Qui reputatus est dignus ad vnum ordinem vel honorem, non debet indignus ad alium reputari, c. gesta, dist. 74. c. Christus, quæst. 1.

Sanctius est, paucos bonos, quàm multos malos habere ministros, c. cùm sit ars, extr. eod.

Delictum personæ nõ debet in damnum Ecclesiæ redundare, c si Episcopum, 16. quæst. 6.

In ambiguis rebus non debet esse absolutum iudicium, c. habuisse, dist. 33.

Ordinatus ad sacros sine titulo, ab Ordinatore iustè petit beneficium, c. accepimus, extr. eod.

Necessitati & vtilitati Ecclesiæ omnibus modis succurrendum est, c. quæris, extr. eod.

DE SACRA VNCTIONE.

Titulus XV.

Continuatio.

QVidam Prælati, antequam ea, quæ dignitatis sunt, exerceant, cum quadam solennium obseruatione sacra deliniũtur vnctione, vt hoc in signum adeptæ gratiæ rectiùs officio iniuncto fungi possint.

Quid est sacra Vnctio?

Sacra vnctio est, visibile signum interiùs infusæ gratiæ, qua Deus cor mentisque synceritatem ad ministeria & officia, secundùm cuiusque vocationem, summo cum pietatis & charitatis feruore, administranda delinit, c. 1. §. per oleum, extr. de sacra Vnctione.

Quotuplex est sacra Vnctio? & quid exterior?

Duplex sacra vnctio, exterior, & interior. Exterior est, materialis & visibilis, quæ corpus inungit, illiusq; interioris significatiua, c. 1. extr. eod.

Quid interior?

Interior est, spiritualis & inuisibilis, qua cor ad nitorem conscientiæ conseruandum & augẽdum, diuinamque adipiscendam gratiam vngitur, d. c. 1. §. scire te, extr. eod. Sunt & aliæ vnctiones,

ctiones, quibus Episcopi, vel clerici vtuntur in conferendis Ordinibus, Babtismate, Chrismate, consecrandis altaribus, dedicandis templis, benedicendis calicibus, quin & Imperator Romanus in brachio, seu in humero vel harmo, non autem in capite (vt olim) vngitur, d.c.1. §. refert, & §. quia verò, & §. vngitur, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens interioris vnctionis est, Deus ipse: exterioris, Episcopus, vel presbyter, vel alius, vngendi potestatem habens.

Quæ Materia?

Materia, ex qua est, dicitur esse Chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo. Manus enim inunguntur oleo pietatis, caput autem balsamo charitatis, d.c.1. § per caput. extr. eod.

Quod Obiectum?

Obiectum est, corpus, & animus eius, qui ad dignitatem euehitur, & vngitur.

Quæ Forma?

Forma exprimitur illa solenni verborum conceptione: quibus Episcopus vel presbyter in vngendo vtitur, & legitur de his, 23. dist. c. Episcopus, 75. dist. c. 1. in eod. vsque ad §. vnde in veteri. Qualiter autem clerici ordinentur, legitur 23. dist. c. presbyter, &, c. sequent. vsque ad c. psalmista, & not. supr. de tempo. ord. §. & à quo, &, §. & qualiter, per Host.

Quis Finis & Effectus?

Finis & effectus est, auctio gratiæ diuinæ, ad exequendum rectiùs ea, quę cuiusque ordinatio, dignitas, & conditio requirit, c. Episcopi, §. qualiter, extr. de translat. epis. addit Alphonsus in suo thesauro Christ. relig. adhuc 7. effectus. 2. effectus est, consolidatio spiritualis debilitatis per peccatum inductæ. 3. sanitas corporalis. 4. remissio peccati venialis & mortalis. 5. diminutio pœnæ peccato mortali debitæ. 6. interior lætitia. 7. arctatio diabolicæ potestatis. 8. protestatio decedentis, quarum explicationem apud Alphonsum, tit. hoc, vide.

DE SACRAMENTIS NON iterandis.

Titulus XVI.

Continuatio.

SI quid in Ordine prætermissum sit, non de nouo instituenda est ordinatio: sed, quò ad fieri possit, cautè supplebitur id, quod per errorem, vel incautè neglectum est, c. 1. &, c. presbyter, extr. eod. Rationem quære, in c. 1. quæst. 1. &, c. sacramenta, &, c. manus. Nisi omninò contra formam Ecclesiæ ordinatio fuerit facta, arg. 12. quæst. 2. c. sine exceptione, 35. [quæst. 5. c. alter.

DE

DE FILIIS PRESBYTERORUM.

Titulus XVII.

Continuatio:

Et quid Illegitimatio?

DIctum est suprà, vitium natalium impedimentum præstare Ordinationi. Quod nihil aliud est, quàm, si filius ex parentibus, qui iuxta Imperiales & Ecclesiasticas traditiones, matrimonium non contraxerunt, natus sit. Vndè illegitimatio, vitiosa conditio natalium, ex iniustis nuptijs, vel illicito coitu, parentum contracta dicitur.

Quæ causa Illegitimationis?

Causa illegitimationis est, coitus nefarius, incestuosus, & concubinatus parentum.

Qui Effectus?

Effectus principaliter sunt, priuatio paternæ hæreditatis, distinctione quadam obseruata. Siquidem filijs ex cõcubinatu natis, vnà cũ matre tantùm debentur duæ vnciæ hæreditatis paternæ, id est sexta pars, §. si quis autem, cum similib. in Auth. quibus modis nat. eff. sui, & Auth. licet, §. ab intestato, C. de natural. lib. spurij autem. i. ex publico scorto nati, cùm patrẽ demonstrare non possint, sed de matre certi, nõ patri, sed matri, si non fuerit illustris persona mater, succedũt, gl. in l. si qua illustris, c. de seq. cons. Orphiciano. Si verò ex incestuoso & nefario concubitu sint procreati, neq; ad successionẽ patris, neq; matris admittuntur. Nec de rigore iuris ciuilis, illis alimẽta debẽtur à parẽtib. cũ sint omni parentũ

sub-

ſubſtantia indigni: nec nomen habeant filiorũ, §. fin. Auth. quibus modis effi. ſui, col. 7. Auth. ex complexu, C. de nefar. & inceſt. nupt. De æquitate tamen canonica debentur eis alimenta, c. cùm haberet, & ibi gloſ. extr. de eo qui dux. in matri. quam per adul. pol.

Secundus effectus eſt, quòd filij illegitimi, ex quocunq; coitu, extra matrimoniũ, procreati, ad Ordines, vel dignitates promoueri non poſſint. Sunt & alij effectus qui paſsim colliguntur.

QVAESTIO.

An filij presbyterorum ordinari poßint?

Hinc quæritur: an filij presbyterorum ordinari poſsint? Circa quam quæſtionem ſciẽdum, filium presbyteri variè dici. Dicitur enim filius presbyteri & legitimè natus, qui ex matrimonio, in quo parẽs cum legitima vxore, ante preſbyteratum, vixit, progenitus eſt.

Secundò, filius presbyteri dicitur, quem patris in presbyteratu conſiſtentis, effuſa libido in lucem produxit: & hic ſpurio, & ex inceſtu damnatoque coitu nato filio comparatur. Nefas enim eſt, patrem diuino cultui deditũ, rem veneream exercere, illicitosq; quærere coitus, c. propoſuiſti, &, c. presbyter, diſt. 82. & per tot. diſt. 83.

Tertiò, filius presbyteri dicitur legitimatus, qui quidem à patre presbytero, extra legitimas nuptias natus, ſed per diploma Summi Pontificis, vel reſcriptum Principis, de plenitudine poteſtatis legitimationem conſecutus eſt, regulariter enim aliàs legitimari non poteſt, Bart. in l. ſi quæ illuſtris, C. de ſenatuſconſul. Orphi. Nunc

diſtin-

distinguitur: Aut filij presbyterorum sunt ex legitimo matrimonio procreati: aut ex illicito coitu, aut legitimati. Si ex legitimo matrimonio, aut sunt filij Episcopi, aut clerici in inferioribus Ordinibus constituti. Si clerici, aut petũt se promoueri in Ecclesia paterna, vel, in qua pater rector mediatè vel immediatè extitit: si pater immediatè Ecclesiæ præfuit, nõ possunt promoueri ad beneficium in eadem Ecclesia, c. ad extirpandas, &, c. quando, extr. de filijs presbyterorũ ord. vel non. Ratio est in c. ex transmissa, eod. Quia Apostolici rescripti decretum successionem hereditariam in Ecclesia Dei detestatur: Sin autem mediatè, videlicet, interposita alia persona, pater rector extitit, tunc cùm prohibitionis ratio cesset, promoueri possunt, d. c. ex trãsmissa: si autem petant beneficia in Ecclesia, quam pater nõ rexit, proculdubiò admittẽdi sunt, cùm hi non tantùm ad beneficia peruenire, verùm etiam, pro qualitate morum & doctrinę, dignitatis gradus conscẽdere non prohibeãtur, c. literas, extr. eod. &, c. nisi, §. vndè patet, extr. de renunt. Sin autem Episcopi filij fuerint, & legitimè nati, licitè possunt ad sacros Ordines peruenire: & in eisdem Ecclesijs, in quibus præsunt, vel immediatè præfuerunt genitores eorum, nullo impedimento obstante, beneficia obtinere, c. ad hæc, extr. eod. Si aũt filij nõ ex legitimo matrimonio, sed ex illicito coitu, extra matrimoniũ, sint progeniti: tunc, aut in vitijs, vestigijs parentum insistunt, aut parentũ vitia non sequũtur: si parentũ vitia æmulantur, tunc cũ duæ prohibitionis rationes concurrãt, ab Ordinibus omnimodè sunt arcendi:

arcẽdi: fin autem vitia parẽtum non ſequũtur, tunc, aut petunt ſe promoueri ad dignitatem aliquam, aut ad beneficium. Si ad dignitatem, tunc diſcretionis adhibito moderamine, vitæ inſtitutionis, doctrinæ, & ſimilium, præuia diſpenſatione, admittuntur, vel repelluntur, argumento, c. niſi, §. vnde patet, extr. de renunt. c. Cœnomanenſem, diſt. 56. Si autem petunt beneficiũ, aut in Eccleſia petunt, cui pater immediatè præfuit. Et iterum diſtingue: aut Epiſcopus cõtulit filijs ſacerdotium, beneficium ſcienter, & eos remouere non poteſt, c. veniens, extr. eod. aut ignoranter, vel per patrẽ, vel aliàs filij promoti ſunt, & audiendi non ſunt, c. ad præſentiam, §. præſentium, c. conquerente, c. quoniam, c. vt filius, extr. de filijs presbyt. ord. Sin autẽ in Eccleſia, cui pater immediatè non præfuit: diſtinguitur: aut beneficium eſt curatum, aut non curatum: ſi curatum, tũc illegitimus, ſicuti ad dignitatem & perſonatum, ita ad beneficium curatum, abſq; diſpenſatione, peruenire non poteſt, c. nimis in tua, extr. eod. ſi autem curam animarum nõ habeat, promoueri cum diſpenſatione non poteſt, c. cõſtitutus, c. ex tranſmiſſa, c. propoſuit, extr. eod.

Cùm verò filius presbyteri de plenitudine poteſtatis fuerit legitimatus, nihilo magis promoueri poteſt, quàm iuxta diſtinctiones præmiſſas, quia legitimatus eſt ſimilis Alchimiæ, quæ facit apparere, quod non eſt, inquit Bal. in c. 1. col. 5. de conſt. quem refert & ſequitur Iaſon, in l. cùm acutiſsimi, C. de fideicommiſ. & idem Bald. in c. fin. extr. de translat. Epiſcoporum, ait legitimatum aſsimilari homini medicato à morbo, in

quo

quo semper aliquæ remanent cicatrices. Vtcunq; ergo spurij efficiantur legitimi, remanent tamẽ infames de facto, inter bonos & graues viros, Bald. in l. 4. ff. de lib. & posth. infamibus autem portæ dignitatum patere non debent, c. infamibus, de reg. iuris, in 6.

Quæ causæ impulsiuæ prohibendi?

Causæ impulsiuæ prohibendi illegitimis Ordines, sunt tres: 1. dignitas & excellentia Ordinis clericalis, quæ turpibus & infamibus committi non debent, c. inter dilectos, extr. de excess. prælat. 2. detestatio criminis paterni, quod plerunque in filijs detestatur & punitur, vt in crimine læsæ maiestatis, 6. quæst. 1. §. verùm, &, c. vergẽtis, c. hæresi, extr. de hæret. 3. causa est, timor paternæ incontinentiæ, cùm sæpè filius patris mores sequatur, c. literas, extr. eod. arg. c. quando generaliter, 24. distin. c. si gens, dist. 56. c. penult. 2. quæst. 7.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Illegitimus filius sacerdotis, qui, hoc tacito, per rescriptũ Apostolicum paternam Ecclesiam impetrauit, remouetur ab ea, c. ad præsentiam, eod.

Filius, siue sit legitimus, siue illegitimus, remouetur ab Ecclesia, in qua immediatè succesit patri vicario, vel rectori, c. ad extirpandas, extr. eod. c. cũ decorem, eod.

Illegitimus, absque dispensatione Papæ, ad dignitatem, vel personatum, vel beneficium curatum, promoueri non potest, c. nimis, eod.

Si

Si illegitimus, maximè filius spurius, instituatur in Ecclesia, in qua institutus est pater, institutio non valet, & instituens à suis beneficijs suspenditur, c. ad abolendam, extr. eod.

Culpa parentum non debet nocere filijs, arg. eo. dist. 56. c. multorum, 27. q. 2. contrà habetur, 6. q. 1. §. verum, & c. vergentis, extr. de hæret.

Indulta principis, intelliguntur sine præiudicio tertij: nisi Imperator hoc exprimeret, & motu proprio, & ex certa scientia hoc prouideret, 2. l. §. si quis, ff. ne quid in loco pub.

Quod singulari fauore conceditur hoc non est trahendum ad consequentiã: filius igitur sacerdotis, suffragantibus meritis, in Episcopum electus, non deponitur, licet in posterum pro regula hoc non sit assumendum, c. Cœnomanensem, 56. dist.

Nasci ex adulterio, non est eius culpa, qui nascitur, sed illius, qui generat. Iniquitates enim parentum filijs obesse nõ possunt: cùm non parentum, sed propria culpa quenque condemnet, c. nasci, distinct. 56. & duobus sequentibus c.

Vitia parentum etiam ad posteros transferuntur, c. si gens Anglorum, dist. 56.

Spurij & serui in Ordinatione æquiparantur, c. cõsuluit, tit. seq.

Filius sequitur conditionem matris: hinc dicitur: partus sequitur ventrem, c. nullus, tit. seq.

DE

DE SERVIS NON ORDINANDIS, & eorum manumisione.

Titulus XVII.

Continuatio.

STatus & conditio personę impediunt Ordinationem, nisi is, qui seruituti obnoxius, in libertatem, & ex veteri, in nouũ hominem, per manumisionem trãsmutetur, toto tit. eod.

Quid Seruitùs?

Seruitus est, cõstitutio iuris gentiũ, vt inquit Imperator, inst. de iure personarum, qua quis, contra naturam, alieno dominio subijcitur.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens sunt, ius gentium, & ius ciuile, quia vel iure gentium, vel iure ciuili, serui fiunt.

Quod Subiectum?

Subiectum est, persona serui dominicæ potestati subiecti.

Quod Obiectum?

Obiectum seruitutis est, seruitium, ad cuius præstationem seruus domino obligatur.

Quæ Forma?

Forma seruitutis est, obligatio illa partim iure gentium, partim iure ciuili introducta, qua seruus domino tenetur. Variè autem in potestatem dominicam redigitur. Iure gentiũ quidem, per captiuitatem, vel natiuitatem: nam capti in

bello publico, serui hostium efficiebantur, l. 4. ff. de statu hominum, & natus ex ancilla seruituti obnoxia conditionem sequitur matris, licet aliàs quoad honores & dignitates patris status prosit. Ius etiam ciuile certos modos efficiendi seruos tradit. Primus est, venditio suiipsius. ad quam requiruntur quatuor, 1. iusta ætas, scilicet, 20. annorum. 2. consensus vendentis. 3. participatio præcij. 4. notitia conditionis, glo. in c. ius gentium, dist. 1. Abb. c. sicut, ext. de iureiuran. Et nota infrà, de Treuga & pace, vide c. de famulis, &, c. nullus, extr. eod. c. Episcopus, §. libertus, 12. quæst. 2. Secundus, authoritas Principis in cõfugientibus ad latronum familiam, l. 2. C. quibus ad liber. procla. nõ licet. Tertius, assertio principalis, l. 1. §. omnes, C. de assert. toll. Quartus, ingratitudo erga patronos, l. 2. C. de liber. & eorum lib. Quintus, capitale supplicium. nã damnatus ad mortem per sententiam, seruus pœnæ efficitur, l. qui vltimo, ff. de pœn.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis seruitutis est, vt homines in publico bello capti seruarentur. Imperatores enim captiuos vendere solebant & per hoc seruare ne occiderentur, l. 4. ff. de statu hominum.

Qui Effectus Seruitutis?

Effectus sunt, 1. quòd seruus, quicquid acquirat, domino, cuius potestati subiectus est, acquirat, l. 1. §. igitur, ff. de statu hominum. 2. quòd oẽs ei actus ciuilis iuris sunt interdicti: nec testamenta, facere, nec testificari: licet ex persona domini

mini contrahere, posit, l. si filius fam. ff. de testamentis, & l. qui testamento, §. seruus, ff. de testamentis. 3. quòd sacra, & Ecclesiastica munia ei sint prohibita: nec ad Ordines promoueri possit, nisi per expressam manumissionem, vel tacito domini consensu libertatem sit consecutus, tot. tit. hoc, & per tot. dist. 54.

Quæ causa Prohibitionis?

Causa prohibitionis est, vtilitas conditionis seruilis, & ediuersò dignitas clericalis, c. admittuntur, 54. dist.

Quæ Cognata?

Affinitatem quandam cum seruitute, quoad subiectionem habet, adscriptitiorum, propriorum hominum, & monachorum, vel religiosorum, cuiuslibet Collegij Prælato subiectorum, conditio: in quibus omnibus est quædam seruitutis imago, Nouel. de monach. §. cogitandum.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, ingenuitas, & libertinitas.

Qui dicuntur Ingenui?

Ingenui sunt, qui, quamprimùm vt nati sunt, liberi sunt, quod fit: si ex vtroq; parente libero, vel matre tantùm, vno ex tribus temporibus, videlicet, cõceptionis, gestionis, vel natiuitatis, tempore, in libertate existente, natus est, l. & seruorum, §. ingenui, ff. de stat. hom.

Qui sunt Libertini?

Libertini sunt, quibus per manumissionem à domino libertas concessa est, l. libertini, ff. de stat. hominum.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens libertinitatis est, beneficentia & voluntas domini manumittentis seruum.

Quod Obiectum?

Obiectum est, ipsa libertas.

Quæ Forma?

Forma libertinitatis est, ipsa manumissio, quæ est constitutio iuris gentiũ secundarij, qua quis dominio alieno secũdùm naturam eximitur, l. manumissiones, ff. de iustitia & iure, Et huius, veteri iure Romanorum, tres erãt modi, vt apud Ciceronem in Top. & Vlp. in frag. tit. 1. Census, videlicet, vindicta, & testamentum. censu dicebantur manumitti, qui iussu domini, siue eius voluntate nomen deferebant in censum anno quoquo lustrali: est de ea re pulcher locus in Orat. pro Arch. poet. Manumissio vindicta fiebat apud magistratum, prætorem, consulem, & proconsulem, quibusdam solennibus obseruatis: de hac, & de testamentaria manumissione multi sunt in ff. & C. titul. His trib⁹ modis adijcit Iustinianus, in instit. tit. de libertinis, §. multis autem, alios manumittendi modos.

Qui Effectus?

Inter alios effectus, hic vnus est, quòd seruus manumissus quodammodò sui iuris effectus, actus iuris ciuilis exercere, & ad ordines promoueri, eaqúe, quæ muneris ecclesiastici sunt, liber peragere possit. Circa hunc tamen effectum distingue: aut seruus ordinatus est, domino sciẽte, aut ignorante, aut contradicente, si domino sciente, &

ente,& non cõtradicente, tacitè præsumitur manumissus,& per promotiones ad Ordines liber & ingenuus fit,c.si seruus, dist. 54. Si,domino ignorante,præsentatore & ordinatore etiam ignorantibus,minores ordines acceperit, restituendus est domino,c.nulli,dist. 54. Quòd si in presbyterum ordinatus fuerit,mulctabitur peculio, si habet,c.ex antiquis,extr.eod.si non habet, tenetur domino ad operas canonicas,c.frequens, dist.54.Quòd si cõtumaciter hoc recuset,deponi poterit,c.nullus,extr. eod. Cùm autem ordinator & præsentator defectum ordinati sciebant, ad duplicatam mancipij æquiualentis præstationem domino tenentur,c.si seruus,dist.54.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA.

Titulus XIX.

Continuatio.

OBligatio, qua quis ad redditionem rationum obstringitur,ab Ordinibus remouet petentem.

Quæ dicuntur Ratiocinia?

Sunt ratiocinia rationum redditiones, ad quas aliquis obligatur, ex administratione rerum publicarum,vel priuatarum: quæ aliàs dicũtur actionalia & ratiocinalia,c.hęc huius,12. quæst.2.

Quid est obligatio ad Ratiocinia?

Obligatio ad ratiocinia est, ius reddendæ ratiõis, in quolibet negotio, quod quis altero nomine, ex mandato, vel sine mandato, voluntariè, vel à magistratu coactus administrauit, gessitqúe.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens huius obligationis est, contractus, vt mandatum, & quasi contractus, vt negotiorum gestio, & tutelarum administratio.

Quæ Materia?

Materia sunt, negotia publica & priuata, tam in iudicio, quàm extra iudicium.

Quæ Forma?

Forma certa non potest dari, cùm non sit vnũ genus negotij cuius administratio suscipitur.

Quis Effectus?

Effectus est, actio directa negotiorum gestorum, mandati, & tutelæ, qua tenentur gestores, vt sunt procurator ad negotia, procurator ad lites, executor testamentorum, tutor, vel curator pupillorum, rei administratę rationem reddere domino: qua non reddita, adspirantes ad Ordines repelluntur, tot. titul. eod. &, cap. 1. distinct. 51.

Quæ

Quæ causa Impulsiua?

Causa impulsiua prohibitionis est, vilitas personæ, quæ facilè ex officio irregularitatem contrahit. Secundò, præsumptio contra eos, quòd non transeant ad clericatum voto religionis, sed vt fugiant ratiocinia dominorum, c. legem, dist. 52. c. 1. 2. & 3. dist. 51.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, ne Ecclesia molestetur, & incommoda patiatur, propter tales, si, ob redditas rationes repetantur, c. præterea, dist. 51.

DE CORPORE VITIATIS ordinandis, vel non.

Titulus XX.

Continuatio.

VItium corporis magnam deformitatem inducens, licet non appareat, mala tamen vitiati intentione acquisitum Ordinationi impedimento est.

Quis dicitur vitiatus corpore?

Vitiatus corpore dicitur, qui debilitate, deformitate, aut impotentia membri, vel totius corporis laborat, c. cùm de tua, extr. eod.

Quæ vitia corporis sunt causa Efficiens Irregularitatis?

Causa irregularitatis sunt, vitia apparentia, quæ magnam deformitatem faciei, vel corporis inducunt: siue culpa vitiati, siue absque culpa, & casu contigerint: vt est cæcitas, vel magna deformitas faciei, vel defectus corporis apparens. vndè cæcus, monoculus, vel maculatus in facie, promoueri non possunt, c. cùm de tua, extr. eod. c. si euangelica, dist. 55. Et censetur potissimùm deformis defectus corporis, qui sacris tractandis impedimẽtum prẽstat. Vndè Innocẽtius III. Abbatem mutilatum manu, qui in promotione sua id fraudulenter tacuerat, ab Abbatiæ officio amoueri iussit, c. expositi, extr eod. Secundò irregularem efficiunt, vitia non apparentia, vel apparentia quidem, sed quę non adeò deformem clericum reddũt: sub distinctione quadam. Aut enim clerico casu, vel nolenti, & inuito, vi vel iniuriâ Medicorum, vel hostiũ, sunt illata. Vt si per insidias hominum, incuriam Medicorum, vel in persecutione hostiũ Eunuchus factus, vel in aliquo membro, ad sacri tamen ministerij functionem necessariò non requisito mutilatus, vel ita natus fuerit. Et his casibus, neq; ab Ordinibus, neque dignitatibus arcetur, c. si quis à Medicis, c. si quis, pro ægritudine, dist. 55. c. ex parte, extr. eod. c. Eunuchus, dist. 55. Aut sua culpa abscisio virilium, vel membrorum mutilatio contigit, vt si maritus clericum apud vxorem inueniat, & de membris eius vindictam sumat, vel sanus seipsum abscidit, vel membrum

aliquod

aliquod amputauit. Aut sine culpa, tamen voluntariè affectauit, vt ab alijs abscinderetur, vel læderetur. Et ad sacerdotij iura aliosqúe Ordines vel dignitates non admittitur, 24. quæst. 5. c. placuit, c. maritum, dist. 33. c. si quis abscinderit, &, c. lator, dist. 55.

Quæ causæ huius prohibitionis?

Causæ prohibitionis sunt, 1. quia, qui sibijpsi virilia diminuit, vel abscidit, vel mutilationem membri inducit, vel ab alio, vt fieret, affectauit, sui homicida est, & conditioni Dei inimicus, c. si quis abscinderit, dist. 55. Verùm in alijs, qui sine culpa sua, ab alio, vel casu fortuito, mutilantur, est, sicuti irregularitatis, ita etiã prohibitionis, causa deformitas in membris apparentibus, & debilitas tam in apparentibus, quàm non apparentibus. Cuius consideratio: quæ, scilicet, deformitas, vel debilitas impedimento ordinationi, vel vlteriori promotioni sit: relinquitur Superioris arbitrio & discretioni, argumento, c. 1. &, c. 2. &, penul. extr. de cler. ægrot.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Sacerdos, qui sine culpa virilia sibi fecit abscindi, credens se obsequium præstare Deo, præter altaris ministerium, officium suum exercere potest, c. significauit, extr. eod.

Vitium magnam deformitatem corporis inducens promotioni ad dignitates, & ad Ordines obstat, c. cùm de tua, extr. eod.

DE BIGAMIS NON ORdinandis.

Titulus XXI.

Continuatio.

BIgamia est irregularitatis causa impediens Ordinationem.

Quis dicitur Bigamus?

Bigamus dicitur, non qui cum virgine contraxit, licet priùs alij fuerit desponsata: nec qui cum vidua, vel qui plures cognouit cõcubinas, sed qui duarum vxorum maritus legitimus fuit, c. debitum, c. à nobis, c. quia circa, c. nuper à nobis, extr. eod.

Quæ causa efficiens Bigamiæ?

Causa efficiens Bigamiæ est duplex, & iteratum matrimonium cum duabus legitimis vxoribus successiuè contractum, & copula carnali consummatum.

Quis Effectus?

Effectus est, quòd Bigamus coertitioni fori secularis ita obstringatur, vt inde recedere non possit: ob idqúe omni priuilegio clericali nudatus, ab Ordinibus arceatur, c. altercationis, de Biga. in 6. c. maritum, dist. 33. licet necessitate instante in Subdiaconum promoueatur, 34. dist. c. lector.

Quæ

Quæ Cauſæ prohibendi?

Cauſæ prohibendi bigamis Ordines ſecundùm Hoſtienſem, ſunt quatuor, 1. Propter defectum ſacramenti vnionis: cùm carnem ſuam in plures diuiſerit, 26. diſt. c. acutiùs. 2. Propter prærogatiuam Ordinis, c. vna, diſt. 26. 3. Propter ſignum incontinentię: cùm, vxore mortua, aliam duxerit, c. propoſuiſti, diſt. 82. 4. Ex eo, quòd frequentator coniugiorum non habeat frontem viduitatem hortandi, d. c. vna, diſt. 26.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

Titulus XXII.

Quis dicitur Peregrinus?

CLericus peregrinus dicitur, qui in remotis regionibus, extra prouinciã, ordinatus eſt: is ſi ordinationem ſuam quinque Epiſcoporum ſigillis probare non poterit, ad adminiſtrationem ſacri miniſterij, etiamſi ſe ordinatũ iuret, non admittitur.

Quæ cauſa prohibitionis?

Cauſa prohibitionis eſt, præſumptio, quę cõtra ipſum militat, non eſſe ipſum Ordinatum, vel per ſaltum ſuſcepiſſe Ordines.

Quis

Quis dicitur Ordinatus per saltum?

Per saltum Ordinatus dicitur, qui vel ex negligentia, vel superbia, prætermissis aliquibus gradibus, ad maiores confugerit Ordines, c. qui verò, &, c. solicitudo, dist. 52.

DE OFFICIO ARCHIdiaconi.

Titulus XXIII.

Continuatio.

DVo sunt Prælatorum genera: quidam in Episcopatu constituti, magna potestate & reuerenda dignitatis præeminentia clari: alij autem maioribus subsunt, & in Ecclesię ministerio deseruiunt, vicemqúe maiorum, si ipsi præesse non possint, subeunt. Quorum inferiorum cuilibet officium suum, ordine & gradibus præeminentiæ obseruatis, assignatur.

Archidiaconus qui dicitur?

Archidiaconus est, vicarius proximus Episcopo, omnem sollicitudinem & curam, tam in clericis, quàm in Ecclesijs eorum, cognitionemqúe & ordinariam iurisdictionem habens, c. 1. extr. de off. Archidia.

Quod est officium Archidiaconi?

Officium Archidiaconi est, omnia Ecclesiastica

stica officia, vt ritè exequantur, prouidere, Acolytum ordinare, custodiam vasorum habere, de tertio in tertium annum diocœsim, & Ecclesias Episcopo subiectas visitare, quæ emendatione indigent corrigere, promouendos ad sacros Ordines & beneficijs Ecclesiasticis præficiendos, examinare: postea Episcopo examinatos & probatos præsentare, sedibus cõdignis quemlibet Prælatum locare, omnem curam & sollicitudinem, tam in clericis, quàm in Ecclesijs eorum, (cùm super his sit in districti examinis iudicio rationem Deo redditurus) impendere cognitionem, & iurisdictionem ordinariam exercere, iurgia singulorum audire, Archidiaconis, Diaconis, & reliquis inferioribus præsidere, & demum in omnibus vicem Episcopi gerere; nisi ardua negotia maiorem authoritatem desiderent, c. 1. c. ad hæc, c. officium, c. mandamus, c. vt nostrum, extr. eod.

DE OFFICIO ARCHIpresbyteri.

Titulus XXIIII.

Quis dicitur Archipresbyter?

ARchipresbyter dicitur Prælatus cæteris presbyteris eminentior, vicem absentis Episcopi in spiritualibus gerens, c. ministerium, &, c. officium, extr. eod.

Quod

Quod est eius officium?

Archipresbyteri officium est, officia sacra in cantanda Missa, benedictionibus conferendis, sacramentis administrandis, & vt sacerdotes in ijs administrandis se probè gerant, curare, pœnitentem, infirmum consulto Episcopo reconciliare, pœnitentiam cunctis alijs sacerdotibus iniungere, atque Archidiaconi præceptis, sicuti etiam Episcopi, obsequium præbere, &c. c. ministerium, c. officium, extr. eod. c. nunquam, dist. 5. ut consecrat, 25. quæst. 1. §. is ita, c. cùm venerabilis, extr. de consuet.

DE OFFICIO PRIMICERIJ.

Titulus XXV.

Quod est Primicerij officium?

AD Primicerij, qui & cantor, præcentor, vel succentor dicitur, curam specialiter pertinet, vt præsit in docēdo Diaconis, reliquis gradibus Ecclesiasticis in Ordine positis, lectionesqúe Diaconis, quæ ad nocturna officia clericorum pertineant, absque vlla negligentia donet. Atque in his, quę sibi commissa sunt iurisdictionem ordinariam habet, c. cùm ab. extr. de off. ordina. &, c. vnico, extr. eod.

DE

DE OFFICIO SACRISTÆ.

Titulus XXVI.

Quod est Sacristæ officium?

SAcrista, aliàs thesaurarius dicitur, subijcitur Archidiacono, & est eius officium sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, nec non, quæ ad luminaria pertinent, custodiam habere, c. vnico, extr. de officio sacristæ, &, c. perlectis, 25. dist.

DE OFFICIO CVSTODIS.

Titulus XXVII.

Quod est Custodis officium?

CVstos dicitur, cui omnia, quæ Ecclesię sunt, custodienda committuntur: siue sint Ecclesiastica ornamenta, vtensilia Ecclesiæ, & linteamina altaris, & similia. Cuius officium est, commissa suæ industriæ, & fidei diligenter custodire, canonicis horis signa tintinnabulorũ pulsare, lampades & laternas accendere, & extingue re, omnes oblationes, eleemosynas, seu decimas pariter inter fratres diuidere, c. 1. &, c. 2. ext. eod. 1. quæst. 5. c. †. agat omnia.

DE

DE OFFICIO VICARIJ.

Titulus XXVIII.

Continuatio.

CONtingit, vt Prælati, inferioresqúe quidam clerici quandoq; varijs occupationibus & negotijs districti, non possint omnibus, quæ officij ratio exigit, interesse: ne igitur ex tali neglectu ad Ecclesiam, vel priuatum, quid detrimenti dimánet, in commissis, ratione officij, sibi negotijs alterius cuiusdam Ecclesiasticæ personæ opera tanquam fide vicaria vti permittunt Canones.

Quid est Vicariatus?

Vicariatus est, munus ab Ordinario, vel clerico, ad celebranda diuina ministeria, aliaq; quæ ad munus Ordinarij pertinent exercenda, & expedienda, cõmissum, c. 1. dist. 94. &, c. fin. dist. 93.

Quotupliciter intelligitur Vicariatus?

Vicariatus, vel in ministerijs diuinis celebrandis, vel in iurisdictione exercenda consistere dicitur. Atque hi, qui ad officia sacra obeunda cõstituuntur vicarij. Qui autem ad iurisdictionẽ exercẽdam, Officiales, vel Missi dominici, alijsqúe nominibus appellantur, glos. cler. ver. officiales, de rescript.

Quæ

Quæ est causa Efficiens?

Causa efficiens est, consensus cleri, iuncta authoritate Episcopi. Quilibet enim clericorum, qui iusta causa impeditus officio suo fungi nequit, & necessitas religioq; suadeat, ministerio huic peragendo alterius cuiusdam fidem vicariam supponi, potest, permissu Episcopi, vicarium, per quem deseruiat, constituere. Ex quo apparet, ad constitutionem vicarij duo requiri: 1. iustam causam, quarum Hostiens. in §. & in quibus, extr. eod. 12. recẽset; cũ alioquin in propria persona deseruire teneatur, c. quia nonnulli, &, c. relatum, extr. de clericis non residen. 2. authoritatem Episcopi, consentientis & confirmantis talem constitutionem, c. non sine, extr. de Arb. Possunt etiã Papa summus patriarcha, Archiepiscopus, & Episcopus vices suas presbyteris, diaconis, & subdiaconis cõmittere, c. subdiacono, dist. 94. c. sua nobis, c. ad hæc, extr. de offic. vicarij.

Quod est Subiectum?

Subiectum est, clericus secularis in Ordinibus constitutus: hic siquidem vicarius constitui potest. Non ordinis mendicantium religiosus, neque monachus, vel clericus regularis, nisi cum licentia Prælati sui, cui subiecti sunt, c. in nouo, 16. quæst. 7. c. ille, §. ad prioratus, extr. de rescrip. Neque laicus constitui potest. Ratio horum est: quia in vno eodemq; officio non debet dispar esse professio, & indecorũ est, vicarium Episcopi laicum esse, & viros Ecclesiasticos iudicare, c. in nona, 16. quæst. 7.

Quod est Obiectum?

Obiectum est, negotium, quod vicario committitur, administrandum. Et id in spiritualibus & temporalibus consistit: nam, si in altero horum tantùm constitueretur, nihil actum esset, Rebuff. in praxi, tit. de vicar. Episc. num. 18.

Quæ Forma constituendi Vicarium?

Forma constitutionis est, vt allegata per constituentem iusta causa constituendi, Episcopus authoritate & consensu constitutionem confirmet. Quòd si autẽ Superior in dignitate constituat in vrbe vel in castris, municipijs, locisq; insignibus suę diecœsis ad iurisdictionem, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, simul exercendam constitutio fieri debet.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, ne Ecclesia, vel quis priuatorum, ob intermissum munus, damnum aliquod incurrat.

Qui Effectus?

Effectus constitutionis est, facultas administrãdi spiritualia & temporalia, si vicarius à superiore quodam prælato iurisdictionem ordinariam habente constitutus sit: si autem ab inferiore clerico: potestas administrandi tantùm ea, quę ipse administrare potuisset. Et sciendum est, spiritualia, iurisdictionis & ordinis esse, sicque administrationem triplicem hic intelligi.

1. Spiri-

1. Spiritualium, quoad iurisdictionem: quę consistit in excommunicando, suspendendo, interdicendo, conferendo, instituendo, confirmando, eligendo, præsentando, dispensando, & similibus. 2. Spiritualium, quoad ordinem: quæ consistit in ordinando, deponendo, chrismate conficiendo, virginibus benedicendis, Ecclesijs altaribusq; consecrãdis, &c. 3. Administratio temporalium: quæ versatur in iurisdictione omnimoda, tam meri, quàm mixti imperij exercendi, atque etiam in actibus quibusdam extrajudicialibus, putà, in quauis alienandi specie, in concedendo ad formam, census, reditus, & pensiones exigendo, Rebuf. in praxi for. tit. de vica. Episcop. fol. 59.

QVÆSTIO.

An Vicarius mandatam, vel ordinariam iurisdictionem habeat?

Hinc quæritur: an vicarius iurisdictionem ordinariam habeat, vel delegatam? Videtur quòd delegatam. Quia alieno nomine exercet iurisdictionem. Sed contrarium verius, quia vicarius decretum alienationibus minorum, & emancipationib. dare, & omnia facere potest, quæ pertinent ad iurisdictionem ordinariam, l. 2. C. de offic. eius, qui vi. sed hæc, cùm causæ cognitionem requirant, delegari nõ possunt, l. nec quicquam, §. 1. ff. de offic. procons. ergo ex his patet, vicarium iurisdictionem ordinariam habere, iurisdictionemqúe Episcopi, & vicarij esse eandem, c. 2. de consuet. in 6. Vnde appellatio à vi-

à vicario ad Episopum, qui vicarium cõstituit, non instituitur; cùm hoc modo ad eundem appellaretur, à quo appellatur; sed ad Archiepiscopum rectà dirigitur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Vicarius consensu Episcopi constitutus, per constituentem vel rectorem, eiusq; successorem, non potest remoueri, portioneq; sua fraudari, nisi aliqua culpa meritus sit, c. 3. extr. eod.

Idem pluribus Ecclesiis vicarius perpetuus eodẽ tempore esse non potest: Et qui, dum alicuius esset vicarius perpetuus in diuinis, beneficium curatum postea est adeptus, amplius vicarius esse nõ permittitur, c. penult. eod.

Clerici in presbyteratu, vel alijs inferioribus ordinibus constituti in vicariatibus Ecclesiarum, quos adepti sunt alios sibi substituere non possunt, c. clericos, extra eod.

Vicarius iurisdictionem ordinariam, non delegatam ab Episcopo habet: ergo appellatio à vicario, non ad Episcopum constituentem, sed ad Archiepiscopum legitimè instituitur.

Quilibet regulariter debet in persona propria deseruire, c. si laicus, dist. 31.

Non debet percipere beneficium, qui negligit officium, c. diuersis, extr. de cler. coniug.

Non est ferendus, qui lucrum amplectitur, & onus ei annexum subire contemnit, Hostiens. §. & an possit, eod.

DE

DE OFFICIO ET POTE-
state Iudicis Delegati.
Titulus XXIX.

Continuatio.

EST & Delegati iudicis officium, ab Ordinario, vel Delegato Pontificis, mandatas sibi iudiciales causas cognoscere, & definire, sicq; vice Superioris cognitionem de his habere, vel nolẽtis, vel non valentis iustè subire.

Quid Delegatio?

Delegatio est, vnius causæ, vel plurium, vel vniuersitatis causarum iudicialiter cognoscendarum & terminandarum ab Ordinario, vel Delegato Papę Inferiori facta commissio, c. per literas, c. si pro debilitate, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, consensus & voluntas Ordinarij & Delegati Papæ, accedente cõsensu eius, cui delegatur. possunt enim Ordinarius & Delegatus Papæ causas iudiciales, per Delegationem, alijs committere: Delegatus autem Ordinarij nullo modo, nisi delegetur causarum vniuersitas, c. significâsti, c. in literis, extr. eod. & l. cùm prætor, ff. de iudicijs.

Quod Subiectum?

Subiectum Delegationis sunt, delegans & delegatus. Delegans quis sit? dixi. Quòd ad Delegatum attinet, requiritur, vt sit liber homo, masculus, legitimæ ætatis, ingenio & iudicio prędituς,

prouidus, peritus, & persona Ecclesiastica, quæ iurisdictioni delegãtis subsit, quia, qui de iurisdictione delegantis non est, inuitus dari nõ potest. distingue tamen circa Ecclesiasticam personam. Aut delegatio fit ab Episcopo, aut à Pontifice, vel eius Legato: si ab Episcopo simplex clericus, modò peritus, ætatisq; legitimæ sit, delegatus iudex esse potest. ætas legitima hoc casu 20. annorũ censetur, licet, si in minorẽ 18. annorũ consenserint partes, vel cũ dederit Princeps, delegatio teneat, cap. cũm vigesimum, extra. eod. Quòd si à Papa, vel eius Legato delegetur, exigitur, vt aliqua in dignitate, vel personatu constitutus, aut saltem Ecclesiæ alicuius cathedralis canonicus sit, c. statutũ, ver. sancimus, & ver. sedis Apostolicæ, & ibi glos. extr. eod. Hinc est, quòd principalis Officialis Episcopi, & religiosus conuentualem obtinens prioratum, à sede Apostolica, & eius Legato delegari possunt, licet Officialis foraneus, aut religiosus monasterij sui Prior claustralis, nõ possit, Clemen. 2. de rescript.

Qui delegari prohibentur?

Ex quibus patet, quibus delegari prohibitum sit. Quidam enim lege impediuntur, ne delegati iudices fiant: quidam naturâ: quidam moribus. Naturâ, vt surdus, mutus, perpetuò furiosus & impubes; quia animi iudicio carent, c. cùm vigesimum, extr. eod. c. iudices, 11. quæst. 1. c. neque furiosus, 32. q. 7. lege prohibetur is, qui senatu motus est, & omnes infames, cap. licet, extr. de test. Moribus, fœminæ & serui. Non, quia nõ habent

habent iudicium, sed quia receptũ est, ne ciuilibus officijs fungantur, c. ad probandum, extr. de sententijs, c. mulier, 33. quæst. 5. c. tria, 3. quæst. 7.

Quod Obiectum?

Obiectum sunt, omnia negotia Ordinis, & iurisdictionis. Si delegatio fiat in ijs, quæ sunt Ordinis, requiritur, secundùm Hostiens. in §. quæ delegari possunt, eod. vt is, cui demandantur, habeat ordinem competentẽ, c. pontifices, 7. quæst. 1. c. aqua, extr. de consecr. Eccles. c. quòd ad translationem, extr. de tempo. ord. in ijs autem, quæ sunt iurisdictionis, principium, medium, vel finis causæ, delegari potest, c. super quæstionum, §. intentionis, extr. eod. Principium, vt si citatio, vel litis cõtestatio delegetur, c. pastoralis, extr. eod. &, c. super quæstionum, §. 1. extr. eod. Medium: quod dupliciter contingit, vel delegatur aliquis certus articulus, putà, receptio & examinatio testium, vel simile quid, vel medium, habens causæ cognitionem annexam, putà, committitur totius causæ examinatio. à tempore litis contestatione vsque ad sententiam. & priori casu, delegatus non videtur iudex, quia iurisdictionem per commissionem non consequitur: posteriori autem est Iudex, c. cùm te, e consulente, &, d. c. super quæstionum, §. nos autem, &, §. intentionis, extr. eod. Finis etiam bifariàm delegari potest: aut diffinitiua sententia tantùm, reseruata executione, & hic iudex est, c. quærenti, extr. eod. aut executio mera & pura, publicata sententia, per alium, & is iudex non est, d. c. super quæstionum, §. verùm, extr. eod.

QVAESTIO.

An iudex Ordinarius, ea, quæ meri & mixti imperij sunt, delegare possit?

An autem iudex Ordinarius ea, quæ meri vel mixti imperij sunt, delegare possit? videtur q; non, l. 1. 2. & 3. ff. de off. eius cui mandata est iurisd. & l. ea quæ sunt, ff. ad Municipalem. Sed iure Canonico, cùm Episcopus temporalem iurisdictionem habeat, & potestatem meri & mixti imperij: neque ea per seipsum exercere possit, infr. ne cler. vel monach. §. quæ sunt, vers. Episcopus. horum exercitium alteri mandare debet, 23. quæst. illud, c. in Archiepiscopum, extr. de raptoribus.

Quæ Forma?

Forma Delegationis est, ipsius commissionis tenor: qui iuxta causarum, clausularum, & personarum conditionem, & qualitatem, varius esse potest. Siquidem, aut totum negotium, vel principium, vel medium, vel finis causę controuersę, vni, vel pluribus, cum adiectione clausulæ, (quòd si non omnes,) vel duobus, cum clausula (quòd si ambo,) vel cum clausula (appellatione remota, &c.) vel ad certum tempus, vel in certo loco, committitur. Quòd si in literis certa forma præscripta, vel clausula adiecta non fuerit, iuris forma seruatur, c. ex parte, &, d. c. super quæstionum, extr. eod.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, administratio iustitiæ: nei-pſa per Ordinarium, si is alijs negotijs distentus

causę

causæ cognitioni incumbere non possit, differatur, vel penitùs negligatur.

Qui effectus Delegationis?

Effectus est, translatio iurisdictionis & potestatis, de controuersis causis cognoscendi, easque sententia diffinitiua dirimendi, & secundùm iuris formam executionem faciendi, c. super quæstionum, extr. eod. Sciendum tamen est: si non vni, sed duobus, tribus, vel pluribus, negotium definiendum committitur, simpliciter, absque clausula, (quòd vnus vel alius ex ipsis, sine alijs, vel sub delegatione eorum procedere in delegatæ causæ cognitione non possunt,) & si processerint sententiamque tulerint, erit sententia prolata ipso iure nulla, c. cùm causa, extr. eod. Dixi sine aliorum sub delegatione. Quia illi, qui impediti sunt, loco suo alios subdelegare possunt, quos si collegę non admiserint, processerintque, processus irritus fiet, c. quamuis, Abb. in c. coră, extr. eod. Vel si vnus ex Delegatis, rebus humanis eximatur, vel grauem infamiam incurrat, vel, propter suspitionem remoueatur, omnium officium cessabit: quia delegatio, morte vnius expirat, c. vno delegatorum, extr. eod. Et nemo illorum in solidum iudex esse, sed simul omnes iudicandi potestatem accepisse censentur, glos. in d. c. vno, extr. eod. Secus tamen est, si duobus, vel pluribus delegetur, cum clausula: (Quòd si non omnes interesse potuerint, reliqui nihilominùs exequantur,) vel cum clausula: (si ambo interesse nequiuerint, vnus ex illis cognoscat.) Quibus clausulis, impotentia includit voluntatem:

rem: vt si vnus vel plures interesse non possint, vel non velint; dummodò per certum nũtium, vel literas de hoc constet; cæteri ad causæ cognitionem procedant, cui adesse nec Subdelegatus impediti Delegati permittitur, nec mors, vel infamia, vel remotio vnius ex delegatis obesse potest, c. cùm causa, c. cùm super, c. prudẽtiam, §. 1. &, §. adijcimus, extr. eod.

Secundus effectus est, quòd Delegatus Papæ in causa sibi commissa iurisdictionem habeat supra Ordinarium, & quemcunque maiorem, c. sanè quia, extr. eod. ita, vt eos aliosque extraneos officium suum impedire enitẽtes, interdicti, vel suspensionis aliaq; censura coercere possit, c. 1. extr. eod. Quod & Subdelegato (cuius constituẽdi potestatem Delegatus Papæ habet) conceditur, c. ex literis, extr. eod. c. præterea, eod. possitque suam sententiã executioni mãdare infra annum, licet ab alio Delegato sententiam latam, saltem Ordinarius, quam iniustam etiam sciat, exequatur, c. quærenti, &, c. pastoralis, §. quia, extr. eod.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, mandatum, vicariatus, rescriptum.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, mors Delegantis, mors Delegati, mors impetrantis rescriptum, mors eius, contra quem impetratum rescriptum est, re integrã, c. significauit, extr. de rescript. & ibi glos. & Dd. c. cæterùm, de rescrip. gl. in c. in literis, eod. c. licet eod. 2. Contrarium rescriptum priori impetrato,

petrato,& de eo expressam mentionem faciens, d.c.cæterùm,extr.de rescrip. 3.Finitio iurisdictionis Delegati,per sententię executionem,c.in literis,extr.eod. 4.Lapsus diei,ad quam causa, iuxta delegationis formam,finiri debuerat.c.cō suluit,extr. eod. nisi à partibus prorogata sit, c. de causis,extr.eod. 5.Mors vnius ex Delegatis causa pluribus commissa,absq; clausula(quod si non omnes)c.vno Delegatorũ,extr.eod. 6. Excessus finium mandati,c.cùm dilecta,extr. de rescript. 7.Formę à delegante vel iure neglectus, c.ex parte tua,extr.eod. 8.Recusatio Iudicis delegati,ob suspicionem.quod quibus modis contingat recenset Hostien.tit.de recusa.iudi.deleg. §.quæ sint iustę causæ,&c. 9.Reuocatio delegationis re integra,l. iudicatum solui, ff. de iud.c. quamuis,eod.in 6. 10.Super causa controuersa & delegata,facta trãsactio,compositio, acceptilatio,pactum de non petendo,& similia,quibus liti finis imponitur per Hosti.hic.omnib.n. his commemoratis modis delegatio tollitur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Delegatus iudex hoc diligenter obseruare debet, ne fines mandati egrediatur,c.venerabile,extr eod &, c. cùm dilecta,de rescrip.si nulla in mandato forma præscripta est, iuris formam seruabit Delegatus, d. c. ex parte,extr. eod.

Integrum est iudicium quod plurimorum sententijs confirmatur,c.prudentiam,extr eod.

Cui mandata est iurisdictio, omnia ea,sine quibus iurisdictio expediri non potest,mandata esse intelligitur, c.sufficiens,extr.eod.

Cùm

Cùm clausula est contra substantiam commissionis, non tenet commissio, quo ad sententiam, c. aliquando solet, 3. quæst. 2.

Clerici non possunt prorogare iurisdictionem iudicis laici, etiam consentiente Episcopo, sed nec iudicis Ecclesiastici, non sui ordinarij, sine licentia sui Episcopi, c. si diligenti, extr. de foro competen.

In foro pœnitentiali nullus habet potestatem prorogandi & absoluendi, nisi de consensu proprij Prælati, Inno. c. de causis, eod.

Solennitates in fauorem partium introductæ de consensu partium remitti possunt: secus in his, quæ pro publica vtilitate introducta sunt, 3. quæst. 5. c. accusatores, & 2 3. dist. c, quorundam.

Prohibito vno, prohibetur omne id, per quod venitur ad illud, c, præterea, extr. eod.

Quid iuris est in vno connexorum, idem in altero, c. translato, extr. de constitut. c. si quis ob. 1. quæst. 3.

Ordinarius etiamsi sciat iniustam sententiam, necesse tamen habet executioni mandare, c. pastoralis, §. quia verò, extr. eod.

Ordinarius, vel Delegatus sententiam latam reuocare amplius non possunt, c. in literis, extr. eod.

Verba cum effectu sunt accipienda, c. relatum, extr. de cler. non resid.

Illum, in quem consensum, recusare nō possunt, c. super quæstionum, extr. eod.

Infames sunt hæretici, fures, sacrilegi, capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum violatores, & qui se Episcopis opponunt, incestuosi, homicidæ, periuri, raptores,

res, malefici, venefici, adulteri, anathematizati. & omnes, quos Ecclesiasticæ & ciuiles leges infames pronuntiant: probantur hæc, c. infames, 6. quæst. 1. c. hi qui Episcopos, 3. quæst. 4.

Delegatus Papæ potestatem habet non solùm in partes, sed etiam in alios, qui suam iurisdictionem impediunt, etiamsi se multò sint superiores, c. 1. & c sanè, extr. eod.

Delegatus Papæ, nisi malitiosè se exoneret, Subdelegatum, ad suscipiendam commissam causam, compellit: in coactione tamen, dignitatis & personæ rationem habere debet, c. pastoralis, extr. eod.

Tres sunt casus, in quibus suspicionis causa, coram arbitris non tractatur. 1. cùm recusatur vnus ex Delegatis datis cum clausula: (quòd si non omnes, &c.) 2. si Delegatus Episcopi. 3. cùm Officialis recusatur, quia coram Episcopo causa suspicionis agitur, c. si cõtra, in 6. eod.

Delegatus Papæ subdelegare potest, licet datus sit ex officio, vel de partium consensu, vel cum clausula: (quòd si non omnes, &c.) c. quoniam Apost. extr. eod.

Delegatus Papæ sententiam suam vsq; ad integrum annum exequi potest: secus autem in Delegato ab Ordinario, c. quærenti, extr. eod. c. significâsti, eod.

Si causa committitur intra certum diem decidẽda, nisi partes prorogant, per lapsum diei expirat iurisdictio, c. de causis, extr. eod.

Per simplicem commissionem causæ, potest Delegatus citare, contumacem punire, & reliqua facere, quæ spectant ad causam, c. præterea, extr. eod.

Si causa

Si causa pluribus simpliciter est commissa, quilibet subdelegare potest, c. quamuis, eod. secùs si adiecta clausula: (quòd si non omnes, &c.) vel, (quòd si ambo,) c. prudentiam, &, c. cùm causa, iuncto c. cùm super, extr. eod.

Post diffinitiuam executori mandatam expirat Delegati iurisdictio, c in literis, eod. Morte Delegati nō expirat iurisdictio Delegati, corā quo lis erat contestata, c. relatum, eod.

Si primus impetrauit primam dignitatem in Eccle. sia vacaturam. secundus impetrauit certam dignitatem illius Ecclesiæ, cùm vacaret, & illa postmodùm vacat, debetur primo & non secundo, c. ex parte, eod.

Delegatio facta dignitatis nō expresso nomine proprio transit ad successorem, c quoniam, eod.

Si causa simpliciter delegata sit pluribus, reliqui omnes, absque vno aliquo, sententiam ferre non possunt, nisi delegationis clausula (quòd si non omnes, &c.) adiecta sit, c. causam, c. cùm causa, extr. eod.

Si iurisdictio Delegati expiret, in termino peremptorio, quem partibus adsignauit, post congruam horā peremptorij, iudex non expectabit contumacem: si nōn expirat, potest expectare in diem alteram, & iterum citare, c. consuluit, extr. eod.

Iurisdictio Delegati, re integra, morte mandantis expirat, c licet, eod

Arbitri electi ad causam recusationis assignant partibus terminum, ad probandum causam suspicionis: & iudex recusatus compellit arbitros ad causam finiendā; c. suspicionis, eod.

DISCOR-

DISCORD. IVRIS CANONICI & CIVILIS.

I.

Iure Canonum, ad perpetuandam iurisdictionem Delegati, sufficit citatio, c. gratum, extr. eod. c. anteriorum, 2. quæst. 6. Sed iure ciuili & citatio, & litis contestatio perpetuitatem iurisdictionis inducit in Auth. deleg. §. omnes.

II.

Iure Canonum Delegatus à summo Pontifice, causæ media alteri subdelegare, quamuis sibi sentẽtiam reseruet, potest. At leges ciuiles neminem ab Imperatore Delegatum, permittunt causæ media, nisi cum sententiæ etiam ferendæ potestate, alij demãdare, c. super quæstionum, in prin. vbi Dd eod. tit. autem, ad hæc, vbi Iason & alij, C. de iudic.

III.

Iure ciuili, ea, quæ sunt meri imperij, delegari non possunt, l. 1. 2. & 3 ff. de off. eius, cui mand. est iurisd. l. ea quæ, ff. ad Municipal. Sed iure Canonum Episcopus merum & mixtum imperium habens ea delegare iubetur, cùm ipse per seipsum hæc exercere non posit, 23. quæst. 4. c. illud, &, c. archiepiscopum, extr. de Rapto.

DE

DE OFFICIO LEGATI.

Titulus XXX.

Continuatio.

CVm Summus Pontifex quandoque in pr
uincijs,ea,quæ Apoſtolici muneris ſunt,a
miniſtrandi neceſsitatem imminere videat: ne
tamen,ob diſtantiam loci,ipſe, vel Ordinariu
eò loci conſtitutus; eò quòd ipſi abſque ſingul
ri Pontificis permiſſu talia tractare non licea
cõmodè expedire poſsit: mittit Legatos,qui i
ſtar Delegatorum vicem ſuam in his gerant.

Quid eſt Legatio?

Legatio eſt, ardui cuiuſdam negotij, quo
Põtificis authoritatem deſiderati, in prouinci
adminiſtrandi cuidam clerico facta commiſsio
c.quòd translationem,extr. eod.

Quotuplex Legatio?

Legatio triplex eſt: nam quidam de latere
Summi Pontificis ſunt, & de collegio Cardina
lium,c.decreto,c.ſi quis Epiſcopus,2.quæſt.6.&
Specula.tit.de leg. verſ.ſupereſt, num.3. Qui
dam miſsi & conſtituti Legati dicuntur, Cardi
nalibus multò inferiores, Speculator dicto lo
co,&,c.penul.extr.eod. Tertiò, ſunt quidam,
qui Legationis officium alij dignitati annexum
habent,vnde & Legati nati appellãtur, c. 1. extr.
de off.leg.in 6.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiẽs legationis eſt, authoritas Sum-

mi

mi Pontificis: qui solus Legatos rebus arduis expediendis constituit.

Quod Subiectum?

Subiectum est, vtraq; persona, & constituentis Papæ, &, in Legatum constituti, clerici.

Quæ Materia?

Omnia negotia supremi Pontificis authoritatem requirentia: quæ nec ordinarius iudex, absque speciali Pontificis mandato exequi potest; licet quandoque & Legatis, ea, quæ Ordinarius expedire possit, exercenda committantur.

Quæ Forma?

Forma consideratur circa constitu endi modum. Quod variè fit: vel enim ratione certi alicuius negotij, ad certum tempus, in certa aliqua Prouincia: vel indefinitè & generaliter, ad omnia negotia, quæ ad Pontificis administrationē pertinent, gerenda constituitur Legatus, c. quòd translationem, c. studuisti, &, c. excommunicatis, extr. eod.

Qui Effectus & Finis?

Effectus & finis considerantur, circa officij & potestatis demandatæ, exercitium: quod consistit in absoluendo, conferendis beneficijs, cognitione causarum, statutis etiam, post depositum officium, valituris, in prouinciá commissa faciendis, confirmãda sententia per Pontificem lata, eaq; executioni mandanda. Primò enim Legatorum officium est, causas audire eorum, qui in prouincijs suis, ad se accedunt, & de querelis ad se delatis cognoscere, & Cõsilium voca-

re,cap.1.vbi Imm.col. 1. & Abb. c. quod translationem,num.7.extr. eod. Secundò, ſtatuta rationabilia,etiam,poſt depoſitum officium,valitura condere,c.fin.& ibi Abb.extr.eod. Tertiò, poteſt Legatus de latere ſuæ prouinciæ beneficia ſuæ oblationi reſeruare: quæ tamen reſeruationes ſuæ legationis authoritate factæ, poſt legationis depoſitum officium, & proceſſus ſuper eis habiti,inanes erunt,vt ſunt decreta ſuper hiſce reſeruationibus interpoſita,denuntiationes, inhibitiones per eum,vel per executores factæ, ſi tamen beneficij collatio celebrata adhuc non fuerit,c.præſenti,eod.in 6.& ibi gloſſ. Quartò, poteſt excommunicatos,propter manuum iniectionem in clericos,abſoluere, c. niſi ſpecialis,c. quòd translationem,extr.eod.quod Legato,qui non eſt de latere,non conceditur,c. excommunicatis, eod. Quintò,poteſt Legatus de latere cõferre beneficiũ vacans,licet illud ſpectet ad præſentationem alicuius clerici,c.dilectus,extr.eod. c.1. eod. in 6. Sed non illud beneficium, quod in laici eſt patronatu, quamuis tunc poſsit, cùm ſub patronatu clerici eſt,ratione Eccleſiæ, quam clericus ipſe habet,d.c.dilectus,& ibi gl. & Abb. eod. Sextò poſſunt cuiuslibet generis Legati vices ſuas alijs ſubdelegare:quorum tamen iurisdictio vnà cum Legati officio,niſi citatio, qua Legati vel Subdelegati iurisdictio perpetuatur, præceſſerit,extinguetur,c.fin.vbi Abb.extr.eod. Notandum tamen,quòd Legatus ex generali legatione non poſsit transferre Epiſcopos, vel vnam Eccleſiam cathedralem alteri ſubijcere,& alteri ius primatiæ concedere, vel duos Epiſcopa-

tus

tus vnire, vel vnum diuidere. Quia licet Legato in vna prouincia consistenti generalis legatio cõ missa sit, ad ea tamen, sine speciali mandato, nõ debet extendere manus, quæ in signum priuilegij singularis sunt tantùm Summo Pontifici reseruata, c. studuisti, c. nisi specialis, c. quòd translationem, extr. eod. Quare nec commissionem alij specialiter factam impedire potest, quia mãdatum speciale derogat generali, d. c. studuisti, extr. eod.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, proconsulàtus, præfectura, c. legatos, eod tit. in 6. mandatum, rescriptum, delegatio, vicariatus, &c.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt, iurisdictio, dignitas.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia, lapsus temporis, si ad cẽrtum tempus datus sit, c. de causis, extr. de off. deleg. 2. Reuocatio Pontificis, c. vlt. &, c. excommunicatis, extr. eod. 3. Finitio iurisdictionis, per relationem factam Pontifici, c. licet, extr. eod. 4. Mors Legati & eius, qui ipsum misit, re integra, c. mandata, extr. de præsumpt. Quia his modis Legati officium finitur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Cùm speciale mandatum deroget generali, Legatus generalis commissionem alij specialiter factam, impedire non potest, c. studuisti, extr. eod.

Ex quo Legatus retulit causam Papæ, illius desinit esse iudex, c. licet, extr. eod.

Citatione perpetuatur Delegati iurisdictio, c. fin. extra, eod.

Generalis commissio ad ea, quæ in signum priuilegij singularis, sunt Summo Pontifici reseruata, non extenditur, c. quòd translationem, extr. eod.

Legatus plurium locorum iurisdictionem habens, in quolibet iurisdictionem suã exercere potest, ita quòd facta vnius loci in alio explicare possit, c. nouit ille, extra, eod.

Sicuti iudex secularis cogitur sententiam per iudicem Ecclesiasticum latam executioni mandare: ita iudex Ecclesiasticus sententiam iudicis secularis exequi tenetur, arg. c. cùm ad verum, 96 dist. nunquam tamen ad petitionem secularis excommunicabit, nisi canonica monitione præmissa, c. sacro, extr. de senten. excom.

Laicus patronus non debet se intromittere rebus Ecclesiæ, nisi quoad defensionem, c. 1. 2. 3. & 4. dist. 10.

Sententia lata contraria primæ, non valet, §. diffinitiua, 2. q. 6.

Excommunicatio est mucro Episcopalis, c. corripiatur, 24. q. 3. &, c. 1. 16. q. 2.

DE OFFICIO ORDINARII iudicis.

Titulus XXXI.

Continuatio.

QVi nõ ab inferiore quodam prælato iurisdictionem ordinariã habente, sed lege aliqua,

qua, vel consuetudine confirmatus per se iurisdictioni præest, vel à Principe aliqua potestate præditus est, iurisdictionem ordinariam habere dicitur, l. qui neque, ff. de iud.

Quid iurisdictio Ordinaria?

Ordinaria iurisdictio est, potestas vniuersaliter exercẽdæ iurisdictiõis inter subditos, proprio iure, vel principis beneficio competentis, c. transmissam, extr. de elect. l. more maiorum, l. & qui vniuersaliter, ff. de iurisd. om. iud.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens, 1. est, consuetudo, vel lex, c. cùm contingat, extr. de foro comp. &, c. cùm ab eclesiarũ, extr. eod. l. qui neq;, ff. de iud. 2. consensus principis tam Ecclesiastici, quàm secularis. Sicuti enim Põtifex Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos Ordinarios facit: ita etiam Imperator, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & similes, ordinarios cõstituit, c. in nouo, dist. 21. 3. vniuersitas, per electionem, c. decernimus, extr. de iud. c. cùm in Ecclesijs, ext. de maior. & obedient. Hinc dicitur ordinaria iurisdictio, quæ à Pontifice, Imperatore, Rege, lege, vel consuetudine, aut vniuersitate, & non ab alio conceditur, Panorm. in c. cùm contingat, extr. de foro comp. & Felinus, ibidem.

Quæ Materia in qua? vel Subiectum?

Materia in qua, vel subiectum, in quo iurisdictio subsistit, est, persona quę territorium habet id est, exercitium iurisdictionis. Quia per territorium denotatur iurisdictionis exercitium, Clem. Romani, §. sanè, extr. de elect. gl. in l. quæ-

cunque, C. de fundis limitrophis. Exercet autem Princeps non tantùm iurisdictionē in loco, vbi proprietas terræ ad ipsum spectat, verùm si tantùm potestatem in certas personas eo loci habeat. propter illas enim territorium habere videtur, Ioan. And. in d. c. cùm contingat, & Felin. in c. Rodulphus, vers. territorio, extr. de rescrip. cū territoriū dicatur, eò quòd magistratus eius loci intra eos fines terrendi. i. submouendi ius habeat, gl. in c. fin. de constitut. lib. 6. Innocen. in c. cùm ad sedem, extr. de restit. spoliat. Ex his patet, iurisdictionem potiùs personæ, quàm territorio, pro loco, vbi iurisdictio exercetur, accepto, cohęrere, Chassa. fol. 91. Personæ aūt, quæ iurisdictioni præsunt iure pontificio sunt, Legati Apostolici, Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Episcopi, principalis Officialis, & quiuis collegiatæ Ecclesiæ præfectus. Quamuis Episcopo inferior, eiq; subditus sit, c. nullus, 7. q. 2. c. cùm ab Ecclesiarū, in prin. glos. vbi Abb, extr. eod. & idem Abb. in c. 2. eod.

Quæ Materia circa quam? vel Obiectum?

Omnia ea, quæ iurisdictionis esse dicuntur, vt sunt, institutio, destitutio, correctio, reformatio, causarū omnium ad forum Ecclesiasticum, de iure spectantium, cognitio, Ecclesiasticarū cēsurarū promulgatio: quæ Honorius III. in cap. conquerente, extr. eod. recenset.

Quæ Forma?

Forma varia est. Nam aut de plano, & absq; iudicij figura iurisdictio exercetur: aut solenni iudiciorum

diciorũ forma obſeruata; quod quidẽ illi, qui iu riſdictioni prꝫeſt, pro cauſæ qualitate obſeruare licet. Forma aũt probandæ iuriſdictionis varia quoq; eſt. Nam per tacitas, vel expreſſas aſſertiones fit: vel per vulgi opinionẽ: vel per iudicũ ſententias: vel per captionem redituum, cuſtodum appoſitionem, & exercitium iuriſdictionis, de quibus vide Chaſſa. fol. 91. in conſuet. Burgun.

Quis Effectus & Finis?

Poteſtas exercẽdi ea, quæ ad legẽ iuriſdictiõis ſpectant: licet ordinario iudici, ratione dignitatis, in qua conſtitutus eſt, plenior poteſtas in ſua diocœſi permittatur. Vnde ius Epiſcopale, vel paſtoralis poteſtas, in tria membra diduci dicitur. Quædã. n. ad Epiſcopũ pertinent, iure Ordinis: vt, Eccleſiæ, & altarium conſecratio, virginũ benedictio, clericorũ ordinatio. Quædã lege iuriſdictionis: vt, corrigẽdi, cõferendi, excõmunicandi, inſtituendi, de cauſis ad forũ Eccleſiaſticum, de iure ſpectantib. cognoſcendi, examinandiꝫ poteſtas. Quædã lege diocœſana: vt, ius exigendi procurationẽ, cathedralicũ ſiue ſynodaticũ, ius exigendi & percipiẽdi cenſus, & decimas, vide c. conquerẽte, &, Abb. in c. dilectus, extr. eod. &, c. 1. 10. q. 3. Eſt & actio confeſſoria & negatoria effectus iuriſdictionis, quꝫ ex iuriſdictiõe producta ad defenſionẽ eius, iudici ordinario cõpetit, Innocen. in d. c. conquerẽte, extr. eod. Et hodie pœna fractæ pacis plectitur, qui alienam iuriſdictionem violentia dolosè adhibita, violat, Henning. in cauſ. de territor. Sax. libr. 2. art. 71. Finis etiam eſt, tuitio ſubditorum, quam ſi non iuſtè curet, diuina vindicta illi erit reformidanda,

quoniam, vt dicitur in c.1.extr. de off. Archidiaconi, sanguis subditorũ à Deo, coram quo tenebitur de omnibus rationẽ reddere, de manibus suis in die iudicij requiretur.

AXIOMATA.

Licet in genere, quod non licet in specie, c. si sacerdos, extr. eod.

Lex diocœsana, & lex iurisdictionis, differũt: vnde res iudicata in vna non obstat agenti in alia, c. dilectus, extr. eod.

Episcopi, qui per se non possunt, tenentur assumere idoneos coadiutores in diuinis ministerijs, c. inter cætera, extr. eod.

Ad hoc, vt habeat iurisdictionem Prælatus in clericos, vel in Ecclesijs electus, oportet quòd & vniuersitas, quæ eligit, sit clericorum, vel religiosorum, vel aliàs idẽ Prælatus iurisdictionem de Ecclesiastico Prælato recipiat, & quòd electus sit clericus vel religiosus: cùm aliter non dare, nec recipere possunt spiritualem, scilicet, excommunicandi, interdicendi, & consimilium, iurisdictionem, c. contingit, extr. de arbitris.

DE OFFICIO IVDICIS.

Titulus XXXII.

Continuatio.

CVm iurisdictiones sint variæ, vario etiã iudicis officio administrantur: merum quidem & mixtum imperium nobili, simplex verò iurisdictio mercenario, iudicis officio expeditur.

Quid

Quid Iudicis officium?

Iudicis officium est, potestas, quæ ad dirimendas lites, tollendaque grauamina quomodolibet secundùm æquitatem exercetur, vt per hoc religionis, & Reipublicæ statui publicè & priuatim consulatur.

Quotuplex Iudicis officium? Et quæ causa Efficiens?

Officium Iudicis duplex est, nobile & mercenarium. Vtriusque causa efficiēs est, iuris, vel cōsuetudinis, authoritas, vel cōstitutio Principis, vel eius, qui ius dandi iudicem habet.

Quod Subiectum?

Subiectum est, quilibet, nisi natura, lege, vel moribus prohibeatur.

Quod nobile Iudicis officium?

Nobile iudicis officium est, quod iudex sua, id est, iuris authoritate exercet, etiāsi nulla proponatur actio, & interdum nomine proprio, nemine petente.

Quod obiectum nobilis officij Iudicis?

Obiectum huius est, inquisitio, &, punitio sceleratorum, in integrum restitutio minorum, facultas concedendi veniam ætatis, constituendi tutores, vel curatores adultis, restitutio natalium, restitutio famæ, honoris, creatio notariorum, executio sententiæ diffinitiuæ, & omnia alia, in quibus Iudex impertit officium suum alicui priuatim imploranti, aduersùs eum, cum quo de stricto iure nullam habet actionem: sed

qui interim ex sola æquitate, &, quod dicitur, de bono & æquo ei obnoxius est: vel quotiescunq; quis petit à iudice quicquã, in quo alterius persona non vertitur consideratio, vt notat Zas. in l. 1. ff. de iurisd. omnium iud.

Quid Mercenarium?

Mercenarium iudicis officium est, quod actioni propositæ cohæret, eiq; deseruit.

Quod Obiectum mercenarij?

Obiectum huius sunt, omnia interloquutoria, quib. cœpto iudicio iudex aliquid præcipit, vetat, vel permittit, l. ædiles, §. item sciendum, ff. de ædilit. edicto. Quinimò, cognita iam cõtrouersia, illud iudicis officium deseruit etiam causæ definiendæ. Nam omnes sententias, iudex ex officio, pronuntiare dicitur, tam super re controuersa, quã super fructibus, damnis, sumptibus litis, alijsqúe accessionibus.

QVAESTIO.

An iudex secundùm allegata, contra conscientiam iudicare debeat?

Quomodò autem in officio suo se gerere: an secundùm allegata & probata, & ex actis contra conscientiam iudicem iudicare oporteat? quæstio est, multis temporibus, varijs Doctorum rationibus & opinionibus in diuersas partes agitata. Tu distingue: Aut agitur de causa ciuili, & iudex propriam conscientiam in iudicando sequi non debet, sed propter publicam iudiciorũ authoritatẽ, secundùm allegatas à partibus probationes

bationes sententiam ferre, l. illicitas, §. veritas, ff. de off. præsid. c. pastoralis, §. quia verò, extr. de off. deleg. gl. &, Dd. in c. 1. extr. de off. ord. Imò etiam, secundùm leges & Canones, postposita cõscientia, c. summopere, 11. quæst. 3. c. iudicet ille, 3. quæst. 7. c. si tantùm, 6. quęst. 2. l. rem non nouã, C. de iud. Nec obstat, quòd ab alijs affertur, veritatem omnibus rebus præualere: &, propter inquirendam veritatem iudiciorum solennia esse instituta, non vt seruiret iudicijs veritas, c. vnde vi, &, c. veniens, extr. de iureiur. peccareq; eos iudices, qui contra conscientiam iudicant, Eccl. 4. Hisce enim respondetur, nè iudiciorum authoritas vilescat, non conceditur iudici, neglecta cognitione publica, quę ex probationibus hinc inde factis elicitur, ex priuata scientia iudicare. Quia secundùm allegata & probata iudicando non peccat: cùm nõ ex cuiuslibet priuati instructione, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius præsentia proponuntur formare animi sui motum debeat, c. in præsentia, extr. de renuntiat. &, vt publica persona, postpositis proprijs phantasijs, & conscientia, quæ plerunque erronea esse solet, prout facta in iudicio sibi est fides, iudicare, c. placuit, 6. quæst. 2. Si autem de causa criminali agitur rectiùs faciet, si sequendo conscientiam Reum absoluat, vel in tanta ambiguitate & discrimine rerum deponendo iudicandi officium, causam alteri cognoscendam & definiendam committat, Ioan. And. in add. ad Spec. tit. de dif. & alleg. aduoc. §. final.

DE

DE MAIORITATE ET Obedientia.

Titulus XXXIII.

Continuatio.

DEcorum est, cùm certi clericorum sint gradus, vt illi, qui in inferioribus sunt constituti, Prælatorum superiorum præeminentiam & dignitatem debita obedientia reuereantur.

Quid Maioritas?

Maioritas est, prærogatiua, qua quis cæteris paribus vel inferioribus dignior, maioriqúe honore afficiendus est, c. extr. eod.

Quæ causæ Maioritatis?

Causæ esse possunt, prærogatiua Ordinis, cõsecrationis, dispensationis, prioritas & præeminentia ordinantis. Ordo enim efficit, vt põtifex presbytero, & presbyter diacono, &c. maior, honorabilior, & magis reuerendus sit. 2. consecratio, vt Episcopi, qui consecrant clericos, c. olim, dist. 95. 3. dispensatio: vnde Archidiaconus maior est Archipresbytero, c. 1. extr. de off. archipresb. 4. prioritas: vnde prior tempore alteri præferendus est, c. 1. extr. de parœcijs. 5. præeminentia ordinantis: quia ordinatus à Superiore inter alios eiusdem Ordinis magis est honorandus, c. per tuas, extr. eod.

Qui Effectus?

Effectus maioritatis sunt, 1. quòd prior in Ordine,

Ordine, etiam in cessione, subscriptione, respon sione, dignitate, vacantium collatione, & etiam in perceptione beneficij præferatur, c. hinc igitur, 18. dist. c. episcoporum, dist. 74. & habet hoc locum in æqualiter meritis: nam digniores etiam pòst ordinati in electionibus prę ferentur, c. licet, 8. quæst. 1. Item in his, qui eiusdem sunt ordinis & dignitatis, aliàs secus, c. cõsuluit, dist. 74.

2. Quòd ille, qui maioris dignitatis est in Ecclesia, vel si non est ibi dignitas, qui maioris est Ordinis, vel si sunt æqualis Ordinis, ille qui priùs ordinatus est, magis sit honorandus, & possit nominare, vel solenniter eligere personam in Scrutinio; nisi fortè alius de iure consuetudinario, vel ex priuilegio hoc habeat, c. 1. eod. Similiter, vacante Ecclesia, Prępositos, vel Abbates, vel alios prior vocare debet, & alij ei tenentur intendere, c. à Subdiacono, dist. 93.

3. Quòd, non obstante absentia vocatorũ, valebit per præsentes actus celebratus.

4. Quòd ad sacros Ordines promotus in minoribus ordinibus constituto in electione prę feratur, c. dudum, extr. de elect.

5. Maior in ordine, licet in Ecclesia posteriùs receptus, in loco & portione prę feratur, c. statuimus, extr. eod.

6. Quòd alij omnes huic, ob maioritatem, obedientiam præstare teneantur, toto tit. extr. eod.

Quid Obedientia?

Obedientia est, subiectio, quam inferior clericus superiori, iuxta iuris statutiqúe normam, vel

vel manu data, vel præstito iuramento promit
tit, c. cùm in Ecclesijs, & c. legebatur, extr. de ma
ior. & obed. c. dilecti filij, eod.

Quæ forma Obedientiæ?

Forma obedientiæ, quam præstant Episcop
Metropolitanis, habetur in c. dilecti filij, extr.
eod. De forma Abbatis, c. ne Dei Ecclesiam, extr.
de symon. Quomodò Canonici fidelitatem iu
rant, habetur c. cùm inter, extr. de sententijs, &
re iud.

Quod Obiectum?

Obiectum obedientiæ est, præstatio reueren
tię, obsequij, honestorum q; officiorum, c. statui
mus, extr. eod. c. non oportet, dist. 93.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, inobedientia, proteruitas
& pertinacia clerici, in quem pœna infamiæ, ex
communicationis, vel depositionis, & expulsio
nis Canonibus statuta est, c. illud dominus, c. cũ
in Ecclesijs, c. si quis venerit, extr. eod.

AXIOMATA.

*Sede Episcopali vacante, iurisdictio potestasque or
dinaria, quæ Episcopo competebat, omnis, tam spiritua
lium, quàm temporalium administratio interim ad Ca
pitulum spectat, c. cùm olim, c. his, quæ, extr. eod.*

*Primus Ordinatus cæteris paribus prior & maior
habendus est, c. 1 extr. eod.*

*Qui maior est ordine, licet in Ecclesia posteriùs re
ceptus, in loco & portione præfertur, c. statuimus, extr.*

DE TREVGA ET Pace.

Titulus XXXIIII.

Continuatio.

NIhil magis Prælatos Ecclesiæ commendat, quàm si prouidẽtia studioqúe efficiant, vt subditorum salus, non seditionibus, contentionibus, vel iniuria hostium conturbata periclitetur, sed in tuto summaq; tranquillitate sit collocata. Quod sanè fiet, si conuentione, de pace seruanda, publicè habita, animi Principum, quasi furore perciti reconcilientur.

Quid Treuga?

Treuga est, nondum paccatis turbis discordijsq;, personis & rebus ad tempus securitatis promissio facta, & dicitur in l. fœdus & inducię.

Quotuplex Treuga? Et quid Conuentionalis?

Treuga duplex est, conuentionalis & canonica. Conuentionalis dicitur: quæ ex conuentione recipit formam, sicuti quilibet cõtractus: & hæc hosti Romano seruãda est, c. noli existimare, 23. quæst. 1. &, c. innocens, 22. quæst. 4.

Quid canonica Treuga? & quotuplex?

Canonica est, vel perpetua, vel temporalis. Perpetua est, concessio securitatis personis priuilegiatis, absque vllo temporis præfinitione facta: & illa potiuntur clerici, monachi, conuersi, peregrini, & rustici cum animalibus & ministris omnibus rusticanis, dum sunt in agricultura,

tura, siue eò se cõferant, vel illinc rèdeant, c. inn
uamus, extr. eod. c. si quis, 24. quæst. 3. Habent
tem hoc securitatis priuilegium ruſtici, quam
diu fuerint in agricultura, ſicut milites à ciui
bus oneribus, quamdiu militant, immunitate
habent, l. fin. C. de ruſt. mili. Ita etiam clèrici tã
ſeculares, quàm religioſi & conuerſi, dum in E
cleſijs canonicè regulariter viuunt, gaudent p
uilegio clericali, c. fin. extr. de vita & honeſt. cle

Quid Temporalis?

Temporalis treuga, ſunt, inducię, ratione te
poris omnibus communiter conceſſæ & dat
& durat hæc temporalis treuga, à quarta feri
poſt occaſum ſolis, vſque ad ſecundam feria
ante ortum ſolis, feria quinta propter aſcenſi
nem Domini, feria ſexta, propter Domini paſſ
onem, die ſabatho, quia dies eſt requiei, die D
minica, propter reſurrectionem. Item aduen
Domini, vſq; ad octauas Epiphaniæ, & à ſeptu
geſima, vſque ad octauas Paſchæ, c. extr. eod.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiens eſt, ius gentium: inde enim b
la, captiuitates, fœdera pacis, inducię, & poſſi
minia, &c. c. ius gentium, diſt. 1. Sed magis pr
pinqua cõuentionalis treuga eſt, cõuentio Pri
cipum belli, qui quadam iuſta cauſa moti gere
do bello, & expeditioni ad tempus renuntian
c. 1. extr. eod.

Quod Obiectum?

Obiectum treugæ ſunt, expeditiones conte
tione

tiones, discordiæ, turbæ, bella, iusta vel iniusta.

Quid Bellum iustum?

Bellum iustum est, quod pro defensione proprię patriæ, & legum paternarum, pace vel iustitia tenenda, instituitur, c. si nulla, 23. quæst. 8. c. noli, 23. quæst. 1.

Quid iniustum?

Iniustum bellū, censetur tripliciter. 1. Ratione rei: si nō pro repetendis rebus, sed, ad furta, latrociniaque exercenda, bellum geratur, c. 1. 23. quæst. 2. &, quæst. vlt. c. noli. 2. Ratione causæ: vt si voluntariè, non necessariò, ad consequendam pacem, sed ad vindictam & vltionem, pugnetur, ead. quæst. 1. c. noli, &, c. quid culpatur, eod. 3. Ratione personæ: vt si quis absque authoritate Principis, vel persona talis sit, cui non licet sanguinem effundere, nec per se, nec per alium: vt si persona Ecclesiastica bellum instituat, c. 1. quæst. 2. eod. c. ex multa, extr. de voto.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis est, vt in tuto sit Reipublicæ salus, c. 1. extr. eod.

Qui Effectus?

Effectus treugæ est, ipsa securitas, quam durante tempore, ad quod induciæ factæ sunt, sub pœna excommunicationis nemo turbare debet, c. 1. extr. eod. c. fin. extr. de transf. c. nulli, 3. quæst. 1. Secūdò, est ipsa obligatio naturalis, quæ ex conuentione inter Principes belli celebrata proficiscitur:

scitur: qua omnes fidem seruare promissis conuentis tenentur.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, transactiones, iuris gentium conuentiones, & pax. Differt pax à treuga, quòd treuga ad certum tempus suspendat discordias, pax autem penitus finem imponat, Host. hîc.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, violationes, fidei promissæ non obseruatio, calliditas, deceptio, iniuriæ, oppressio.

DE PACTIS.

Titulus XXXV.

Continuatio.

CONuentionum species, aut ex publica, aut priuata causa, proficisci docet Vlp. lib. 4. ad Edictum. Vnde publica conuentio, quæ per Principem celebratur, aut quoties inter se Duces belli quædam paciscuntur, de qua superiori titulo: & legitima conuentio, quæ lege aliqua, vel Canone, qui legis loco est, confirmatur, l. 5. &, l. 6. ff. eod. quæ non tantùm ad agendum, verùm etiam excipiendum proficit, Actorisque experiuntis intentio hac exceptione pacti per Reum in iudicio conuentum obiecta perimitur, c. 1. extr. eod.

Quid Pactum?

Pactum est, duorum vel pluriũ, de rebus corporalibus vel incorporalibus hominum commercio

mercio non exemptis, seu negotio contrahēdo, honesta & licita conuentio.

Vnde Pactum dicitur?

Dicitur à pactione, vt Vlp. ait. Vnde pacis nomen descendit: pactum enim est effectus pactionis, & quasi obligatio, quæ ex pactione, conuentione, vel paciscēdi actu, nascitur, l. 1. ff. de pactis.

Quotuplicia sunt Pacta? Et quæ publica?

Duplicia in genere, publica scilicet, & priuata. Publica sunt, quæ per Principem, Summum Pontificem, Archiepiscopum, Clerum, vel quēcunq; alium, qui potestatem regendi habet, religionis vel Reipublicæ causa fieri contingit.

Quid Priuatum, & quotuplex?

Priuatum est, conuentio licita & honesta, quæ de rebus priuatorum celebratur, l. conuentionum, ff. de pactis. Et illud vel est iuris gentium, vel legitimum, seu canonicum.

Quid Pactum iuris gentium, & Legitimum?

Iuris gentium pactum dicitur, omnium hominum, qui ratione vtuntur, approbata conuētio, l. iuris gentium, ff. eod. Legitimum autem, seu canonicum, quod lege aliqua, vel Canone, sicuti hodie ferè omnia pacta nuda sunt, firmatur, l. legitima, ff. eod. &, c. 1. extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Est duplex, propinqua & remota. Propinqua est, cōsensus paciscentiū, d. l. iuris gentiū, ff. eod. Remota est Canō, vel lex gētiū, ciuile vel p̄toria

quæ eiusmodi consensum approbant, & ad obligandum volunt esse efficacem, c. 1. extr. de pactis, l. 1. §. penul. ff. eod. l. an inutilis, ff. de accep. l. in venditionibus, ff. de contrah. empt. l. 5. 6. 7. ff. eod.

Quorum consensus ad paciscendum efficax, vel qui pacisci possint?

Omnes pacisci possunt, qui non prohibẽtur. Nam pacisci & contrahere, est de genere permissorũ, l. quòd si minor, §. nõ semper, ff. de minor. l. sicut, C. de act. l. mutuos, ff. de procurat. Prohibentur aũt quidam natura, quidam Canone, & lege. Natura quidem, qui nullo iudicio & intellectu præditi, nec consensum accommodare possunt: vt sunt amentes, furiosi, infantes, putà, qui sunt intra septẽnium, muti & surdi coniunctim, l. 1. §. furiosum, &, § penult. ff. de act. l. 4. ff. eod. l. in quibuscunque, de act. l. vbi, ff. de reg. iur. Canone prohibentur pacisci de rebus Ecclesiasticis omnes illi, quibus non est concessa facultas alienandi illam rem, absque consensu Capituli vel superioris Prælati. Lege prohibentur impuberes, minores, prodigi, & mulieres: Qui licet adeò iudicio mentis polleant, vt negotiũ intelligant: tamen ne facilitate ducti in perniciem suarum rerum ducantur, volunt leges & senatusconsulta, vt hæ per pactum alterius obligationem in se non transferant: illi verò adeò alterius arbitrio regantur, vt indifferenter pactis vel contractib. ijs, cum quibus paciscuntur, vel contrahunt, nõ obstringantur, licet ipsos in vtilitatem eorum habeant obligatos, l. in negotijs, ff. de reg. iur. l. 1. ff. de

ff. de minor. inst. §. 1. de auct. tut. l. contra, ff. eod. l. is cui, ff. de verb. obligat. l. 3. C. de in integ. restitut.

Quæ diuisio Pactorum sumitur à causa efficiente? Quid expressum, & quid tacitum?

Quòd quædam pacta sint expressa, quædam tacita. Expressum pactum est, duorum vel plurium in idem verbis vel literis expressis consensus, l. 2. ff. eod. Tacitum est, conuentio, quæ ex præsumpta, & quasi ex coniecturata contrahentium elicitur volũtate, l. 2. C. de pact. l. aduersus, C. de vsu. & l. qui in futurum, ff. eod.

Quæ Materia?

Dignitates, prælaturæ, & omnia beneficia, tam curata, quàm non curata. Res, quæ in commercio hominum consistũt, siue præsentes sint, siue absentes, dum tamen sint paciscentium propriæ, c. plerique, c. cùm pridem, extr. eod. l. si in exceptione, §. omnium, ff. de contrah. empt. l. pactum, ff. eod. l. 3. C. de donat. l. interdũ, ff. de verb. oblig. l. 1. & 2. ff. de except. rei iud. Et in genere, omnes res, de quib. paciſci Canonis vel legis nulla extat prohibitio.

De quibus rebus Canones vel leges paciſci non permittunt?

De illis rebus, quæ impossibiles, turpes, vel, ex quarum conuentione periculum animæ, turpitudo, impossibilitas, vel absurditas inducitur, vel Ecclesiæ nocumentum infertur. Vnde

non valet pactum, quo id agitur, vt beneficium pro pecunia resignetur, quia committitur simonia, c. cùm pridem, extr. de pact. Et sicut pactum de hæreditate viuentis, absque eius voluntate iu re ciuili improbatur, l. pactũ, l. licet, & l. fin. C. de pactis, ita etiam pactum de succedendo post mortem Prælati, in ipsius Ecclesia, iuxta Canones, nullius momenti est, c. accepimus, extr. eod. Ratio est. Quia Canones hereditariã successionẽ in Ecclesia Dei detestãtur, 8. q. 1. c. apostolica, c. ad extirpandas, c. præsentium, &, c. ex transmissa, extr. de filijs presbyterorum. Et in spiritualibus omnis pactio vel conuentio illicita videtur potissimùm si de ijs obtinendis fiat, 1. q. 2. c. quàm pio, & infr. de simo. c. tua, & infr. tit. prox. c. præterea, c. super, eod. &, infr. vt Ecclesiastica beneficia, &c. c. vt nostrum. Etiamsi iuramẽto talis pactio sit firmata: quia in animę detrimentum vergit, c. grauis, extr. de censib. &c. &, c. tua nos, extr. de iureiur.

Turpes pactiones sunt, quæ vel fiunt de turpi re: vt si quis promittat, se facturum homicidium, sacrilegiũ, vel quid aliud, l. veluti, ff. de ver. oblig. §. & turpi, Iusti. de incestis, inutilib. nupt. Vel, ob turpem causam: veluti si paciscar, ne furti iniuriarum, vel de dolo agam, l. si vnus, §. pacta, ff. de pactis. Quæ omnes Canonib. sunt prohibitæ, 22. q. 4. c. vnusquisque, &, c. in malis promissis, &, c. non semper promissa, c. definitio, c. si ad peccatum, &, c. mulier, eod.

Impossibilis dicitur res, & ob id impossibile pactum, cuius commercium per rerum naturam haberi non potest, l. impossibilium, ff. de re iud.

iud.c.pactiones,extr.eod. Deniq; de rebus aut iuribus publicis,nisi secundùm iura publica paciſci non licet. Nam quæ publica ſunt,pactis priuatorum mutari poſſe,abſurdum eſſet,l.ius publicum, l. contra,l.ius agnationis, ff. eod. l.3.§. fin.ff. ad l. Iuliã,de vi publ.l. ſi vnus, §. pacta, ff. eod.c.ſi diligenti,extr.de foro comp. Sic etiam pacta,quibus reditibus Eccleſiæ detrahitur, vel grauamen adijcitur, vel aliquod præiudiciũ fit, infirma ſunt,c.plericq;,16.q.1. &, c. ſi quis laicus, &,l.inter debitores,ff. de pact.

Quæ diuiſio Pactorum ſumitur à materia? Et quid Pactum reale, & quid perſonale?

Quòd quædam ſint perſonalia, quædam realia. Omne pactũ generali quadam ratione tranſmiſsionis cùm in rem dirigatur, reale eſt. Dicitur tamen ſic reale propriè, quòd circa rem principaliter verſatur,Bart.in l. pactorum,& Iaſon, l.7.§.prætor,ff.eod. Perſonale aũt pactum dicitur, quod perſonã paciſcentium reſpicit, nec eã egreditur,cùm in hæredes non deſcendat, l. ſi vnus,§.ante,&,l.idem,ff. eod. Sumuntur & aliæ diuiſiones ab ipſa re,de qua pactio celebratur. Vnde & pacta dicuntur legitima & illegitima,ratione rei honeſtæ vel turpis,ſuper qua interponuntur,d.l.ſi vnus,&,c.vnuſquiſq;,22.q.4.

Quæ Forma?

Quòd abſq; obſeruatione ſolenniũ,quę in ſtipulationib.requirũtur, ſed promiſsione tantũ, vel abſq; promiſsione,inuicẽ datis manibus, vel

interrogatione & responsione, siue congruat, siue non, & ex interuallo, inter prę̃sentes, inter absentes autem per nuntium, vel epistolam, literis vltrò citroq; missis pacta conficiãtur, l. 2. ff. eod. Iason in. 7. §. sed cùm nulla, num. 32. & in rub. de verb. oblig. num. 5. & 6.

Quæ diuisio sumitur à Forma? & quid Pacta nominata & innominata?

Quædam pacta sunt nominata, quædam innominata. Nominatum pactũ est, quod, ob certam contrahẽdi speciem, quam obtinet, certum aliquod contractus nomen induit, l. iuris gentium, ff. eod. Pactum innominatum est conuentio, quę, cùm nullum permutationis synallagma contineat nomine destituta ęquitati naturali subnixa manet, l. si tibi, C. de locato. Sũt & quędam pacta iudicialia, quædam extraiudicialia, quædam verbis, quædam scriptis & instrumentis celebrantur.

Quæ causa Finalis?

Causa finalis pacti, est acquisitio vel remissio, l. 1. cùm donationis, C. de trãsact. Cùm enim pacta, iure Canonum ad agendum & excipiendum sint efficacia, sicuti ijs de iure Actoris quandoq; remittitur, ita ius Actori tribuitur, & quandoque confirmatur, 12. q. 2. c. quicunque, c. 1. &, c. 2. extr. de factis.

Quomodo iuxta finẽ Pacta diuidũtur? & quid Pactum obligatorium & liberatorium?

Pacta quædam sunt obligatoria, quædam liberato-

beratoria. Pactum obligatorium est, quo paciscentes ad aliquid dandum vel faciendum obligantur, Iason in rubr. de verb. oblig. Dd. in l. tale pactum, ff. eod. Liberatorium est, quo actio ex iure competens mediante acceptilatione, vel nouatione ipso iure, vel ope exceptionis tollitur, d. l. tale pactum, ff. eod. Et hæc diuisio etiam diuersum pactorum effectum concernit.

Quis effectus Pactorum?

Effectus pactorum iure pontificio est, condictio ex Canone, c. 1. & 3. extr. eod. 20. q. 1. c. puellæ, 22. q. 4. c. innocens, 18. q. 2. c. Eleutherius. Licet enim, de iure ciuili, ex nudo pacto non detur actio, tamen cùm eiusmodi pacta obligent naturaliter, & ex bono & æquò, l. 1. ff. eod. &, l. 1. ff. de const. pec. sequitur, eum, qui pacta non seruat, contra naturam, conscientiam, atque adeò contra officium boni viri facere, ac peccare mortaliter, glos. in c. 1. extr. de pactis. Nam & Paulus ad Rom. 1. eos, qui pacta non seruant, inter illos numerat, qui capitaliter delinquũt. Ergo indistinctè, ex pactis nudis seriò & deliberatè initis, etiam in foro ciuili hodie datur actio. Quoniam definitum est inter Dd. vt quotiescunque agitur de vitando peccato, deq; causa conscientiæ, toties etiam in foro ciuili ius pontificium seruari debeat, c. 1. &, cap. 2. vbi Dd. extr. de operis noui nunt. Castrens. in auth. At qui semel, num. 3. & 4. C. de probat. cum similibus, quia inter simplicẽ loquelam & iuramentũ non facit Deus differentiam, 22. q. 5. c. iuramenti, &, 12. q. 2. c. quicunque suffragio.

Ratione Effectûs quomodo diuiduntur Pacta? Et quæ Pacta nuda & vestita?

Quædam pacta dicuntur nuda, quędam vestita. Vestita sunt, quæ vel cohærentia contractûs, vel rei traditione, vel iuramento, vel lege, sunt firmata. Nuda autem sunt, quæ nudo paciscentium cõsensu, absq; alio adminiculo nituntur. Et hæc ad producẽdam actionem inefficacia sunt: sed cùm & ea, si deliberato animo fiant, canonica sanctione comprobentur, in hoc à vestitis pactis non discrepant, d. cap. 1. &, ibi Dd. extr. eod. Quandoquidem & tale nudum pactũ donationis causam, ex qua hodie datur actio, in se continere videtur, argumento, l. Campanus, in fin. ff. de operis liber. l. si quis argentũ, C. de donat. Cũ is, qui paciscitur donationis causa, rem certam & indubitatam iure ciuili liberaliter remittat, l. 1. ff. de transact. Agi igitur ex eo potest, l. iuris gẽtium, §. quinimò, ff. eod.

Quæ Cognata?

Treuga, pax, trãsactio, literarũ obligatio, verborum obligatio. Et cõtractus in genere. Differt autem pactum in genere à contractu & trãsactione, sicut genus à specie. Nam contractus illas tantùm cõuentiones continet, in quibus obligatio inest mutua, seu, vt loquitur Iustinianus, synallagma, transactio tantùm ad ea conuenta pertinet, quibus res dubiæ terminantur, l. transacta, cum l. seq. ff. de verb. signif. Pactum autem, velut genus, omnes contractus, transactiones, & si qua similia sint promissa & conuenta, complectitur,

siue

siue synallagma contineant, siue non contineãt, siue rem transigant, siue non transigant, l. 1. §. 1. ff. de pact. In specie tamen paciſci & trãſigere hoc differunt, quòd is, qui trãſigit, quaſi de re dubia & lite incerta tranſigit; qui verò paciſcitur donationis cauſa, rem certam & indubitatam iure ciuili liberaliter remittit, l. 1. ff. de tranſ. Sic conuentio idem eſt, quod pactio, cauſa ipſius pacti, quod effectum & actum paciſcendi ſignificat. Et ſicuti literarum obligatio, literis, & verborũ obligatio verbis, cõtrahitur: ita etiam pactum literis & verbis, absq; tamen obſeruatione ſolennium, quæ in illis requiruntur, fieri contingit, l. 2. eod. l. 1. §. 1. l. continuus, ff. de verb. oblig.

Quæ Pugnantia?

Primò: Error, dolus, metus, imbecillitas, intellectus. Hæc enim ſubſtantiam pactorum, i. cõſenſum impediunt, quò minùs rectè, & ad producendum effectum, adhibitus videatur, l. ſi per errorem, ff. de iurisd. Bart. in l. & elegãter, ff. de dolo. Secundò: Vitium materiæ; vt cùm turpis res, illicita, vel publica, in pactum deducitur, l. non dubium, C. de legibus, §. q. 1. c. apoſtolica: . Tertiò, contrarium poſterius pactum, l. ab emptione, ff. eod. &, l. pacta nouiſsima, C. eod. Quartò, pernities Eccleſiæ, c. plerique, ext. de pact. Quintò, periculum animę, c. pactiones, &, c. cùm pridem, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quandoque detrahendum eſt ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis charitas ſyncera ſubueniat, c. vt conſtitueretur, 50. diſt.

Satiùs

Satiùs est, pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione beneficium, c. nemo peritorum, 11. q. 3.

Proniores debemus esse ad absoluendum, quàm ad condemnandum, c. ex literis, extr. de probat. c. tempora pœnitudinis, 26. q. 7.

Inter iuramentum & simplicem loquelã Deus nullam facit differẽtiam. Quia, sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium, c. iuramenti, 22. q. 5.

Pacta, quantumcunque nuda, seruari debent, c. 1. extr. eod.

Quotiens in conuentionib. Superioris desideratur cõsensus, totiens ratihabitio Superioris in ijs, quæ geruntur, postea superueniens sufficit, c. quotiens in, extr. eod.

Studiosè attendendum est iudici, vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur, c. qualiter, extr. eod.

Pactum hæreditariæ successionis in spiritualibus, vel beneficijs, Ecclesia detestatur, c. accepimus, extr. eod.

Sicuti, iuxta legitimas sanctiones, ita quoque secundùm Canones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de iure, vel de facto, nullam obligationem inducit, c. pactiones, extr. eod.

Pactio, vel conuentio pro spiritualibus obtinendis celebrata, nullo modo subsistit. Quod etiam de ijs dicendum, quarum obseruatio vergit in animæ detrimẽtum, c. pactiones, extr. eod.

DE

DE TRANSACTIONE.

Titulus XXXVI.

Continuatio.

TRansactio pacti species est, qua plerunque, ob dubium litis euentum, contentionis odium, grauitatem sumptuum, aliaqúe incommoda à lite disceditur. In hoc tamen à pacto differt, quòd, qui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta, neque finita transigit: qui verò paciscitur, rem certam & indubitatam remittit, l. 1. ff. eod.

Quid Transactio?

Transactio est, de re dubia & incerta, non gratuita pactio, l. 1. ff. de transact.

Vnde dicitur Transactio?

Dicitur ab actionis transitione, eò quòd, qui transigit, ab actione transit & discedit. Et sic propriè dicitur transigere is, qui agit, l, 2. C. eod.

Quotuplex Transactio, & quid generalis?

Duplex est transactio, generalis & specialis. Generalis est, cuiusque negotij, de quo futura lis non timetur, definitio: Et hæc extenditur ad pactum, iusiurandum, & rem iudicatam, l. 1. vbi Iason, ff. de pact. l. tres fratres, ff. de pact. l. 2. ff. de iureiur. l. transacta, ff. de verb. signif.

Quid

Quid Specialis? & quotuplex?

Specialis est, contractus innominatus, quo inter litigatores res dubia & litigiosa, aliquo contrà dato promisso, vel æquali permutato, remittitur vel finitur, l. 1. §. 1. de pact. glos. fin. l. sub prætextu, C. eod. Bald. in l. summa, ff. de cond. indeb. vide Alex. in rub. C. eod. Et hęc duplici ratione celebratur: vel per nudum pactum, vel per Aquilianam stipulationē, gl. & Dd. in l. si causa, C. eod. vbi Bart. num. 5. Iason, num. 10.

Quæ causa Efficiens?

Est eorum, qui transigere possunt, consensus & voluntas, l. interpositas, vers. consensu terminata, l. non minorem, l. cùm donationis, C. eod. l. iusiurandum, §. 1. ff. de iureiur.

Qui transigere possunt?

Omnes, qui liberam suarum rerum habent administrationem: alij autem, quibus alienæ rei administrandæ cura, vel functio commissa est, cum distinctione quadam transigere possunt. Procurator enim, nisi cum speciali mādato, vel omnium bonorum, vel in rem suam cōstitutus, transigere non potest, l. iusiurandum, cum l. seq. ff. de iureiur. l. procurator, ff. de procurat. hos. n. tres casus excipit gl. in l. transactionis, C. eod. Sic tutores, procuratores, fisci, vasalli, & similes, quamuis transigere possint, non tamen contra legis prohibitionem, transigendo donare, vel alienare possunt, vide gl. Bart. & Dd. in l. præses, C. eod. l. 4. C. de prędijs minorum, l. 1. ff. de off. procurat. Cæs. l. nulli, eod. vide in c. 1. §. si vasallus, si de fund. def. Curt. in tract. feud. parte 4. qui tres

casus

casus in Vasalli transactione distinguit. Deniq; Prælatus, absque consensu Capituli, vel Superioris, non potest trãsigere, c. contingit, c. decreto, c. veniens, extr. de transs.

Quæ Materia?

Res spirituales, ciuiles, siue temporales, & criminales, de quibus lis est, vel futura esse possit, l. 1. ff. eod. l. 2. vbi Iason, & Dd. C. eod. c. super eo, extr. de transs. Primò tamen circa spirituales distingue. Aut conuentio fit, vt pro spirituali, vel re sacra detur temporale: Et tũc, cùm hæc pactio sit simoniaca, iure canonico reprobatur, c. præterea, c. super eo, extr. eod. c. cùm pridẽ, extr. de pactis, c. vlt. extr. de rerũ permutat. Aut fit, vt res sacra, vel spiritualis detur pro spirituali: Et tũc, aut ea petitur, tanquam beneficium, aut tanquã proprietas. Si agetur super beneficio, vt aliquis recipiatur ad beneficium Ecclesiæ, vel quantùm ad prælationem, nulla potest interuenire transactio propriè: quia incideret in vitium simoniæ, & talis titulus nõ habetur ex transactione, sed per canonicã institutionem, c. ex frequentibus, extr. de institutionibus, c. admonet, extr. de renunt. 16. q. 7. c. nullus omninò. Si verò res sacra, vel spiritualis in litigiũ deducatur, vt proprietas, tunc benè potest interuenire trãsactio, c. ad quæstiones, extr. de rerũ permut, c. statuimus, extr. eod. Et hęc cõuentio etiã non propriè trãsactio, sed amicabilis cõpositio dicitur, d. c. super eo, extr. eod. Secundò, distingue circa res ciuiles, vel tẽporales. Aut res nũc trãsacta & finita est, & ampliùs de ea trãsigi, vel finiri nõ potest, l. si causa, C. eod. l. post rem, ff. eod. &, l. & eleganter, ff. de cond. indeb.

Ideo

Ideò de rebus, super quibus iudicatũ est, trãsactio esse nequit, aut res nondum finita est: Et tunc, aut ex conuentione captiositas, improbitas, & peccatum inducitur. Et talis transactio omni iure nullius momenti censetur, vnde de cõtrouersijs ex testamento oriundis, non inspectis tabulis, transigi non potest, nec de futuris alimẽtis, nec de matrimonio, l. de his, l. cùm hi, ff. eod. l. de prẽteritis, C. eod. c. ex parte, extr. de transact. Si autem de re nondum finita transactio non fuerit captiosa, improba, vel sacris literis contraria, tunc siue certum ius, siue incertum contineat, ob timorẽ & odiũ litis, super ea trãsactio celebrata valet, l. 2. C. eod. Tertiò, circa criminales distingue. Aut transactio fit de crimine capitali, quod pœnam sanguinis ingerit: Et tũc, aut trãsigens eâdem pœna punitur, qua punitus esset, si non transegisset (vt, qui de adulterio transigit, cùm hoc ipso in lenocinium incidat, eãdem pœnam subit,) & tunc transigi non potest. Aut non punitur aliqua pœna: & tunc transactio conceditur. Quia cuilibet sanguinem suum, quocunque modo, redimere licet, l. 1. ff. de bo. eor. Aut, transactio de alijs publicis criminibus, quæ pœnam sanguinis non ingerunt, contingit: & tunc aut iudicium cœptum nondum est, & transigere licet, aut cœptum est, tunc, citra falsi accusationem, non licet, l. transigere, C de transaction. & ibi Dd.

Quæ Forma?

Vt transactione per pactum nudum, vel aquiliana stipulatione facta, lis remittatur, & pro remissione

missione litis aliquid præstetur. Quia transactio, nullo dato vel retento, non procedit, l. trãsactio, C. eod. &, l. 3. ff. eod. Fit etiam purè, sub conditione & modo, adiecta pœna, & per iuramentum, in iudicio, vel extra iudicium, scriptura, vel sine scripto, l. si super, C. eod. l. cùm mota, l. pacto, l. vbi, l. cùm proponas, l. si quis maior, l. siue, C. eod. vbi Iason, num. 1. & 2. & idem Iason in l. tale, §. qui prouocauit, num. 9. de pactis, l. 5. C. eod.

Quis Finis?

Vt finis litibus imponatur, ob id enim transactio inuenta est: ideo Imperatores lites transactione legitimè sopitas, nec Imperiali rescripto resuscitari volunt, l. trãsactiones, &, l. fratris, C. eod. l. 1. ff. eod.

Quis Effectus?

Non minor, quàm rei iudicatæ, aut iuris iurandi. Quare nec rescripto Principis, nec prætextu instrumentorum postea repertorũ, vel specierum, retractari potest, l. non minorem, l. causas, l. sub prætextu, & l. si diuersa, C. eod. l. 2. vbi Bart. &, l. admonendi, ff. de iureiur. c. 1. extr. eod. Non tamen iure ciuili tollit transactio primam actionẽ iure conuentionis, d. l. si diuersa: sed tantùm ope exceptionis, l. cùm proponas, C. eod. quæ hodie est litis finitæ, c. 1. de litis contest. in 6. vbi glos. & Dd. in verb. finitæ, l. & eleganter, §. penult. ff. de cond. indeb. Ratio est: quia cùm sit cõuentio tantùm iuris gentium, non potest actionem, quæ iuris ciuilis est, ipso iure tollere: nisi addita sit Aquiliana stipulatio, l. sub prætextu,

C.eod.Et acceptilatio,quæ dicitur esse ciuilis solutio.Iure autem Canonũ,cùm ex quolibet pacto detur actio,non inconueniens erit dicere,etiam ex trãsactione,per nudum pactum,facta cõpetere condictionẽ:vel præscriptis verbis actionem & transactionem priùs competẽtem actionem extinguere,vide suprà,de pactis,eod.

Quæ Cognata?

Amicabilis compositio,quæ nihil aliud est, quã rei spiritualis,vel sacræ,pro spirituali, permutatio,44.dist.c.generalis,&,c.ex antiquis,&, 10.q.2.c.casellas,in fine,23.q.4.c.si illic,&,cap. ad q̃stiones,extr. de rerũ permut.c.statuimus,&,c. super eo,extr.eod.Pactum, iusiurandum, compromissum, res iudicata, diuisio, & contractus innominati,l.si quis cùm aliter, ff. de verb. obli. decis. Neopo.220.num.3.Decius cons.6.viso. nu. 4.&,cons.597.num. 10. Corn. cons. 27.in princ. lib.4. Schurpff,cons. 50. num.16. & 17. cent. 3. & cons.16.casus,num.17.cent. 2.& cons.97.pro magis clariore,num.12.cent.3.

Quæ Pugnantia?

1.Error: obstat enim transactioni, quia consensus,cui ipsa innititur,deest,l.sub prętextu,C. eod. 2.Metus:quoniam,cùm prætoris edictum de metu rescissorium sit, retractatur per in integrum restitutionem id,quod metu gestum est,l. interpositas,C.eod. 3. Dolus:ob quem quidem non ipso iure rescinditur transactio, sed exceptione,vel replicatione,l.4.l.sub prætextu,& l.siue,C.eod. 4.Falsitas:si nimirùm altera pars ad transigendum, falsitate vel calumnia quadã inducitur,

ducitur, l. penul. C. eod. l. in summa, C. de cond. indeb. 5. Simoniaca conuentio: vt si quid temporale pro spirituali, vel re sacra detur, c. constitutus, c. super eo, extr. de transf. 6. Læsio Ecclesiæ: ob quam datur Ecclesiæ in integrum restitutio ad quadriennium, c. 1. extr. de in integ. restit.

AXIOMATA.

Instrumẽta, & alia iura partium, contraria transactione tolluntur, c. sicut graue, extr. eod.

Prælatus simpliciter ad agendũ constitutus, sine licentia Capituli transigere nõ potest, gl. in c. contingit, eod.

Allegans turpitudinem suam, non est audiendus, c. cùm super, extr. de concess. præbend. &, c. inter dilectos, extr. de donat.

Sublato principali, & accessorium corruit, c. si diligenti, extr. de foro comp. &, c. inter dilectos, extr. de fide instr.

In pari causa turpitudinis potior est possidentis conditio, l. lator, extr. de re iud.

Super Ecclesiastico beneficio transigi non potest, etiam cum iuramenti interpositione, c. constitutus, eod.

Non potest quis esse testis & aduocatus in eadem causa, 16 q. 2. c. statuendum.

Super Ecclesiastico beneficio propriè non potest trãsigi, sed amicabiliter componi, c. super eo, extr. eod.

Iudicis officium est, componere partes, si potest, priusquã ad iudicium veniant, c. si primates, 5. q. 2. c. studẽdum dist. 90. c. si quis membrorum, 24. q. 8.

Iudex ob oculos æquitatẽ habere debet. Et æquitas præfertur rigori iuris, glos. in c. fin. extr. eod.

Vbi ius scriptum non est, de similibus ad similia est procedendum, c. in causis, extr. de re iud. c. recolentes, extr. de statu monach. c. inter cæteros, extr. de rescript.

DE POSTVLANDO.

Titulus XXXVII.

Continuatio.

LIte per transactionem non sopita, vel pacto transigendi negotij causa nullo interposito, iudicium procedit, teneturq; Reus conuentus, vel intentionem Actoris fateri, vel eius desiderio per se, vel per alium, ad præstandum patrocinium idoneum contradicere, l. 1. ff. de postulando.

Quid est Postulare?

Postulare est, desiderium suum, vel amici sui, in iure, apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere, 3. q. 6. §. sunt autem, l. 1. §. postulare, ff. de postulando.

Quæ causa Efficiens?

Iussus magistratûs, vel ordinarij iudicis, qui petentibus litigatoribus eorum nomine postulandi gratia dat patronos, etiam inuitos, l. 1. §. ait prætor, ff. eod. &, l. fin. C. eod. gl. in c. 1. §. item ad verb. perdit quæ fuit pr. causa benef., amitt. nam postulare, publicum munus est: ad publica autem munera etiã inuiti cogũtur, l. 2. ff. de reg. iũr. l. 1. in prin. de adminis. tuto. & tot. tit. ff. de munerib.

Qui

Qui Postulare possint?

Quilibet, qui, aut edicto, lege, vel Canone, non prohibetur: vt sunt ingenuus, libertus, literatus, & illiteratus; dummodò experientiam causarum ex consuetudine habeat, l. nec cæterorum, &, l. prouidēdum, C. eod. & in auth. de iud. respon. 1. ibi nos igitur, &c. col. 7.

Qui prohibentur Postulare?

Prætor in edicto prohibitorio tres ordines facit. Primus ordo, tam pro se, quàm pro alijs postulare prohibetur. Secundus, pro alijs tantùm prohibetur, non autem pro se. Tertio ordini, tam pro se, quàm pro coniunctis personis, non autem alijs, postulare licet, l. 1. ff. de postulando.

Qui neque pro se, neque pro alijs Postulare possunt?

Minor 17. annorum, & naturâ surdus, qui magistratûs iussum, vel Prætoris decretum exaudire non potest: quo non audito, quasi non obtemperasset, pœna contumacium plecteretur, l. 1. §. initium, ff. eod. & clericus in causa sanguinis, inf. ne clerici vel monachi secularibus neg. &c. &, 23. q. 8. c. his à quibus.

Qui pro se possunt, non autem pro alijs?

Primò fœminæ. Ratio est: ne contra pudicitiam sexui congruentē alienis causis se immisceant, & ne virilibus officijs fungantur mulie-

res, l. 1. §. secundo loco eod. Secundò, cęci & vtriſque luminibus orbati. Quia inſignia magiſtratûs non poſſunt videre neque reuereri. Tertiò, inſigni quadã turpitudine notati, vt omnes infames ipſo iure, damnati de calũnia iudicio publico, condemnati capitali crimine, paſsi muliebria, & ij, qui operas ad depugnandum cum beſtijs ſuas elocarunt, d. l. 1. §. 2. &, §. remouetur, ff. eod.

Qui poſtulare poſſunt pro ſe, & coniunctis perſonis tantùm?

Omnes, qui lege, plebiſcito, ſenatuſconſulto, edicto, decreto, Principum placito, prohibẽtur, &c. vt ſunt, iudices, & arbitri in ea cauſa, quam iudicaturi ſunt, addictus pœnæ, ſeruus, muliebria paſſus, is qui pactus eſt de quota parte litis, hæreticus, excommunicatus, potentiores: & qui per ſententiam iudicis infames ſunt. Omnes. n. hi non in totum pro alijs poſtulare prohibẽtur, ſed tam pro ſe, quàm pro perſonis certis, putà, pro parente, fratre, ſorore, vxore, ſocero, patrono, patrona, eorumq; liberis, alijsqúe, de quibus ſub titulo, De in iure vocãdo, item, pro genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, alijsqúe coniunctis, fortè ad quartum vſq; gradum, gloſ. in l. 4. de teſtibus, gloſ. & Dd. in c. fin. extr. eod. Et Bart. in l. ſed & hæ, ff. de procurat. Item pro perſonis, quarum tutelam curationémve gerunt, vtpote, pro pupillo, furioſo, mente capto, d. l. 1. §. fin. cum ſeq. ff. eod. Prohibentur etiam

cleri-

clerici regulares postulare, nisi pro vtilitate Ecclesiæ, vel sui monasterij, & præcepto Abbatis, c. ex parte, extr. eod. 16. q. 1. c. alia, &, c. placuit: sic clericus in sacris vel minoribus beneficiatus in seculari foro postulare, nisi pro se, vel sua Ecclesia, vel miserabilib. personis postulet, nõ potest, c. clerici, &, c. fi. ext. eod. 16. q. 1. c. puenit. 88. dist. c. 1. &, c. Episcopus, extr. ne cler. vel monach. &, c. de præsentium portitore, 16. q. 1. Interdicitur etiam prælatis Ecclesiarum seculariũ postulandi facultas: Vnde iubentur Episcopi, alijqúe Prælati, non per se, sed per aduocatos litigare, c. quia Episcopus, 5. q. 3. Ratio huius habetur in c. perlatum, 88. dist. c. denique, 14. q. 5. &, c. te quidem, 11. q. 1. non enim Episcopus, vel alius quidam Prælatus committere debet, quo eius dignitas vilescat.

Quod Subiectum?

Est persona, quæ iussu iudicis competentis, vel à partibus ad postulandum constituitur: Et dicitur patron⁹ vel aduocatus. Qui describitur esse vir graui authoritate & existimatione præditus, qui propter excellentem iuris cognitionem, natiuam prudentiam, eloquentiam, & rerum multarum vsum, ad causas forenses agendas vel defendendas, quasi patronus, vocatur, vt in negotijs grauibus, & arduis patrocinium litigantibus præbeat, idqúe plerunque in scriptis pugnando, & consulendo, vt notatur in titulo C. de aduocatis diuers. iud.

Quæ Materia?

Omnes cauſæ ciuiles & criminales, ex varijs generum figuris proficiſcentes.

Quæ Forma?

Cùm cauſæ ciuiles & criminales variæ ſint, in quibus aduocati patrocinium præſtant, non poteſt certa forma præſcribi. Officium autem aduocatorum,& quid ipſi in poſtulationib. obſeruare debeant,recenſetur per Imp. Valent in l. quiſquis,C. de poſtulando.

Quis Finis?

Vt dignitas & reuerentia magiſtratûs conſeruetur,quod fieri nõ poſſet, ſi cuilibet illiterato, inidoneo,deprauatis moribus corrupto, poſtulandi munus concederetur.fieret enim, vt cauſę, cum graui detrimento litigantium agerentur, & authoritas iudiciaria vileſceret: cùm aduocatus vir authoritate, & exiſtimatione grauis, cuius meritum ipſum in foro nobiliſsimum faciat,eſſe debeat,l.prouidendum,C.eod.

Qui Effectus?

1.Vt quæſtiones patrocinio aduocatorum diſputatæ,examinatæ, & declaratæ, in quamcunq; partem victoria ceciderit, per iudicem definitæ, etiam velamento abſentiæ patroni cauſa reſuſcitari non poſsint,l.velamento,C.eod.

2.Effectus prohibitionis eſt, quòd, qui contra Eccleſiam poſtulat, non modò repellitur à poſtulando,ſed etiam pœna mulctatur arbitraria,l.1.§.aduerſarius, ff.eod. Nam quotieſcunq; lex

lex aliquid prohibet, nec adijcit certam pœnã, quæ contrauenienti irrogetur, toties pœna arbitrio iudicis commissa intelligitur, gl. & Dd. in l. 3. C. de sacrosanctis Ecclesijs.

3. Quamdiu quis idoneum non habet aduocatum, aut habere potest, tamdiu, propter cõtumaciam, perinde ac si aduocatum haberet, damnari nequit, c. 1. extr. vt lite non contest. vbi glos. ad ver. aduocati.

4. Clericus, qui contra Ecclesiam, à qua beneficium habet, aduocat, tanquam ingratus beneficio priuatur, c. fin. extr. de postul. ar. 1. quæst. 8. c. 1. 96. dist. c. si Imperator, c. nulli, 3. quæst. 1.

Quæ Cognata?

Procuratio, defensio, differunt enim hæc à postulatione: Primò, quia procuratio propriè ad curam alienorum negotiorũ refertur, postulatio & defensio autem fiunt in iudicio, siue, sui nomine, siue alieno, quid petatur, l. 1. eod. Secundò: Procurationis & defensionis officium, est priuatum, postulationis autem publicum, l. 1. & 2. toto tit. de postulat. &, l. 1. §. 1. ff. eod. Tertiò: Aduocatus non timet damnum, cùm se in aliquo non obligauit. Nõ enim obligatur ex processu causæ, nec secum fundatur iudicium: sed in procuratore & defensore hæc fiunt, glos. in l. 1. in vers. compleuit. ff. de postul.

Quæ Adiacentia?

Iussus iudicis, voluntas litigantium, experientia & cognitio iuris & statutorũ, perspicacia, industria aduocati & salarium: quod si litigatores præstare, ob paupertatem non possunt, non

tamen eorum causa deferi debet, sed potest magistratus, vel de publico, vel ex ærario eleemosynarum communi, suppeditare, glos. & Dd. in d. l. 1. ad verb. non habebit, ff. eod. Paris de puteo, in tractatu synd. ad verb. carcer & carceratus, c. 4. num. 2. & 3. per l. 2. & l. iudices, C. de Episc. audientia, &c.

Quæ Pugnantia?

Præuaricatio, conuiciandi, & maledicendi, temeritas, opprobria, protractio iurgij ex industria, procacia, præteritio, & defectio meritorū causę, quæsita occasio, ad turpe compendium, spem q; deformem, l. quisquis vult esse causidicus, C. de postul. l. 1. &, l. post duos, C. de aduocat. diuers. iud. Vltimò, pactio de quota litis. Circa hoc tamen distingue: aut pactio illa fit, pendente lite: & aduocatus notatus infamiâ aduocationis officio priuatur, l. si qui aduocatorum. Aut fit post actam causam: & talis non est illicita, dummodò licitam quantitatem non excedat. licita autem quantitas, vt ait Vlp. in l. 1. §. licita, ff. de extraord. cog. intelligitur, pro singulis causis vsque ad centum aureos.

DE PROCVRATORIBVS.

Titulus XXXVIII.

Continuatio.

INter personas, quæ alienam litem causamq; suscipiunt, procurator est. Is enim ad alienā litem ex mādato Rei principalis accedit, siue agat,

agat, siue defendat: in hoc discrepans à defensore, quòd is sine mandato rebus alienis sponte se offerat in iudicio, l. item ait, ff. ex quibus causis.

Quis dicitur Procurator?

Procurator est, qui aliena negotia mãdato domini gratuitò administrat, l. 1. ff. eod. c. quia Episcopus, 5. quæst. 3. Quod verbum (gratuitò) ideò adijcitur, quòd procuratoris non sit pacisci de Quota, licet salarium impenso labore dignum accipere possit: vt propter interuentionem mercedis, procuratorem à locatore operum discernamus.

Quot modis constituuntur? vel quotuplices sunt Procuratores?

Ratione causæ efficientis, materiæ, formæ, & effectus, variè constituuntur, & appellãtur procuratores.

Quomodò ratione causæ efficientis vel effectûs?

Quidam dicuntur veri procuratores, quidã falsi. Veri sunt, qui à domino ad hoc, porrecto mandato, legitimè cõstituti sunt. Falsi sunt, qui à domino mandatum non habent: vel qui quidẽ habent, sed reuocatũ, vel alio quouis modo extinctum, l. licet, C. eod. l. falsus, C. de furtis, c. ex parte, extr. de rescript. Et ab his administrata in effectu ipso iure nulla sunt. Sunt etiam quidam qui in specie procuratores dicuntur, putà, à priuato quodam cõstituti: quidam syndici, qui ab vniuersitate, vel Collegio constituuntur.

Quomo-

Quomodò à Materia?

Quidam ſpeciales, vniuerſales, generales, & cum libera. Quidam in rem vel cauſam alienã, & quidam in rem vtilitatemqúe ſuam, dicuntur. Procurator ſpecialis dicitur, qui certæ alicuius rei, ſeu litis negotijúe expediendi cauſa conſtituitur, l. procurator, ff. eod. c. 5. eod. in 6. Vniuerſalis dicitur, qui vniuerſorum bonorum, vel in genere, omnium litium, mandato domini cõſtituitur; & hic generalis nonnunquam etiam nuncupatur mandato, & d. l. procurator, ff. eod. Et conſtituitur tam in ſpirituali, quàm in ciuili. Spirituali, vt, in c. cũ veniſſent, extr. de in integ. reſtitut. pecuniaria & ciuili, vt, l. licet. C. de procurat. Procurator cum libera dicitur, cui rerũ geſtio liberè, vt omnia, perinde ac dominus, peragere, abſque vllo impedimento, poſsit, committitur, d. l. mãdato, l. procurator, ff. eod. c. 4. §. fin. de procurat. in 6. Procurator in rem alienam dicitur, qui aliena negotia adminiſtranda mandato domini ſuſcepit, l. 1. ff. eod. Procurator in rem ſuam eſt, qui quidem alienum negotium mandato domini gerit, ſed ad ſuum tamen emolumentum, l. ſeruum, ff. eod.

Quomodò à Forma?

Quidam procuratores ſunt iudiciales, quidam extraiudiciales. Iudicialis eſt, qui lites alienas vigore conceſsi à domino mandati, vel cautionis de rato in iudicio perſequitur, & ille non poteſt alium ſubſtituere procuratorẽ, niſi poſt litis conteſtationem, poſtquam ipſe dominus li-

tis

tis constituitur, & nõ datur nisi maior 25. annis. Extraiudicialis est, qui negotia domini, eius vel tacito, vel expresso mandato, extra iudicium administranda & expedienda suscipit. Et hic aliũ substituere procuratorem potest, & liberè, c. 1. eod. in 6. Et potest dari post 17. annum. Est & alia differentia inter procuratorem ad iudicia, & ad negotia, quæ notatur in c. ex parte decani, extr. de rescript.

Quæ causa Efficiens?

Iussus iudicis, & ratificatio domini, quæ pro mandato est, consensusque tam constituentis, quàm constituti, l. 1. §. 1. vbi glos. & Dd. ff. de postul. Mynsing. obser. 44. cent. 1. vide glos. & Dd. in l. pecuniam, C. de neg. gest. glos. in l. mutus, eod. l. 1. ff. mand. l. filiusfam. §. inuitus, §. fin. &, l. 2. in verb. quia consensus abest, ff. eod.

Qui constituere possint Procuratores?

Omnes, qui vel lege, vel Canone non prohibentur. Prohibentur autem, excommunicatus, pupillus, furiosus, minor, qui curatorem habet: nisi tutore, vel curatore auctore, l. mutus, ff. eod. l. neque, C. eod. c. fin. extr. de probat. Syndicus vniuersitatis, tutor, curator, procurator, nisi lis cum illis contestata sit. Ratio est. Quia procurator à domino constituitur: hi autem lite nondũ contestata, domini litis non sunt, d. l. neque, l. nec ciuitatis, ff. eod. l. nulla, C. eod. & ibi glos. & Mynsing. obseruat. 43. cent. 1.

Filiusfamilias in iudicio, nisi in castrensi, vel quasi

quasi Castrensi peculio, l. filius, ff. eod. l. sed si vi-
nus, §. filius, ff. de iureiur. Seruus non constituit,
nisi sit in quasi possessione libertatis, & moueatur ei quæstio statûs, l. seruũ, ff. eod. l. 1. C. de ad-
sert. tollend. Ab hostibus captus, constitutus e-
nim in potestate hostium dominus rerum sua-
rum non dicitur, l. ab hostibus, ff. ex quibus cau-
sis. Quilibet Prælatus, absq; consensu Capituli,
c. fin. extr. eod. c. causam, extr. de iud. Innoc. III.
in c. edoceri, extr. de rescript.

Qui constitui Procuratores possint, vel non?

Quiuis procurator cõstitui potest, nisi ex cau-
sa prohibeatur. Prohibitorum autem in triplici
genere sunt: quidã omninò nõ possunt procura-
tores dari, vt sunt, q vitio nouercata natura, vel
ex accidẽti, cõtracto laborãt, vel reb. suis, ob defe-
ctũ intellectûs, prẽesse nõ possunt, vt sunt mut,
surdus, furiosus, prodigus, &c. vel q in dignitatis
aliquo gradu & functione publica sint cõstituti,
quorũ decor huius functionis vilitate nõ debet
dehonestari, vel obscurari: vt sunt quælibet illu-
stres personæ, cõsules, decuriones, medici, profes-
sores, &c. Procuratoris. n. officiũ, nõ est dignitas
sed onus, vt notat gl. in l. 2. C. de dignit. lib. 12. &
Panor. in c. Imperatorũ, nu. 9. de iuram. calum.
& ab aliquib. pro munere vili & nullius existi-
mationis iudicatur, l. si quis procuratorẽ, vbi gl.
& Bart. Ang. & alij de dig. lib. 12. Dynus in c. infa-
mib. de reg. iur. in 6. Panor. in c. post cessionẽ, nu.
2. de probat. ob id illustres personæ, ne iacturam
existimationis faciãt, possunt ab officio procura
torio abstinere, l. quicunq;, C. eod. Auth. ibi sig-
nata,

nata, quod ius, & in Auth. vt ab illustri, Spec. de procur. §. 1. nu. 35. nec Episcopi, vel Prælati, ne à diuinis obsequijs auocẽtur, & litibus, cõtentionibusq; incumbãt; cũ seruos Dei ab omni discordia auersos & pacificos esse oporteat; procuratores cõstituuntur, c. sicut sacerdotes, 2. quæst. 7. c. cùm simus, 9. quæst. 3. l. omnes, C. de Epis. & cler. Secundò: quidam tantùm in iudicio ad lites non possunt cõstitui, licet ad negotia possint. Vt sunt seruus, excommunicatus, cùm in iudicio legitimã personã standi non habeant, c. intelleximus, extr. de iud. minor, ob beneficiũ restitutionis, l. exigẽdi, C. eod. Panor. in c. iniustè, eod. infames, si dẽtur pro Ecclesiasticis personis, & nõ pro laicis, Panor. in c. Imperatorũ, nu. 9. extr. de iureiur. mulier, ob pudorẽ sexûs, l. alienã, C. eod. l. 3. §. 1. ff. de neg. gestis, l. neq; fœmina, ff. eod. Exceptis q̃ busdam casibus, scilicet, 1. Si in rem suam constituta sit, l. quia te, C. de procur. 2. Pro parente in necessitate, l. fœminas, ff. eod. 3. Quando filiorũ tutelã gerit, c. ex parte, extr. de appell. 4. Cũ agitur pro libertate filij, vel patris, vel fratris, vel alterius consanguinei, l. 3. ff. de liberali causa, 5. In causa filij per sententiã condemnati, quia appellat pro eo, & causam prosequitur, l. 1. §. fin. ff. de appell. recip. vel non. Deniq; quidã neq; ad lites, neq; ad negotia constituuntur, tantùm in temporalibus, licet in spiritualibus procuratores esse possint, vt sunt monachi, & clerici tam regulares, quàm seculares, in quolibet gradu constituti, c. 1. extr. de synd. c. sed nec procuratores, &, c. 1. verb. conductores, extr. ne cler. vel monach. & in Au. de sanctis Episcopis, §. Deo amabiles: cũ &

pro

pro miserabilibus personis, coniunctis, & pro Ecclesijs suis maximè in causis, laicorũ & forosecularibus procuratores dari possint, c. 1. & fin. extr. de postul.

Quæ Materia?

Negotia, vel omnium bonorum, vel alicuius partis extra iudiciũ, & omnes lites, vel quædam in iudicio, quæ ex causis, quibus adhiberi potest procurator, proficiscuntur, l. in copulandis, C. de nupt.

Quæ causæ in iudicio agitari possunt, & quæ non?

Per procuratorem agi possunt omnes causæ ciuiles, nisi interesse Reipublicæ aliud suadeat, siue lis contestata sit, siue non, l. 2. l. nihil arbitramur, C. de procurat. l. 1. ff. an causæ appell. per alium red. l. qui populari, ff. de popul. act. circa criminales causas distinctio hæc habẽda est. Aut de crimine agitur ad pœnam ciuiliter, aut criminaliter: si ciuiliter, etiam in causa criminali interuenire procurator potest, c. extra mediatores, extr. de test. l. vlt. C. ad l. Cor. de fal. c. super his, extr. de accus. c. tuæ frat. extr. de procur. c. 1. extr. vt lite nõ cõtestata, &c. Sin aũt criminaliter, tũc non admittitur procurator, neque in agẽdo vel defendendo, c. Reos sanguinis, 23. q. 5. &, c. veniens, extr. de accus. & c. tuæ, extr. de procurat. c. si quando, 2. q. 6. c. in criminalibus, 5. q. 3. &, c. absens, 3. q. 11. Et est duplex ratio. 1. quia si interueniret procurator, & succumberet, ipse condemnare.

demnaretur,qui nõ deliquit,l.liberto,ff. de neg. gest.quod esse non debet,æquitate aliud suadente,c.cognoscentes,extr.de constitut. 2.Quia id, quod admitteret,non posset consequi per actionem mandati contrariam, licet secus sit in causa ciuili.Excipiuntur tamen aliquot casus, quibus & in criminalibus admittitur procurator: 1.In crimine iniuriarum,si sit illustris persona, c. absens,3.q.9. 2.In accusatione ingratitudinis,l.sed & hæ,§.patronus,ff.eod. 3.In accusatione suspecti tutoris,l.non solùm,§.fin.ff. eod. 4.In accusatione suspecti Prælati, secũdùm Innocẽtiũ III. c.veritatis,extr.de dolo,& cont. 5.Si crimen,siue publicum sit,siue priuatum,non excedit pœnam relegationis,vel etiam ab ordine remotionis secũdùm Azo.Tancr.in l.absentem,ff.de pœnis. 6.In actione populari,pro priuato damno, intentata,l.licet,ff.eod. 7. Ad proponẽdum excusationes, c. reos,23.q.5. 8.Cùm seruus accusatur,quem dominus defendit,l.si seruus,C.de accus. 9.In leuibus criminibus,l.leuia,ff.de accus. 10.Ad excusandum & excipiendum, c. cùm dilecti,extr.de dolo & cont. Hodie tamen vsu frequentiori obseruatur,vt causæ criminales indifferenter,ob grauitatem,qua ciuilibus præponderant,per procuratores agantur.

Quæ Forma constitutionis Procuratoris?

Vt expresso (putà, per pactum, nuntium, literas,ratihabitionem)vel tacito, (vt si dominus præsens, patiatur rem suã agere)domini vel Capituli,(quod loco domini est) cõsensu,quis pro-

curator generaliter, ad omnia negotia, vel ſpecialiter, ad certam cauſam, litemq́, vel cum clauſula; Cum libera, in diem, vel ad diem, vel ſub conditione, in iudicio, vel extra iudicium; conſtituatur, l.1.l.inuitus, C.eod.l.1.&, l.ſeq.ff. eod. Mynſ. obſeru.44.cent.1.l.qui patitur, ff. mãdati, Clem. 1.eod.l.1.&, l.2.l.5.& 6.l.ſeruum, ff.eod.l.1.ff. mãdati, l.3.eod.l.mandato, l.procurator, ff.eod. Bar. in l.creditor, ff.mandati, l.2.ad Trebel.gl. in c. ex parte, extr.de arb.per tex.in c.cùm dilectus, extr. de relig.domib.

Quæ forma conſtituendi Procuratoris in iudicio?

Vt dominus mandatum actis inſinuet.hoc eſt, literas procurationis parti, vel iudici dirigat, offerat iudici, aut mittat, & ad acta redigi curet: aut vt ipſe coram iudice procuratorem eligat, eiusq́ perſonam confirmet, & ſe ratum habiturũ, quicquid ille gefſerit, polliceatur & caueat, l.ſi procuratorem, vbi Bar.num.3.ff.eod.l.ne ſatisdatio, ff. rem ratam habere. Et Specu.in tit. de procuratore, §.ratione formæ, num.13. & 19.

Quæ Forma conſtituendi extra iudicium?

Vt coram notario & teſtibus, aut, ſi is haberi nequit, literis, priuato vel publico ſigillo, conſignatis conſtituatur, iuribus ſuprà allegatis, &c. Et hoc caſu quando ſic de mandato conſtat, non cogitur procurator Actoris cauere rẽ ratã dominum habiturum. Quòd ſi aũt nullum omninò mandatũ exhibere poteſt, tunc ne offerens quidem

dem cautionem, inuito aduersario, nisi pro coniuncta persona, recipitur, l. sed hæ, ff. eod. l. maritus, l. exigendi, C. eod. Sin autem probabiliter dubitetur, vtrùm quis mandatum habeat, an non? Hoc casu cũ cautione de rato admittitur, Cuia. obser. lib. 7. c. 26. procurator autem Rei eodem modo, aut in iudicio, aut extra iudicium constituitur: sed adhibita satisdatione iudicatum solui, l. iudicatum, ff. iud. sol. eoq; nomine hypothecam suorum bonorum supponere pignori Reus debet, l. qui proprio, ff. eod. Nemo enim in re aliena iustus defensor est, nisi satisdet de iudicato soluẽdo, d. l. q propria, ff. eod. & Bar. in d. l. si procuratorẽ. Vbi addit, etiãsi mãdatũ habeat idoneũ procurator, tamẽ ad hãc cautionẽ teneri, nisi dominus ipse satisdederit, per l. vnicã, C. de satisd.

Quæ Forma mandati seu instrumenti Procuratorij?

Vt mandatum contineat nomen iudicis, coram quo litigatur, constituentis, constituti, & eius, contra quem, in qua causa, & ad quid (putà, an ad agendum, vel defendendum) constituitur, & quod ratum habebit dominus, quod cum eo actum erit. Et potissimùm, si à Reo detur, exponatur in literis satisdatio, per quam ipse dominus sub hypotheca rerum suarũ fideiussor procuratoris existat iudicatum solui, etiam cũ apud acta constituitur, c. accedens, c. constitutis, extr. eod. cap. Nicolao, extr. de appel. §. si verò aliquis, instit. de satisd. l. vnica, C. eod. l. 2. C. de consortibus eiusd. lit.

Quis Finis?

Vt, quia domini rebus ſuis ſupereſſe nolunt, vel nequeũt, eorum negotia, per alios ad id idoneos, expediantur, l. 1. ff. eod. Cùm & publicè interſit, vt abſentes defendantur, l. ſeruum, §. publicè, ff. eod. l. 4. §. 1. ff. de actionibus.

Qui Effectus?

Primus effectus eſt, vt procurator, qui vel ſua ſponte, vel coactus, ſuſcipit negotium demandatum, & tractare incipit, ipſa tractatiõe fit dominus negotij, poſtquam res deſijt eſſe integra, tam extra iudicium, quàm in iudicio, l. eum, §. fin. ff. de conſtit. pec. Bart. in l. 1. C. de ſentẽ. & interloc. l. 1. ff. de ſtipulat. ſeruorum.

Secundus: Vnde poſt litis conteſtationẽ procurator dominus litis fit, & omnia facere, agere, & gerere ex bona fide poteſt, q̃ dominus facere poſſet, l. procuratoribus, l. nulla, C. eod. c. 1. §. 1. eod. in 6. Mynſing. obſeruat. 43. cent. 1. c. 1. extr. vt lite non conteſtata.

Tertius: Sicut omnes cõtractus ab initio ſunt voluntatis, ex poſt facto autem neceſsitatis, ita etiam mãdati procuratorij ſuſceptio ſeſe habet: vt, qui ſuſcepit, etiam inuitus, abſoluere & exequi mãdatum authoritate magiſtratûs cogatur. prætor enim ſe coacturum edicit, l. filiusfamilias, §. fin. l. ſed hæ, ff. eod. niſi iuſtiſsima cauſa procurator ſe excuſare poſsit, l. ſed ſi quis, ff. quemadmodum teſtamenta, &c.

Quartus: Quòd citationes non ad dominum, ſed ad procuratorem, dirigãtur, actuſq; iudiciarij

rij ab ipso exigantur: ita, vt sententia non in dominum, sed in ipsum procuratorem etiam proferatur, l. 1. C. de sententijs & interloc. c. 1. extr. vt lite non cõteſt. c. querelã, extr. de elect. l. liberto, §. fin. ff. de neg. gest. Et sanè in his, in quibus executio sententiæ perinde fieri potest, in procuratorem ac in dominũ; vt in ciuilib. & pecuniarijs causis; secus est in ijs, in quibus executio fieri nequit in procuratorem, vt matrimonialibus & criminalibus, in quibus procurator, iuxta priùs notata, admittitur, & id genus alijs, l. fin. vbi gl. Bart. &, l. nihil, C. eod.

Quintus: Mandati actio directa & contraria, quæ ex obligatione, quæ inter dominum, & procuratorem consistit, proficiscitur. Directa quidẽ datur domino, contra procuratorem, ex varijs causis, quæ sunt in d. l. licet, l. filius familias, §. sed etsi, ff. eod. d. l. si procuratorem, ff. mandati, l. si quis, §. si quis, ff. de pœnis, d. l. q proprio, §. procuratores, ff. eod. Contraria datur procuratori, contra dominum, ad consequendum id, quod bona fide expendit ex mandato, c. cùm pro causa, extr. eod. c. quicunq;, 12. quæst. 4. Quòd si mandatum non habuerit, quod extra mandatum, in vtilitatem tamen domini, expendit, cõsequitur negotiorum gestorum actione. æquum enim est, nusquam illi officium esse damnosum, l. sed si quis, ff. quemadmodum testamenta, &c. Item ad consequendum salarium, l. salarium, cum ll. sequent. mutuam, ff. mandati, l. salarium, C. mandati, l. sumptus, ff. de pact.

Sextus: Vt quicquid fuerit in iudicio, ex quo apparet de mandato legaliter facto, omnimodò

ratum sit, c. 1. extr. eod. potest enim procurator domino & nocere & prodesse, c. 1. &, c. 2. de confes. in 6.

Quæ Cognata?

Affinitatem quandam cum procuratoribus, ratione susceptæ defensionis, vel administrationis rei alienæ, vel in iudicio, vel extra iudicium, habent aduocati, causarum patroni, defensores, syndici, actores, executores, notarij, vindices, negotiorum gestores, cognitores, oeconomi, curatores, tutores, operarum locatores, nuntij, c. causam, extr. de test. l. Pomponius, l. Plautius, ff. eod. Cuiacius ad Paul. lib. 1. tit. 2.

Quæ Adiacentia?

Mandatum, cautio de rato, cautio mandati portãdi, cautio iudicio sisti, & cautio iudicatum solui, potestas substituendi, salarium, diligentia, cura, cùm de malè & perperam gestis, vel incuriâ neglectis procurator teneatur domino.

Quæ Pugnantia?

Mors alterutrius tam constituentis, quàm cõstituti, re integra, ætas procuratoris minùs apta negotijs, valetudo, occupationes, & impedimenta, quibus ita distringitur, vt suis reb. præesse nequeat, inimicitiæ, affinitates, aut amicitiæ cum aduersario contractæ, infortunium, & calamitas, tam procuratoris, quàm domini, finitio instantiæ: Quæ sunt reuocandi procuratoris iustæ causæ, Felin. in c. ex parte, nu. 21. extr. de rescript. Cyn. & Fab. in l. falsus, C. de fur. Denicq; omnes exceptiones peremptoriæ, quæ contra procuratorem in rem suam, seu alienam cõstitutum, vel

ratione

ratione sui & causæ, vel ratione cõstituentis, vel ratione formæ constitutionis competentes ante litis contestationem in vim dilatoriarum opponuntur, l. itaque, &, l. si quis, ff. eod. Exceptiones contra procuratorem in rem suam constitutum cõpetentes sunt. 1. Nullus titulus est in procuratione insertus, nã nuda traditio, & sine causa facta in rebus corporalibus non transfert dominium, l. nunquã nuda, ff. de acq. rer. dominio. 2. Actio cessa est dubitata. i. in iudicium deducta, quare nõ tenet cessio, c. 2. extr. de alienat. iud. mutan. &c. 3. Actio est pro parte vendita, pro parte donata, l. fin. C. man. 4. Cessio fuit simulata, c. per tuas, extr. qui filij sint legitimi. 5. Cessa iura sunt ab eo, q̃ cedere nõ potuit, vt sunt minor sine tutoris, vel curatoris authoritate: tutor vel curator sine pupillo, nisi absens sit, vel fari nõ possit, furiosus, prodig⁹, l. restitui, ff. ad Treb. l. is cui, ff. de ver. obl. Au. minoris, C. q̃ dare tut. vel &c. Exceptiones, quę opponũtur cõtra procuratorẽ in rẽ & causam alienã cõstitutũ, & cõpetunt ratione sui & causę, sunt: 1. Quòd sit excõmunicatus, c. post cessionẽ, extr. de off. deleg. 2. Quòd sit mulier, l. neq; fœmina, ff. eod. 3. Quia minor 25. annis, l. minor, ff. eod. 4. Quia miles, l. militis, C. eod. 5. Quia causa est criminalis, publica vel priuata, in qua procurator, ne in agendo, vel defendẽdo, interueniat, prohibetur, c. tuæ, ext. eod. c. veniẽs, extr. de accus. 6. Quia mandatũ est generale, & talis est cã, in qua exigitur speciale, Spec. in §. ratione, tit. de procurat. 7. Non habet literas de rato, quamuis habeat procuratorias, c. penul. extr. de reli. dom. 8. Procurator, est cõtra Eccleſiã, in qua

beneficiũ habet,c.fin.ext.de poſtul.9. Cõſtitutus eſt in iudicio ante litis cõteſtationẽ à tutore vel curatore vel procuratore,quod fieri non poteſt, l.neq; ad negotia,&,l.quod quis, C, de procurat. 10. Quia mãdatum ſolũ ad agendum,vel,licet de rato cauerit,non tamen ad defendendum, quod tamen neceſſe eſt,c.accedens,extr.eod. 11.Non cauit de rato,& dubius eſt de mandato, excedit fines mandati,non iurauit iuxta tenorem conſtitutionis,c.properandum,extr.de poſtul. c. innotuit,extr.de elect. 12.Quia reuocatus eſt,Epiſcopus vel ſacerdos ſecularis, vel in ſacris ordinib. exiſtens,vel in minoribus,monachus eſt,nec habet mandatum ſui Superioris: laicus eſt, & eſt cauſa ſpiritualis,c.non iniuſtè,extr. eod.c.1. & 2. extr.ne cler.vel monach.c.2.extr.de poſtul. c. ſacroſancta,extr.de elect. 13.Quia eſt magiſtratus, furioſus,potentior,fiſcus, vel Reſpublica, infamis,ſeruus,accuſatus de crimine capitali,filiuſf. medicus,redemptor litis, falſus procurator, ignarus cauſæ,habens mandatum nullum, finitũ vel reuocatum.

Secundò:ratione conſtituentis opponuntur exceptiones contra procuratorem.vt ſunt: quia conſtituens fuit monachus, ſeruus, deportatus, vel bannitus,excommunicatus, minor 25.annis, infamis, reus criminis, mortuus re integra, vel quidam alius,cui, ob iuſtam cauſam, conſtituendi poteſtas eſt interdicta.

Tertiò:ratione formæ, competẽtes exceptiones obijciuntur contra procuratorem. 1.Quòd non contineatur in literis,ſeu inſtrumento conſtitutionis,ad quid ſit conſtitutus, putà ad agendum,

dum, vel defendendum, c. accedens, &, c. constitutis, extr. eod. 2. Quòd mandatum actis non sit insinuatum, l. si procuratorem, ff. eod. 3. Quòd in literis procurationis rei, dominus non exposuerit satisdationem, per quam ipse dominus, sub hypotheca rerum suarum, fideiussor procuratoris existat iudicatum solui, etiamsi apud acta constituatur, l. 2. C. de consor. eiusdem litis, §. si verò aliquis, inst. de satisdat. 4. Licet habeat mandatum ad agendum, non tamen ad defendendum, c. Nicolao, extr. de appellat. 5. Quòd ipse generaliter, licet alter specialiter, priùs fuerit cõstitutus, c. 1. extr. eod. &, c. 1. extr. de rescrip.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Nec Prælatus, sine cõsensu Capituli, nec Capitulum, sine consensu Prælati, potest iudicium exercere, vel conueniri, c. per totum, 12. q. 2.

Sententia cum falso procuratore lata, est ipso iure nulla, nec præiudicat domino, c. ex insinuatione, &, c. in nostra præsentia, extr. eod.

Non debet quis alterius odio prægrauari, c. nobis, extr. de simonia,

Quælibet præsumptio probatione in cõtrarium facta elidi potest, c. in nostra, extr. eod.

Exceptio falsi procuratoris, non solùm ante litis contestationem, verùm etiam post, obijci potest, d. c. in nostra, extr. eod.

De nemine præsumendum, quòd sit immemor salutis æternæ, 1. quæst. 7.

Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus, c. v-

nico extr. de scruti. &, c. dudum. extr. de præsump.

Nunquam proceditur contra absentem, nisi vel tacitè vel expressè citatum, glos. in d. c. in nostra, in verb. irritandum, extr. eod.

Sublato principali tollitur accessorium, c inter dilectos, extr. de fide instru. c. qualiter, extr. de elect. c. has scripsimus, 16. q. 7. c. 1. extr. de schismat.

Cùm verba generalia, siue ambigua, ponuntur in instrumentis procurationis, recurrendum est ad intentionem constituentis. Verba enim debent deseruire intentioni, non intentio verbis, c. ex multiplici, extr. de decimis, c. humanæ aures, 22. q. 5. c sedulò, 38. dist. c. intelligentia, extr. de verb. signif. c. præterea, &, c retulerunt, dist. 4. de consecrat.

Si post conclusionem in causa apparet, procuratorem reuocatum, nihilominùs fertur sententia, c. audi-tis, extr. eod.

Procurator constitutus ad prosequendum iudicium petitorium, videtur etiam constitutus ad exercenda iudicia præparatoria & possessoria, etiamsi aliud mandatum non habeat, l. 5. ad legatum, extr. eod.

Cùm quid mandatur, omnia intelliguntur iniungi, sine quibus commodè ad exitum res mandata perduci nequit, eod.

Posterius mandatum derogat priori, iuxta regulã, pacta nouissima, &c.

In duplicibus iudicijs procurator datus ad agendum, videtur etiam datus ad defendendum, c. Nicolao, extr. de appell.

Pluribus procuratoribus simul, & in solidum datis, potior

potior est conditio occupantis, c. sanctæ crucis, extr. de rescript. gl. in c. non iniustè, extr. de procur.

Pluribus procuratoribus simul datis, non videtur dati in solidum, sed pro parte, nisi aliter cautū sit, c. si duo, extr. de procur. Mynsing. obseruat. 47. cent 1.

Obscuritatis in mandato interpretatio contra dominum fit, iuxta l. veteribus, ff. de pactis.

Nota. Iure Canonum indifferenter, quilibet administrator rei alienæ dicitur procurator. Quia Canones nō faciunt differentiam in vocabulis, dummodò is, qui alienæ rei administrādæ constitutus est, habeat potestatē agendi & defendendi, c. petitio, extr. eod. &, c. saluator, 1. q. 3. Ius autem ciuile procuratores ab alijs alienarum rerum administratoribus distinguit, gl. in c. quia in causis, extr. de procur.

DE SYNDICO.

Titulus XXXIX.

Continuatio.

PRocuratores à causa efficiēte bifariàm intelligi dictum est, vel procuratores in specie, qui à priuato quodam, vel syndicos, qui ab vniuersitate, vel collegio constituuntur. debēt enim vniuersitates cùm iudicio præsentes commodè interesse non possint causas suas per constitutos syndicos agere, Dd. in l. 1. ff. q. cuiusq; vniuer. &c.

Quid est Syndicus?

Syndicus est procurator, qui ad agēdas causas vniuersitatis vel Collegij, seu defendēdas prēsentes & futuras communi mandato constituitur, c. 1. &, c. idem, extr. eod.

Vnde

Vnde dicitur Syndicus?

Dicitur, secundùm Speculatorem Syndicus, quasi singulorum, de vniuersitate, vel, Collegio, causas dicens, l. numerum, ff. de muneribus & honorib. §. 2. sed veriùs dicitur à Greco verbo συνδικεῖν, quod est, adesse, patrocinari, defendere, patrocinium suum in causam communem adferre. Hinc qui à singulis vrbibus ad tuendam causam vnius prouinciæ mittuntur patroni, syndici dicuntur secundùm Budæum.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, lex, consuetudo, vel statutum, consensus vniuersitatis, collegij vel maioris partis, aut ordinis, vel eorum, quibus ordo hoc commisit, non autem consensus constituti. Quia etiam inuitus quis syndicus constitui potest, Specul. de syndi. in princ. allegãs l. 1. & l. fin. §. defensores, ff. de munerib. & honor. &, l. nulli, ff. quodcunq;, &c. Vbi dicitur: nulli permittetur nomine ciuitatis vel curię experiri, nisi ei cui lex permittit, aut lege cessante ordo dedit, cùm duæ partes adessent, aut ampliùs quàm duæ.

Quid Vniuersitas?

Vniuersitas est, multorum hominum in vna Republica simul degentium communitas. aliud autem est vniuersitas, aliud singuli de vniuersitate: adeò, quòd, etsi quid faciant omnes de vniuersitate, nisi tamen faciant vniuersitate solenniter congregata, & communicato consilio, non censeatur actus gestus à cõmunitate, etsi actus Reipublicæ commodum respiciat, iuxta Bart. Ang. & Ca-

& Castrens. in l. sicut, §. si quid vniuersitati, ff. quod cuiusque vniuers. nomine, &c. &, l. ciuitas, ff. de reb. cred.

Quid Collegium?

Collegium est, plurium personarum in vnũ corpus collectio. Hostiens. hîc: &, Dd. in d. l. ciuitas.

Quid Ordo?

Ordo est, status & præeminentia quibusdam in vniuersitate ad regendam Rempublicam populi suffragijs attributa.

Quæ Materia?

Omnia Reipublicæ collegiorumq; negotia, & causæ, tam ciuiles, quàm criminales, siue præsentes, siue futuræ, sint. Siquidem in criminalib. vniuersitas per Syndicum rectè defenditur. Specul. hoc tit. num. 5. &, tit. de accusat. vers. fin.

Quæ Forma?

Vt Vniuersitate, Curia, Collegio, vel Ordine, in loco publico solenniter congregatis, omnib. vel maiore parte, vel his, quibus ab illis hæc res specialiter commissa est, præsentibus, Syndicus per suffragia ad eliciendum singulorum consensus, decreto interueniente, constituatur, & desuper instrumentum syndicatus, quod, secundùm Specul. quatuor continere debet, scilicet, quis syndicum constituat, & quis constituatur, ad quas causas, & lites, contra quos, denique quomodo & quare constitutus sit, iuramento fidelitatis & diligentiæ præstito conficiatur, l. 2. C. de decu.

decu.l.si procuratorem,ff.de procur.l.penult.de legatio.l.si actor, C.de appellationibus.

Quis Finis?

Necessitas & vtilitas,cùm Vniuersitatis, tum etiam eorum, quibus lis & negotium cum Vniuersitate intercedit. Quoniam Vniuersitas, nec agere,nec conueniri,nisi per Syndicum qui Vniuersitatē repræsentet, potest,Spec. de synd. nu.5.

Qui Effectus?

Primus est:quòd generalis constitutio Syndici cōsensu totius vniuersitatis, vel duarum partium,vel maioris partis ex vniuersitate approbata Syndico liberam agēdi potestatem tribuat etiam in ijs,in quibus aliàs speciale mandatū desideratur,Ias. in l.præses,con.12.nu.7.C.de transi. qui licet distinguat, tamen Alex.dicit esse verius conf.22.num.11.vol.1.

Alter effectus est:quòd omnia,quæ Syndicus, etiam absque cautione,egit, ab vniuersitate rata haberi debeant: ita vt commodum & damnum per talem gestionem in eam redundet, l. fin. vbi Dd.ff.eod.

Tertius effectus est:quòd per litis contestationē fiat Syndicus dominus litis,adeò, vt promissio ei facta,& delatio præstatioq; iuramēti,aliaq; omnia,quæ in iudiciario processu ab ipso aguntur,iure subsistant,l.item,§.fin.eod. gl.ibi, §.fin. ad verb.de rato.

Quæ Cognata?

Actor,oeconomus,procurator,curator,administrator,seruus publicus.Actor dicitur, qui ad agendum seu defendendum causas vniuersitatis

præ-

præsentes tantùm constituitur, l. item suffragiũ, §. decuriones, ff. eod. differt in hoc à syndico, q̃ is detur ad vniuersitatem causarum, tam præsentiũ quàm futurarũ, non aũt ad vnã præsentẽ & certã causam, sicuti actor, l. 1. ff. eod. Oeconomus est dispẽsator Ecclesiæ, cui res Ecclesiastica administranda mãdatur, c. quoniam, 16. q. 7. c. 1. dist. 88. c. hoc ius porrectũ, 10. q. 2. Curator dicitur, q̃ negotia ciuitatis extraiudicialia persequitur. Serui sunt, qui publico scribẽdi munere fungũtur, & etiã actuarij dicuntur, l. fin. vbi Dd. eod. Administrator dicitur, qui prẽest pecuniæ, aliaq̃ negotia ad vniuersitatem pertinentia tractat, tot. tit. de admin. rerum ad ciuit. pert.

Quæ Adiacentia?

Iuramentum fidelitatis, cura, industria, instrumentum, syndicatus.

Quæ Pugnàntia?

Mors Syndici, & reuocatio Vniuersitatis seu Collegij, omnesq̃ exceptiones, quæ contra personam Syndici, eiusq̃ constitutionem, ratione causæ efficientis, materiæ, vel formæ, possunt opponi. Cõtra personã: vt si Syndicus sit inhabilis ad agendũ, quia excõmunicatus, miles, minor, mulier, vel criminis accusatus. Contra constitutionẽ, ratione causæ efficientis: vt quia constitutus ab vniuersitate, cuius rectores sunt excõmunicati, vel tales, qui ob causam cõstituere nõ possint, c. fi. extr. de procur. vel qa cõstitutus sine cõsensu Episcopi, vel quorũ cõsensus desideratur, l. oẽs, C. de epis. & cler. vel qa à Collegio illicito, l. 1. ff. q̃ cuiusq̃ vniuers. nomine. Ratione cõstituti, vt qa laic⁹ cõstituitur in reb. Ecclesiasticis. Ratione

formæ,

formæ, quòd non est à duabus partib. Curiæ vel Collegij constitutus, vel saltem à maiori parte, extr. de elect. c. in Ecclesia: vel quod aliqui non sunt vocati ad constitutionẽ, c. quia propter, extr. de elect. vel constituti, vel constituentium nomina instrumento non sunt inserta.

DE HIS QVAE VI METV E causa fiunt.

Titulus XL.

Continuatio.

LItigatores quandoque, ex iusta & legitima causa, agendo & excipiendo contra aduersarium, restitutionem in integrum merentur: quibus non iniustè annumerantur hi, qui vi aut metu cõpulsi, aduersario, per fraudem vim inferenti, quid dederunt, vel promiserunt.

Quid est Vis?

Vis est, maioris rei impetus, qui repelli non potest, secundùm Iurisconsul. in l. 1. ff. eod. &, l. si ea, ff. de act. empt.

Quot sunt Species?

Vis variæ sunt species. Alia compulsiua, per quam compellitur quis ad id faciendum, quod non faceret, si esset liberi arbitrij. Et ex hac nascitur edictum, Quod metus causa, l. 1. ff. eod. Alia expulsiua, quæ nihil aliud est, quàm si quis per vim alium de possessione sua rerum immobilium deijciat, vel res immobilibus cohærentes mobiles,

mobiles, rapiat. Et hac inducitur interdictum, Vnde vi, tot. tit. C. vnde vi, l. 1. §. 3. ff. de vi & vi armata, &, l. si quis in tantam, C. vnde vi. Alia ablatiua, quæ contingit in rebus mobilibus, & inducit actionem, vi bonorum raptorum, l. 1. §. si fundus, ff. de vi & vi armata, institut. Vi bonorum raptorum, per tot. & notatur de hac per Canonistas, in tit. extr. de treuga, & pace. Alia turbatiua, ex qua datur interdictum, vti possidetis, in rebus immobilibus, & in rebus mobilibus interdictum, Vtrubi, cùm duo se possidere contendunt, ff. vti possid. & vtrubi per tot. Alia inquietiua, quæ fit, cùm quis non finit alium vti re sua quietè, vel in alieno ædificat, vel ędificare, inuito domino, conatur. Et ex hac datur interdictum, Quod vi, aut clàm, per tot. tit. ff. quod vi, aut clàm.

Quid Metus?

Metus est, instantis vel futuri periculi, mentis trepidatio, l. 1. ff. eod.

Metus quotuplex? Et quid iustus?

Metus duplex est, iustus & probabilis: & vanus vel improbabilis. Iustus est, qui in constantē virum cadere potest: Et est vitæ, cruciatûs, corporis, statûs, seruitutis, fortunarum, pudoris, & instantiæ realis, c. cùm dilectus, extr. eod. l. 7. 8. 9. ff. eod. l. 4. l. isti, eo d. l. 4. & 9. C. eod.

Quid vanus Metus?

Vanus & non probabilis est, qui non in constantem, sed abiectum, vecordemqúe hominem

cadit: qui facilè commouetur, & non timendà timet, Iaſon, inſt. in act. quod metus cauſa, nu. 54. vſque ad 73. & Zaſ. num. 10. Et eſt potentiæ, reuerentiæ, perfidiæ, accuſationis, infamiæ verbalis, & minarum, c. cùm dilectus, extr. eod. l. etiamſi, ff. eod.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiens vis metuſq; probabilis eſt, ipſa impreſsio, violenta coactio, & minæ accuſationis, & infamiæ capitalis, eius, qui dolo vim infert: vel eſt neceſsitas impoſita contraria voluntati faciẽdi id, quod non faceret, ſi liberum eſſet arbitrium, l. fin. &, l. penul. C. eod. l. donationis, l. penult. ff. eod. gl. & Dd. in l. metum, C. eod. vnde Spec. de præſump. §. vlt. num. 7.

Quod Obiectum?

Obiectũ eſt, corpus & animus patientis vim, vel metum in virum conſtantem cadentem. Eſt enim quædam vis, quæ corpori, & quædam, quæ animo vtraq; metum inducens, infertur.

Quæ Forma?

Forma certa præſcribi non poteſt, cùm variis modis, & re, & verbis, vis metusqúe inferri poſſint, vt Dd. in l. vt vim, ff. de iuſt. & iure.

Quis Finis?

Finis eſt, vt aliquid extorqueatur, licet non ſemper traditio rei extortę, ſed illatam vim promiſsio ſequatur.

Qui Effectus?

Effectus eſt, actio & exceptio, quod metus cauſa,

sa. Siquidem vis compulsiua, cùm plerunq; dolo fiat, delictum est, ex quo datur obligatio, producens actionẽ, Quod metus causa: quæ, licet ob delictum, personalis sit, tamen ex æquitate naturali, non tantùm contra vim metumq; inferentem, sed contra quemcunq; possessorem rei per vim extortæ, vt officio iudicis restituatur, competit, infra annum quidem in simplum, post annum in quadruplum. Et hoc verum, si res incontinenti post vim illatam tradita sit, sin autẽ nondum tradita, sed promissa ob consensum vim passi quidem, contractus iure ciuili subsistit, ex quo petenti vi obligationis constitutæ datur actio, quæ tamen per Reum, obiecta exceptione, Quod metus causa, eliditur, & penitus eneruatur, l. metum, §. prætor, ff. eod. l. non fraudulẽter, ff. de reg. iur. c. Abbas, §. vnde, extr. eod.

Quibus casibus gestum ob vim & metum ipso iure nullum est?

Sũt tamẽ nouẽ casus, quib. vrinq; nulla datur actio, sed gestum, per vim metumq;, licet iureiurando firmatũ, ipso iure nullũ est. 1. Si per vim & metum matrimonia sint cõtracta: cùm inuitæ nuptiæ difficiles exitus cõsueuerint habere, c. requisiuit, c. gemma, c. cùm locum, &, c. veniẽs, extr. de spon. 2. In promissione dotis, l. si mulier, §. si dos, ff. eod. 3. In alienatiõe rei Ecclesiæ, 15. q. 6. c. 1. de iurei. &, c. 2. de reb. Eccles. nõ alienan. 4. In iurisdictione proroganda, c. si diligenti, extr. de foro comp. 5. In voto, cap. 1. extr. de voto, 15. q. 1. 6. In authoritate tutoris, l. 1. ff. de auth. tutorũ. 7. In testamentis, l. qui testamẽto, §. fin. ff.

de testam. 8. In sententię pronuntiatione, c. iniustum, 11. quæst. 3. 9. In procuratoris constitutione, arg. c. accedens, extr. de procur.

Nota tamen hîc, quòd omne iuramentum, iure Canonico, seruandum sit, quod absque dispendio salutis æternæ seruari potest, c. cùm contingat, extr. de iureiur. &, c. licet mulieres, de iurei. in 6. Quod procedere etiam putãt, si vi metuque iuramentum extortũ fit: iuramentum enim seruandum est, nisi eius petita fuerit relaxatio. Nã in subditis, qui ob causas, etiã ciuiles, à suis dominis iniquè mancipantur, nec aliter relaxãtur, nisi, sub iuramento securitatis. i. nisi iuramentũ præstent, de non vindicando carcere; In ordinat. Cam. par. 2. tit. 24. constitutum est, vt à tali iuramento relaxatio ad effectum agendi peti possit, in Camera: iuramentum enim nõ vinculum iniquitatis, sed veritate, iudicio, & iustitia, tãquam suis comitibus, fulcitum esse debet, c. quantò, &, c. etsi Christus, extr. de iureiurando. Forma autẽ relaxãdi est: primò magistratui vel domino territorij, sub quo supplicans captus fuit, pro statu causæ scribitur, quia in dubio pro magistratu præsumitur, quòd legitimis ex causis quis captꝰ sit. Dein: facti serie transmissa fit communicatio petenti citationem super relaxatione iuramenti, ad effectum agendi, & siquidem eam probabiliter confutare poterit, decernitur petita citatio, quia in principio litis, in dubio magis Actori, quàm Reo fauetur: &, cùm enim relaxatio à iuramento ad effectum agendi causæ cognitionem requirat, partis aduersæ præsentia, quæ per huiusmodi absolutionem lædi possit, exigitur. Ergo ci-

go citatione opus est, l. de vnoquoque, ff. de re iudic.

Quæ causa Efficiens huius actionis?

Causa efficiens actionis, quod metus causa, est, vis compulsiua, & metus in constantem virũ cadens, vt dictum.

Quæ Materia?

Materia sunt, res, mobiles, & immobiles, corporales, & incorporales, per vim mutatæ, & ablatæ, omnesq; earum accessiones.

Quæ Forma?

Forma est, bona per vim compulsiuã, & metũ in constantem virum cadẽtem, dolo aduersarij, extorta, iussu iudicis restituenda esse, quòd si iudicis iussui obtemperatum non fuerit, condemnationem in quadruplum faciendam.

Quis Finis?

Finis est, vt rerum tam mobilium, corporalium, quàm immobilium, & incorporalium, ablatarum & mutatarum, intra annum simplex restitutio, & post annum, ob protractam recusatio nem, condemnatio in quadruplum fiat.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, actio, Vi bonorum raptorum, & interdicta prohibitoria, & restitutoria: & sũt, Vnde vi, vti possidetis, vtrubi, quod vi, aut clã.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, voluntas vim passi, sponta-

nea traditio, lõgum interuallum inter impreſsionem & metum, abſentia periculi, quod formidandum, vana timiditas, vecordia, l. 2. C. eod. l. metum autem præſentem, ff. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Negatiua probanda eſt, ſi in ſe includat affirmatiuam, c. perlatum, extr. eod. c. homine, extr. de elect.

Quod ab initio non tenet, ratihabitione poteſt roborari, c ſignificatum, & c. cùm virum, de reg. iuris.

Iuramentum ſi factum ſit ſuper eo, quod ſeruari poteſt ſine interitu ſalutis æternæ, valet, aliàs non, c. ſi aliquid, 22. q. 4. c cùm dilectus, extr. eod.

Potius eſt, mala pati, quàm malo conſentire, c. itáne, 32. quæſt. 5.

Si non tenet principale, nec acceſſorium tenet, c. ſi diligenti, extr. de foro competen.

Periurijs via nõ eſt aperienda, c. cùm dilectus, extr. eod.

Coacta voluntas, etiam voluntas eſt, 15. q. 1. c. meritò quæritur.

Licet pœna ad hæredes non tranſeat, attamen quod turpiter & ſcelere quæſitum eſt, ad compendium hæredis pertinere non debet, eod.

Qui terrore laicorum electioni de ſe factæ renuntiat, ſi renuntiatio iuramento, vel fide firmata non ſit, regimini, ad quod electus erat, præfici poterit, c. ad aures, extr. eod.

Probata violentia per teſtes, res amiſſæ probantur per iuramentum. Et ſuper valore rerum amiſſarum

taxa-

axatione iudicis præmissa, & secuto petentis iuramento fit condemnatio, c. super eo, extr. eod.

Si interesse proficiscitur ex maleficio, id probatur per iusiurandum: si autem ex contractu tunc per testes probandum est, c. in primis, 2. q 1.

DE IN INTEGRVM RESTITUTIONE.

Titulus XLI.

Continuatio.

ECclesia, si grauiter læsa fuerit, nec ordinarij iuris remedium, ad corrigendum, vel emendandum id, quod gestum, vel recuperãdum quod amissum est, cõpetat, iudicis officio extraordinariè, exemplo minorum ad quadriennium in integrum restituitur.

Quid est in integrum Restitutio?

In integrum restitutio est, extraordinarium iuris remedium, quo Ecclesia, vel alij (quibus leges vel Canones restitutionis beneficium, ob iustam causam, non inuident,) læsi & decepti, officio iudicis ordinarij, vel alterius causę cognitionem habentis, in eum statum, in quo erant ante læsionem, reducuntur, 2. q. 3. in fin. &, l. 1. C. de sententiam passis.

Quotuplex Restitutio?

Restitutiones varię sunt: Vel enim sunt minorum vel maiorũ. Iure minorũ cẽsentur Ecclesia

& Reſpublica, quæ, ſicuti minor, poſtquam excesſit 25. annos, ſi petat reſtitui, vſque ad quadriennium, in his, in quibus læſus fuit, infra 25. annos, reſtituitur. Sic & Eccleſia, & Reſpublica, ad quadriennium reſtitutionis beneficio gaudent, vbicunque lęduntur, à tempore læſionis computandum, l. reſpublica, C. quibus ex cauſis maiores in integrum, &c. gl. in c. 1. in ver. iure minoris, &, c. auditis, extr. eod. c. quid ergo, 23. quæſt. 4. c. ius publicum, diſt. 1. Maiores autem, ſi quid, vel dolo aduerſarij, vel per metum cõpulſi perdiderunt, vel propter iuſtam abſentiam, vel ex probabili & iuſto errore, vel ex alia legitima cauſa, quæ reprehendi non poſsit, læſi ſunt, reſtituũtur, tot. tit. extr. quod vi metusq; cauſa.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiens eſt, Epiſcopus, Poteſtas. Alij etiam minores ordinarij, contentioſam iurisdictionem habentes, qui præſunt vniuerſitati, & adminiſtrationem cum iurisdictione habent, c. de perſona, 11. quæſt. 1. l. 1. §. vlt. ff. de poſtul. l. fin. C. vbi & apud quos, &c. Etiam Delegatus: quia & hic de cauſa reſtitutionis cognoſcere poteſt, diſtinctione tamen ſeruata, quam ponit Gregorius IX. in c. cauſa reſtitutionis, extr. eod. Inquit enim: Cauſa reſtitutionis in integrum, coram iudicibus ordinarijs adminiſtrationem habentibus, vel Delegatis ab eis, tractari poterit, & finiri: ſiue hoc ipſis Delegatis ſpecialiter demandatum fuerit, ſiue in commiſſo eis negotio cõtingat incidere huiuſmodi quæſtionem. Delegati verò ab ordi-

ordinarijs, qui administrationem non habēt, sed tantummodò facultatem iudicandi, seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeūt, nisi coram eis mota fuerit incidenter.

Qui sunt Ordinarij administrationem non habentes?

Ordinarij administrationem non habentes dicuntur, quibus Imperator indulget, quòd causas possint audire, definire, & iurisdictionem voluntariam per totum Imperiū exercere, qui honorem & dignitatem habent, sed nō administrationem commissam, quorum etiam potest iurisdictio prorogari, l. 1. & 2. ff. de iureiur. l. rem non nouam, C. de iud. per Hostiens. extr. eod. §. à qua facienda.

Quæ Materia?

Materia est, res magni mōmenti, vt causa matrimonialis, liberalis, criminalis, vel ciuilis: siquidem propter satis minimam rem, vel summam, si maiori rei, vel summæ præiudicetur, postulans restitui in integrum non auditur, l. scio, &, l. penult. ff. eod. c. causa restitutionis, §. in matrimoniali, extr. eod.

Restituitur etiam Ecclesia & minor, quotiescunque in iudiciario processu læsi fuerint, contra condemnationem factam, ob contumaciam, contra omissionem probationis, allegationis, vel eorum, quæ faciunt ad instructionem causæ: & hoc non solùm in damno, verùm etiam in lucro, contra iuramenti delationem, vel relationē, & confessionem, vel si quid procurator ex neglectu officij quid malè gessit, cōtra sententiam,

omissam appellationem, contractus & præscriptiones iure ciuili inductas, vt notat gl. in c. auditis, extr. eod.

Quæ Forma?

Forma est, vt intra quadriennium continuum, à tempore læsionis computandum, pro restitutione faciẽda imploretur iudicis officium, apud Ordinarium illius, cõtra quem petitur, iuxta solennium iudiciorum obseruationem, præmissa citatione & litis contestatione, causæq; cognitione, & probatione læsionis facta, minor & Ecclesia, vel qui his, quo ad hoc restitutionis beneficium comparantur, in eum statum, in quo, ante læsionem erant, restituantur, tot. tit. C. vbi, & apud quem, l. in causę, §. 1. &, l. 3. ff. eod. l. superuacuam, C. de temporibus in integ. rest. c. tum ex literis, in verb. officium, extr. eod. Spec. de in integ. rest. §. 1. nu. 3. Bal. in l. minor, ff. de minor.

Quæ causa Impulsiua?

Causa impulsiua est, vtilitas, æquitas, & necessitas. Quia hoc extraordinariũ restitutionis beneficium datur, cùm alia actio nõ competit, vel competit quidẽ, sed publicè expedit, vt læso pluribus iuris remedijs succurratur, l. 1. &, l. diuus, ff. eod.

Quis Finis?

Finis est, ne minores, Ecclesia, Respublica, maiores, & quiuis alij, qui ex legitima causa restituuntur, immeriti, rerum suarum damnum, quo se extricare non possunt, faciant. Cùm æquitati consentaneum sit, Ecclesiam ab omnibus incommoditati-

moditatibus illæsam seruari, & deceptis sine cul pa sua, maximè si fraus aduersarij interuenerit, per in integrum restitutionis beneficium, subueniri, l. diuus, ff. eod. l. minoribus, ff. de minor. c. satis peruersum, dist. 56. &, c. cognoscentes, extr. de constitut.

Quis Effectus?

Effectus est, vt quilibet ius suum saluum habeat, scilicet, tam is qui restituitur, quàm alius, contra quem restitutio fieri postulatur, & æqualitas, quoad fieri possit, seruetur. Nec enim ęquũ esset, vt Ecclesia, minor, vel quicunque alius, qui restitutionis beneficio gaudet, locupletaretur cũ alterius iactura: imò ab hoc Ecclesia abhorret, c. generalis, dist. 54. cap. suam, extr. de pœnis, l. nam hoc natura, ff. de cond. indeb. l. vni. C. de reputat. l. ait prætor, l. quòd si minor, l. etiam, l. tutor, l. si iudex, ff. eod.

Quæ Cognata?

Cognata sunt, actio rescissoria, actio de dolo, beneficium legis 2. C. de rescin. venditione, c. redintegrandæ, nullitatis quæstiones, actio negotiorum gestorum: & omnia edicta vel interdicta restitutoria.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, damnum non culpa aduersarij, sed euentu & casu illatum, defectus probandæ læsionis, lapsus legibus præscripti temporis petendæ restitutionis, dolus, delictum, sacramentum, seu iusiurandum eius, qui se restitui petit, &c.

AXIO-

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Beneficium restitutionis ex quacunq; causa competens, ad hæredem transmittitur, l. ex persona, C. de tempor. rest. in integr.

Si petitur dilatio, quæ metas restitutionis excedit, tam Actori quàm Reo conceditur, poterit tamen Actor vti dilatione Reo concessa, l. petendæ, C. de tempor. in integr.

Pro anno vtili datur quadriennium continuum, ad implorandam restitutionem in integrū, ex quocunq; capite petatur, l. superuacuam, C. eod.

Ecclesia læsa in probatione necessaria omissa, potest petere restitutionem in integrum, non obstante termino iuris probationis excluſæ, & petere potest, non solùm cōtra priuatum, sed etiam contra Ecclesiam, c. auditis, extr. eod.

Ecclesia censetur iure minoris, iure Reipæbl. & iure Imperij, c. 1. extr. eod. cap. quid ergo, 23. quæst. 4. c. duo, dist. 96.

Ecclesia generaliter restituitur, non solùm cùm de bonis diminuitur, sed etiam cùm interest Ecclesiæ, litibus & sumptibus non vexari, glos. in cap. ex literis, extr. eod.

In causa appellationis, iudex, altera parte absente, etiam lite non contestata, procedere potest, c. per tuas, &, c. interposita, extr. de appell.

Differt appellatio à supplicatione: quòd, appellatione interpositâ, nihil est innouandū, sed, pendente supplicatione, mandatur sentētia executioni, præstita cautione,

ne, quòd omnia restituat, si sententia fuerit retractata, glos. in c. ex literis, extr. eod.

Petitio restitutionis in integrum contra sententiam, suspendit regulariter executionem sententiæ: nisi contra petentem est præsumptio malitiæ, quòd causa differendi executionem hoc petat, c. suscitata, extr. eod.

Generale est, quòd quando quis ad aliquid in dubio admittitur, semper præstare cautionem teneatur, d. c. suscitata, &, ibi gl. extr. eod.

Quod vna via prohibetur, alia non debet cõcedi, fallit, in c. tuæ, extr. de procurat. &, c. constitutus, extr. eod.

Quicquid habet vxor totum præsumitur de bonis esse mariti, gl. in c. constitutus, extr. eod.

Filius in potestate patris constitutus, alienare, vel aliàs disponere de rebus suis non potest, glos. c. constitutus, extr. eod.

Tutor vel curator alienare rem minoris absq; prætoria authoritate non possunt, gl. d. c. constitutus.

Quæ de nouo emergunt, nouo auxilio indigent, c. fin. extr. eod.

Propter nouas defensiones, petens restitutionem iterum auditur. Nouæ autem defensiones dicuntur siue tempore primo petitæ restitutionis fuerint: sed non allegatæ, quoniam occultæ: siue postea emerserint, &c. gl. in c. fin. extr. eod.

Restitutio denegata Ecclesiæ, vlteriùs sibi non conceditur, nisi ex noua causa: restituitur tamen ad appellandum à sententia denegationis, cap. beneficio, extr. eod.

DE

DE ALIENATIONE IVDIcij mutandi causa facta.

Titulus XLII.

Continuatio.

EDictum, de alienatione iudicij mutãdi causa facta, speciem restitutionis constituit: qua prospicitur omnibus, in quorum damnum & præiudicium possessiones, vel res, de quibus moueri quæstio timetur causa mutandi iudiciũ futurum, in alios transferuntur.

Quid est alienatio iudicij mutandi causa facta?

Alienatio iudicij mutandi causa fieri dicitur, cùm quis credens, se ab aliquo conueniendum reali actione vel personali, quæ in rem scripta sit, dolo malo, iudicij futuri mutandi & vitandi causa, dominium rei in alium trãsfert, l. ex hoc, ff. eod.

Quid fieri dicitur mutandi iudicij causa?

Mutandi iudicij causa fieri dicitur, cùm molestior aduersarius subijcitur, aut alia ratione agẽdi conditio durior fit & deterior, l. 1. 2. 3. & 4. ff. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens huius prohibitæ alienationis est dolus debitoris, actione reali, vel personali in rem scripta, cõueniendi, l. item si res, §. hęc actio, ff. eod.

Quod

Quod Obiectum?

Obiectum est, res, super qua cõtrouersia moueri timetur, siue sit mobilis, siue immobilis, siue corporalis, siue incorporalis.

Quæ Forma?

Forma alienationis, vt producat effectum, i. actionem in factum, desumitur ex tribus ad illã actionem necessariò requisitis, 1. Vt fiat alienatio causa mutandi iudicij futuri & non præsentis, quia alienans rem litigiosam incidit in edictum, de litigiosis, l. vlt. C. de litigioso, l. ex hoc edicto, ff. eod. 2. Vt dolo fiat alienatio, ratione loci, vel personæ: vt si duriorem agendi conditionem oppositio potentiori, vel alterius prouinciæ aduersario nobis fecerit, l. 1. &, l 2. ff. eod. 3. Vt nostra interfit, fortè, si quis fecerit impensas, vel aliam incommoditatem ratione alienationis factæ, vel potentioris aduersarij substituti passus sit.

Qui Effectus?

Effectus est, actio in factum: quæ restitutoria est, & rei persecutionem præstationemqúe eius, quod interest, alium aduersarium habuisse, arbitrio iudicis continet. Dabitur autem hæredi, & in hæredem, vel similem, quatenus ad eum peruenit: Non post annum, quia, licet pertineat ad rei persecutionem, tamen ex delicto, hoc est, dolo & fraude alienantis, competere censetur, l. item si res, §. hæc actio, l. vel similem, l. vel post annum, l. quia pertinet, ff. eod.

Quæ

Quæ causa Efficiens actionis huius?

Causa efficiens huius actionis in factum, est delictum, vel dolus alienantis.

Quod Obiectum?

Obiectum est, alienatio rerum mobilium, immobilium, corporalium, incorporalium, quas alienandi, & distrahendi legibus & Canonibus concessa facultas est.

Quæ Forma?

Forma est, quòd si quis, alienando rem, alium nobis aduersariũ suo loco, data opera, & in fraudem nostram, substituerit, in factũ actione, quanti nostra interfit, alium aduersarium nos non habuisse, conueniatur, l. 1. ff. eod.

Quis Finis?

Finis est, ne alterius conditio, litigandiq; facultas ex alieno facto fiat deterior, vel dolo debitoris & possessoris rem alienantis remoretur & impediatur.

Quis Effectus?

Effectus actionis est, ipsa restitutio, non tantùm rei in fraudem alienatæ, sed etiam ipsius interesse, quod nobis, ob factum debitoris, defuit.

Quod Cognatum Alienationis?

Affine alienationis est, cessio: differunt tamẽ in hoc, quòd alienatio futuri iudicij causa fiat, cessio autem, lite pendente, & durante iudicio, fieri contingit. Cuius effectus est, actionum directarum transitio: quòd cui cessæ sunt, eas nomine suo intentare possit, licet secus sit, si, absque

actionis

actionis cessione, nomen ematur. Emptor enim vtilibus tantùm actionibus tũc experitur, l. emptor, C. de hæred. & act. vend.

Quæ Cognata actionis in factum?

Cognata actionis in factum, hoc loco, sunt, omnes vindicationes, actiones mistæ, & personales in rem scriptæ, Cuia. obser. lib. 10. c. 3. per l. 24. §. vltim. ff. communi diuidundo. Et, quo ad restitutionem, omnia edicta, & interdicta restitutoria.

Quæ Pugnantia?

Pugnantia sunt, necessitas alienandi, ignorantia iuris petitoris, vel defectus iuris debitoris: Vt si possessor, absque dolo, ex necessitate ignorans, petitorem ius in ea habere, rem alienet: vel si sciat, ipsum ius autem, vel per vsucapionem, vel alio modo est extinctum, 2. Si inchoatum fuerit iudicium, vel res facta litigiosa: quod fit per citationem, libelli oblationem: aut alio modo, causa mota in realibus, sicuti litis cõtestatione in personalibus, glos. & Bart. in l. 3. ff. eod. Denique cessatio interesse, si, videlicet, æquè contra tertiũ possessorẽ agere possit, nec petitoris interfit, contra alienantem actionem dirigere, glos. & Dd. in l. 2. & auth. litigiosa, C. de litig.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Delegata iurisdictio non potest prorogari ad personas alias, in rescripto non comprehensas, glos. in cap. 1. extr. eod.

Clericus, causa mutandi iudicium, non debet recipere ces-

re ceſsionem à laico c. ex parte.

Edictum de alienat. iud mutand. cauſa ad futura iudicia pertinet, cùm quis metu impendētis litis alienat rē, vel alienatione duriorē aduerſarij conditionem reddit, cap. 1. extr. eod. & ibi gloſs.

Fraudem non committit, qui iure ſuo vtitur, gloſs. in c. 1. extr. eod.

DE ARBITRIS.

Titulus XLIII.

Continuatio.

LItigatores quandoque, ſumptûs, alteriuſq; ex contentionibus proficiſcentis incommodi vitandi gratia, vel etiam odio protractionis litium, controuerſias, ſub ſtipulatione certæ pœnæ, vt eius metu à placitis non recedatur, alicui, vt viro bono, dirimēdas, per compromiſſum committunt.

Quid Arbitrium?

Arbitrium eſt, poteſtas de cauſa controuerſa cognoſcendi, & pronuntiandi, partium conſenſu, ſub ſtipulatione certæ pœnæ, vt ſententię ſtetur, vel à lege, vel Canone alicui, qui arbitriū recipere poteſt, tributa, c. perpetuas, &, cap. 1. extr. eod.

Vnde dicitur Arbitrium? & quid ſignificat?

Arbitrium, dicitur ab arbitrando, quaſi arbiter ex æquo & bono de cauſa per compromiſsū commiſſa arbitretur & ſtatuat: Et ſignificat ſentētiam boni viri iuris formulis, & anguſtijs ſolutam

tam, Cicero pro Sex. Rosc. &, lib. 3. Off. &, l. 1. de leg. 2. Quę cõpromissum & laudum etiã dicitur, ex eo, quia ad arbitrũ ex compromisso itur, hoc est, in arbitrũ, sub certa pœna vel cautione stãdi sententiæ per ipsum latę à partibus, cõpromittitur. Vnde arbiter à potestate iudicandi etiam iudex compromissarius dicitur, l. 2. C. de iur. prop. calum. dam. l. cum lege, &, l. penul. C. de pactis, l. societatem, ff. pro socio.

Quotuplex est Arbitrium?

Arbitrium à causa efficiẽte, forma & materia variè dicitur.

Quotuplex à causa Efficiente?

A causa quidem efficiẽte arbitrium, vel est voluntarium, vel necessarium & iuris.

Quid Voluntarium?

Voluntariũ est, si partium volũtate in arbitrũ, qui volens receperit arbitrium, cõpromittatur.

Quid Arbitrium iuris?

Arbitrium iuris est, si vel à iudice, vel statuto, cõsuetudine, lege, aut Canone, priuato alicui causa decidenda committatur, Bart. l. prætor, nu. 12. de tuto. dat. l. arbitrio, cum l. sequẽ. ff. qui satisd. cog. l. apertissimi, de iudicijs.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens volũtarij est, consensus & voluntas partiũ, facultatem in arbitrũ compromittendi habentium, accedente arbitri consensu. Tametsi enim nemo cogatur arbitrium recipere, quoniam hæc res libera & soluta est, & extra iurisdictionis necessitatem posita: attamen vbi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam

& sollicitudinem suam hæc res, qua se, ante pronuntiationem sententiæ, liberare nõ potest, pertinebit. Non tantùm quòd studeret lites finire, verùm, quoniam non deberent decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt, l. labeo, §. tametsi, ff. eod. l. rem non nouam, C. de iud.

Qui compromittere possunt?

Compromittere omnes possunt, qui non prohibentur: vt sunt omnes, siue sint sui iuris, vel alieni, vt filius familias, seruus iussu domini, siue in re sua, vel aliena, vt sunt administratores, quibus libera rerum administratio cõmissa est, tutores, curatores, Prælatus, vasallus, siue Christianus, vel non, vt Iudęus, paganus, vt notant Blan. de compro. quæst. 3. & Hostiens. & l. non distinguemus, ff. eod. & Alex. conf. 32. num. 5. volum. 2. Prohibentur tamen serui per se, ob statum, impuberes, ob ætatem, mulieres in causa aliena, ob sexum, furiosi, ob defectum intellectûs, &c. d. l. non distinguemus, &, l. diem, ff. eod.

Qui Arbitri esse possunt, vel non?

Pari ratione in omnes compromitti potest, cuiusque dignitatis & conditionis sit: siue persona Ecclesiastica, siue secularis, siue filius fam. siue paterfam. siue celebris & bonæ famæ, siue infamis, 3. quæst. 7. §. tria, c. per tuas, extr. eod. l. 5. ff. eod. exceptis his, qui lege, vel Canone prohibentur, vt sunt seruus, furiosus, mutus, surdus, minor 20. annis, fœmina. Maior tamen 20. annis arbiter esse potest: & clerici de temporalibus compromit-

promittentes in mulierem, aliàs de consuetudine iudicãtem, arbitrium subsistit, c. dilecti, extr. eod. &, c. cùm, vigesimum, vbi glos. & Dd. extr. de officio & potest. iud. delegati. Specul. de arb. §. potest.

Quæ Materia?

Materia compromissi, sunt, cõtrouersiæ quarumlibet rerum, de quibus in arbitrum compromitti Canones & leges ciuiles permittũt. In causa autem criminali, nisi agatur ciuiliter, causa popũlari, liberali, matrimoniali, in rebus spiritualibus in laicum, pernitiosis Ecclesiæ & Reipublicæ, & de re, de qua transigi non potest, vt de alimentis futuris, iudicatis, &c. vel rebus alienari prohibitis velut, emphiteusi feudo non compromittitur, c. contingit, extr. eod. l. non distinguemus, ff. eod.. Guido. Pap. decis. 69. num. 2. Blanc. q. 2. num. 62. & q. 4. num. 78.

Quotuplex à materia dicitur Arbitrium?

A materia, arbitrium vel generale, vel speciale, vel plenum dicitur. Generale est, si de rebus & controuersijs omnibus compromittatur, l. de rebus, ff. eod. Speciale est, si de vna tantùm controuersia compromissum in arbitrum factum sit, c. exposita, extr. eod. plenum est, quod doli clausulæ expressam mentionem facit, c. ita demum, §. plenum, ff. eod.

Quæ Forma?

Forma arbitriorum ex conuentione partiũ colligitur. Vel enim partes sub stipulatione pœ-

næ certæ vel cautione, addito iuramento, vel simpliciter pacto nudo, sine pœna, cum adiectione certi diei, ad quem causa definiri debeat, vel indefinitè in vnum, vel plures compromittunt, quòd si nihil specialiter conuentum fuerit, ad iudiciorum ordinem dirigitur secundùm cõsuetudinem, & statuta cuiusq; loci, l. non distinguemus, ff. eod. l. Pomponius, cum l. 1. eod. Innoc. in c. quintauallis, nu. 7. de iurei. Maranta in Specul. parte 4. dist. 14. nu. 2. Blanc. parte 1. nu. 20. 29. &, q. 2. num. 47.

Quotuplex à Forma?

A forma arbitrium dicitur, vel conuentum, vel stipulatum, vel iuratum. Conuentum est, si partes absq; compromisso simpliciter & nudo pacto in arbitrum consentiunt, hac conditione, vt non simpliciter eius sententiæ stetur, sed pronũtiatum ad arbitrium boni viri reduci possit, l. societatem, ff. pro socio. Stipulatum dicitur, si sub stipulatione certæ pœnæ, vt metu eius placitis stetur à partibus fuerit cõpromissum, l. 1. C. eod. l. litigatores, extr. eod. Iuratum dicitur, si compromissum fuerit à partibus præstito iuramento, confirmatum, l. ne in arbitris, C. eod.

Quis Finis?

Finis est, vt lites & controuersiæ minoribus sumptibus, inter amicos, extra iudicij vexationes, & moras terminentur & finiantur, l. 1. &, l. quamuis, ff. eod.

Qui sunt Effectus?

Effectus sunt, 1. Actio & exceptio, quę siue ab vtraq; parte promissa sit pœna, siue non sit, & nudo pa-

do pacto,& sine pœna,assumptus sit arbiter,oriuntur ex sententia,quam arbiter,postquam recepit arbitrium,pronuntiare tenetur.Quod quidē verum est,si tacitè vel expressè partes emologauerint sententiam, nec intra decē dies, alterutra pars,(si arbitrium iuris sit)non appellauerit, vel si volūtarium ad arbitrium boni viri reduci nō petierit,l.4.&,l.penul.ff.eod.Blan.q.5.nu.8. c.per tuas,extr.eod.si verò arbitriū à partib. nō fuerit approbatum,vel receptum, & pœna apposita fuit,tūc agitur ad pœnam,cuius metu arbitrio parere debebat:& per eam ad obseruationem arbitrij compellitur,c.dilecti,extr.eod.c.per tuas,extr. eod. si nulla pœna compromisso fuit adiecta, sed simpliciter stare arbitrio conuentum, agi ex stipulatu potest,ad interesse:sic distinguit gl.in c. per tuas,eod. Secundus effectus est, quòd:sicuti litis contestatione præscriptio rei,de qua agitur, interrumpitur,ita etiàm per receptionem arbitrij. Tertius:quòd omnia acta corā arbitro inter easdem partes in iudicio ordinario probent, l.cùm anteà,C.eod.

Quæ Cognata?

Cognata sunt,transactiones,amicabiles compositiones,pacta,iudicia,arbitramenta.

Quæ Adiacentia?

Adiacentia sunt,tempus idoneum, locus competens,salarium decens,& honestum.

Quæ Pugnantia?

Pugnātia sunt,lapsus diei, quo arbitriū fieri debebat, mors arbitri, vel alterutrius partium

casus talis interueniens, à quo arbitrium incipere non potest, omnes exceptiones impedientes litis ingressum, & defectus causarum omnium, efficientis, materialis, formæ, finis, corruptio arbitri, dolo alterutrius partis proueniens, rei, super qua cõpromittitur, peremptio, solutio, acceptilatio, transactio, iudicium, pactum de non petendo interpositum.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Arbitria ad similitudinem iudiciorum sunt redacta, & ad finiendas lites pertinent, l. 1. ff. eod.

Clerici de temporalibus in mulierem, aliàs de consuetudine iudicantem compromittere possunt, c. dilecti, extr. eod.

Fœminæ, secundùm regulam iuris ciuilis, à publicis officijs sunt remotæ: nec iudicandi munere fungi possunt, nisi Princeps scienter eis delegauerit causam, d. c. dilecti, & 3. q 7. §. tria, & 33. q. 5. c. mulierē constat, c. cùm deuotissimam, 12. q. 2.

Si contemplatione alicuius aliquid fit, eius est periculum, gl. c. dilecti, eod.

Arbiter non habet potestatem iudicandi vltra comprehensa in compromisso, ideò coram eo locum non habet reconuentio, c. cùm dilectus, eod.

Arbitrium pro parte valere, & pro parte non valere, non potest, c. Rainutius, extr. de testam. Contrarium habetur, c. dilectus, extr. de præbend. &, c. nisi, eod.

Authoritate iudicis causæ etiam delegati, potestatem in temporalibus, quàm spiritualibus in clericum & laicum

cum compromitti, & si arbitrium est à partibus receptū, debet à partibus executioni mandari. si autem non fuerit approbatū, & pœna fuit apposita agetur ad pœnam, sin non fuit adiecta, agitur ad interesse, cap. per tuas, extr. eod.

Compromissum non extenditur in compromittentis hæredes, nisi de hoc specialiter cautum sit, cap. fin. extr. eod.

De omnibus rebus controuersis vna vel pluribus compromitti potest, quæ sint facti, non iuris, nisi ipsum quoque ius sit incertum, Salicet. cap. cùm proponas, C. de reb. creditis, & iureiurando.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS.

Libri secundi Obiectum est, Iudicium: quid enim eo traditur, ad præparatoria necessaria, quàm incidentia iudiciorum, partesque, quibus ipsum iudicium constat, refertur.

DE IVDICIIS.

Titulus I.

Continuatio.

SI, mota controuersia, partium transactione, vel pactis, vel per arbitros dirimi nõ possit, ea in iudicium legitimè deduci, liteq; contestata, examinari, & denique iudicis pronuntiatione definiri solet.

Quid est Iudicium?

Iudicium est, actus legitimus trium personarum, Iudicis scilicet, Actoris, & Rei, super eadem quæstione, vel coram eodem iudice cõtracta, gl. in c. forus, extr. de verb. sign.

Vnde dicitur Iudicium?

Iudicium vocatur quasi iurisdictio, priùs inquisitio vocabatur. Vnde & auctores iudiciorũ præpositos, quęstores, vel quæsitores appellant, vt Isidorus in lib. Etymologiarũ notat, c. forus, extr. de verb. sig. Et à causa efficiente, obiecto, forma, fine, & effectu variè diuiditur, vt ex sequentibus patebit.

Quot sunt partes Iudicij?

Partes iudicij sunt, tres principium, vt citatio, vel,

vel, vt alij volunt litis conteſtatio, medium, vt probationes, quouis modo illæ fiant, & finis, vt ſententia vel executio, Iaſon in auth. ad hæc, C. de iud. l. iudex, ff. de re iudicata, &, l. 1. C. de litis conteſtat.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa remota eſt, ius gentium. Siquidem iure gentiũ iudicium tam ciuile, quàm criminale introductum eſt: quorum illud primo iuris gentium præcepto, res eſſe diuidendas, hoc aũt, altero, ſcilicet, ſontes puniendos, nititur. Cauſa propinqua ſunt, omnes perſonæ, quib. iudicium conſtituitur. Conſtat aũt iudicium duplici perſonarũ genere, litigatoribus & iudice: & rurſus litigatorum alij ſunt Actores, alij Rei: & horum quidam ſuo nomine litigant, quidã alieno. Eorum, qui alienã litẽ cauſamq; ſuſcipiunt, quatuor ſunt ſpecies, putà, patronus, aduocatꝰ, procurator, & defenſor, quorum ſignificatio ex his Aſconij Pediani verbis facilè intelligitur. Qui defendit alterũ (inquit) in iudicio, vel patronus dicitur, ſi orator eſt, vel aduocatus, ſi ius ſuggerit, aut preſentiã ſuam amico accõmodat, vel procurator, ſi negotiũ abſentis ſuſcipit, vel cognitor, ſi præſentis cauſã nouit, & ſic tuetur vt ſuã. Vnde Cicero ipſum familiariſsimũ defenſorem appellauit: Sed cùm ſatiùs ſit, ad propoſitæ materiæ intelligentiam, nominibus ad forum accommodis & vſitatis vti, hi in vniuerſum ſunt, qui ſuo vel alieno nomine, in iudicio interueniunt, ſcilicet, Iudex, Actor, Reus, Aduocati, Procuratores, Defenſores, Tabelliones, Apparitores, & Aſſeſſores litis.

Quid

Quid Iudex?

Iudex est, persona, quæ iurisdictioni præst ac populo, iuxta legis præscriptum, loci q̃ cõsue tudinem, ius dicit, c. forus, §. iudex, extr. de verb sig. Et hic vel est ordinarius, vel extraordinar us. Ordinarius iudex dicitur, qui iure suo, v Principis beneficio, vniuersaliter iurisdictio exercere potest, l. more maiorum, ff. de iurisd ctione omnium iud. quod locum habet, siue Ecclesiasticis, vt sunt Primates, Archiepiscopi, E piscopi, & cęteri, qui habent iurisdictionem à Pa pa, c. omnes, dist. 22. siue in secularibus, vt sun Duces, Marchiones, Comites, & alij. Extraordi narius est, qui non suo iure, vel Principis benefi cio, vel à lege, & consuetudine, iurisdictionem habet, sed vel ex partium cõsensu, vt arbiter, vel ex Superioris commissione, vt Delegatus, alicu ius causæ iudicialem cognitionem recipit, c. sane quia, &, c. cùm olim, extr. de off. deleg.

Quid Actor?

Actor ab agendo dicitur, est q̃ is, qui actionẽ proponit, & prior ad iudicẽ prouocat, l. qui prior, ff. de iud.

Quid Reus?

Reus est, qui defendit & propulsat actionem vel accusationem: non à reatu, sed à re, de qua cõtrouersia est, dictus, c. forus, extr. de verb. sign. l. properandum, C. de iud.

Quid Procurator?

Procurator dicitur, qui aliena negotia, domini mandato, in iudicio administrat, & ea, quæ ad

cause

causæ iustificationem pertinēt, iudici exhibet, l. 1. ff. de procu. Qui, si ab vniuersitate, vel collegio, ad vniuersitatis causas in iudicio defendendas, constituatur, syndicus dicitur: inde nominatus, quasi singulorum, de vniuersitate, vel collegio, causas dicens, munerum, §. 2. ff. de muner. & honor.

Quid Aduocatus?

Aduocatus est, qui clientis petitionem, apud competentem iudicem, adhibito consilio maturo, & industria, in scriptis explicat, vel extenuando aduersarij intentionem ipsum in iure defendit: inde differentia inter procuratorem & aduocatum, procurator enim causam præsentis, aduocatus autem causam absentis, defendit, atq; quæ à procuratore iudicialiter exhibita sunt, cōfecit, Bart. in l. Paulus, ff. de legat.

Quid Defensor?

Defensor est, qui voluntariè, & absque mandato sese defensioni alterius offert. Qui si cautionem de iudicato soluendo non præstiterit, idoneus defensor esse non potest, nisi Actor hanc cautionem exigere negligat, c. 1. &, c. mandato, extr. de procurat.

Quid Tabellio?

Tabellio est, persona habens publicum officium scribendi instrumenta ad fidem faciendā.

Quid Executor?

Executor, secundùm Speculatorem, est officialis, per quē litis executio, & ipsius causæ præparatio,

paratio, iubente suo iudice, expeditur, c. nullus, §. aliquando, 4. quæst. 4. &, c. parati, extr. de appellat. Et is in iure varijs nominibus appellatur, scilicet apparitor, officialis, nuntius, minister, Cæsarianus, Catholicianus, & portarius. Speculator in tit. de executore.

Quid Assessor?

Assessor est is, quem ille, qui iudicandi potestatem habet, sibi associat, vt sibi in causæ cognitione assideat, vel assistat, & eum ad rectè decidendam causam instruat, Specul. tit. de assessor. §. assessor, l. 1. C. de assessor. & is aliter vocatur consiliarius, infr. de cons. c. requis.

Quotuplex est iudicium à causa Efficiente?

Potest dici varium. Sed iuxta summam diuisionem est, vel Ecclesiasticum, vel seculare. Ecclesiasticum est, quod coram iudice Ecclesiastico, habente iurisdictionem ordinariam, vel mandatâ, inter personas Ecclesiasticas, vel etiam laicos causa ad iudicem Ecclesiasticum pertinente agitatur, c. decernimus, extr. de iudi. c. causam matrimonij, extr. de off. deleg. cap. fin. de foro compet. Iudicium seculare est, quod coram iudice laico, inter personas seculares exercetur, d. cap. decernimus.

Quod Obiectum?

Est causa, quæ dicitur in c. forus, extr. de verb. signif. materia iudicij, & origo negotij, quę dum propo-

proponitur causa propriè est, dum discutitur, iudicium, & dum finitur, iustitia dici potest, d. c. forus. Causarum genera licet varia sint, tamen summatim in ciuilia & criminalia distinguuntur. Vnde cognitionum numerus, ex varijs causis descendens, licet in genera diuidi non possit, tamen in genere quatruplici consistere Callistrato Iureconsulto dicitur: 1. In honorum & munerum gerendorum controuersia. 2. Rei pecuniariæ disceptatione. 3. Alicuius existimationis cognitione. 4. Capitalis criminis quæstione: quorum duo priora ad causas ciuiles, duo autem posteriora ad criminales referuntur, l. cognitionum, ff. de extraord. &c.

Quæ diuisio iudiciorum sumitur ab Obiecto?

Quòd aliud iudicium sit ciuile vel priuatum, aliud publicum vel criminale. Ciuile est, quo Actor suum vel alterius commodum priuatum prosequitur. Criminale est, quod accusator ad vindictam publicam, vel pœnam fisco applicandam, instituit, l. item capitale, ff. de pub. iud.

Quæ Forma iudiciorum?

Vt à personis, quibus constituitur, iudiciū legitimè instituatur, partesq; oēs iudiciarij processus ordinata quadam serie obseruētur. Scilicet: vt Actor agendi ius habens, iustamq; causam & occasionem litigandi adeptus, iudicem competentem per se, vel per procuratorem, adeat, libellumqúe actionis proponat: quo accepto,

Reus,

Reus, qui aliàs legitimè conueniri posſit, citatus infra temporis à iudice conceſsi ſpatium deliberet, an contendere, nec ne in iudicio velit, quòd ſi inſtas defenſiones ſe habere, atque ob id ſibi contentèdum putet, exceptionibus, vel etiã vlterius replicationibus, duplicationibus, triplicationibus, & quadruplicationibus, &c. (quæ in iure variæ ſunt) vtrinque propoſitis, inficiãdo vel affirmando intentionem Actoris, litem conteſtetur. Exhibitisq; ab Actore articulis, vel libello articulorum loco repetito, & exceptionibus, quæ poſt litis conteſtationem in vim defenſionis admittitur à reo conuento obiectis, horumq; probatione, &, poſt allegationes omnes cauſæ, concluſione vtrinque facta, ſententia diffinitiua feratur. Quæ, niſi infra decem dies à tempore ſcientiæ computandos ab ea appellatum fuerit, tranſit in rem iudicatam, executioniq; mandatur, Auth. offeratur, C. de litis conteſt. Quòd ſi autem Reus peremptorijs edictis euocatus non compareat contra eum, vel per comminationem ferendæ ſententiæ, vel immiſsionem ex primo, & vlteriùs, ſecundo decreto in bona litigioſa proceditur, licet etiam contumacia abſentis, ad hoc quòd damnolitis coerceatur, varijs modis ſecundùm Dd. in l. 1. ff. ſi quis ius dicenti non obtemper. puniatur, l. contumacia, ff. de re iud. l. in peremptorio, &, l. poſt edictum, ff. de iudicijs, c. Romana, §. contrahentes de foro comp. in 6.

Quotuplex Iudicium ratione formæ?

Duplex, ordinarium, & extraordinarium.

Ordi-

Ordinarium est, quod certum procedendi ordinem, à iure præscriptum, exigit. Extraordinarium autem dicitur, quando non in figura iudicij, sed ex iudicis officio, per modum inquisitionis, vel denuntiationis, vel aliàs de plano, ex æquitate proceditur, c. super his, &, c. qualiter, extr. de accusat.

Quis Finis?

Finis est, vt innocentia protegatur, & culpa ac delictum puniatur: vnusquisque suum seruare, vel, iniuria alicuius ablatum, cõsequi possit: æquitas & paritas custodiatur: & sit certus litium terminandarum modus, c. quæ Lotharius, 2. quæst. 1. cap. non frustrà, 23. quæst. 5. cap. 1. eod. in 6.

A Fine quæ diuisio Iudiciorum sumitur?

Licet complures à fine & effectu sumantur iudiciorum diuisiones, illa tamen inter alias est notanda: quòd quædam iudicia sint priuata, quæ in hunc finem, vt aliquid detur vel fiat, instituũtur: Alia publica, in quibus ad vindictam & pœnam fisco applicandam, vel corporaliter sufferendã, agitur. Quod notauit Cicero pro Cęcina, cùm ait: Omnia iudicia aut dirimendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa, esse comparata, & tot. tit. ff. de publ. deli.

Qui sunt Effectus iudiciorum?

Effectus est multiplex. Primò enim iudicio actionis non vltra annum, vel aliquantulùm

diutiùs duraturæ perpetuitatem,l.vni. C. ex delictis defunctorum quantùm hæredes conueniantur. 2.Inducit etiam præscriptionis interruptionem,l.vlt.C.de præscrip.30. 3. Iudicio constituitur obligatio,l.3.ff.de peculio. 4.Nouatur actio,l.aliam,ff.de nouat. 5.Deteriorem causam nostram non facit,sed meliorem,eò,quòd actionem tempore,vel morte perituram perpetuet,& moræ purgationem excludat,d.l.aliam.

Quotuplicia Iudicia ab Effectu?

Alia sunt principalia,alia præiudicialia, alia præparatoria. Principale est,quod principaliter exercetur,& dictum ita,ad differentiam incidentis. Præparatorium dicitur, quod ad exercenda alia iudicia parat viam,l.1.&,l.3. ad exhib. Præiudiciale est, quod præiudicium alijs iudicijs,nisi priùs definiatur, præstruit, l. fundum fam. hær.

Quæ Affinia?

Arbitria, quæ ad similitudinem iudiciorum sunt redacta, transactio,& iuramentum: quorũ vigor non minor,quàm iudiciorum,est,cùm rei iudicatæ authoritatem habeant, l. 1. ff. de arb.l. non minorum,C.de transl.4 ff.de iureiur.

Quæ Adiacentia?

Scriptio actorum,sportulæ,sumptus iudiciales,vel honoraria personarũ forensium, aut certa & ordinaria,aut incerta & extraordinaria, debita,vel ex conuẽtione, vel officio iudicis extraordi-

ordinem, tempus commodum, locus idoneus & honestus, & iura statutaria.

Quæ Pugnantia?

Eremoditium, desertio vadimonij. Contrahitur autem eremoditium, cùm lis contestata deseritur: & differt à desertione vadimonij; quæ nihil aliud est, quàm desertio promissionis iudicio sistendi causa factæ; quòd ex hac causa leuior, quàm ex illa pœna sit. Nam eremoditium damno litis coercetur, quia desertori non licet appellare, vel ex integro causam agere, quod tamẽ ei, qui promissioni iudicio sisti nõ paret, nõ prohibetur, Dd. in l. properandum, C. de iud. & Nouel. 68. Vt omnes obediant præsidibus. Defectus iurisdictionis, c. scriptum, 6. q. 3. Dolus iudicis: vt si litem ex amore, fauore, gratia, odio, prece, vel alio affectu, suam fecerit. Vel, si precio corruptus, metu compulsus, vel iussu alicuius potẽtis deprauatus, iniustè pronũtiet, 11. q. 3. c. quicunque. Fori & iudicis incompetentia. Neglectus naturalis æquitatis, & ordinis processus. Conditio iudicis, ob quam reddi possit iudicium nullum: vt si sit surdus, mutus, furiosus, minor, infamis, seruus, inimicus Rei conuenti, familiaris & socius Actoris & Rei. Si procurator, assessor, & aduocatus in eadem causa, si testis excommunicatus, hæreticus, infidelis, schismaticus, periurus, illiteratus, imperitus sit, cap. omnes, de pœnitentia, & remission. Et omnia quibus iudicia soluuntur, vt, in criminalibus, lapsus biennij, & in ciuilib. triennij, l. properandũ,

C. de iud. mors iudicis, ſtatus mutatio, ſententia, transactio, ſolutio, ſatisfactio, prohibitio Superioris, litis pendentia in alio foro.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Duo ſunt, quibus principaliter orbis regitur, Authoritas ſacra Pontificum, & Imperialis ac Regia poteſtas. Vnde, ſicut ciuilium legum non, niſi ciuilis, eſſe debet executor: ita etiam Eccleſiaſticarum, Eccleſiaſticus iudex eſt adminiſtrator, c. ſicut, 10. q. 1. & per tot. c. nouit, extr. eod.

In iudicijs non eſt acceptio perſonarum habenda, c. in iudicio, de reg. iur. in 6.

In arbitrijs vtile eſt, habere iudicem fauorabilem & gratioſum, c. conſuluit, extr. de off. deleg.

Iudicium dicitur bifariam cœptum: Primò per litis conteſtationem; & hoc quidem propriè: Secundò, impropriè, per ſimplicem citationem, c. propoſuiſti, extr. de for. comp.

Inſtantia iudicij termino prorogata, non perit per lapſum illius termini. iuuatur regula hac tribus rationibus: 1. Quia iurisdictio ipſa eſt perpetua. 2. Quia & reſcripta perpetua ſunt: ergo virtute perpetuitatis eorum agi poteſt non, obſtante lapſu temporis. 3. Ne quis ex malitia prorogans videatur inde commodum reportare, vnde foret puniendus, c. venerabilis, extr. de iud.

Iudicium iuſtum vel iniuſtum nequaquam vendere licet, c. non licet, 10. q. 3.

Is, qui agere, vel accuſare intendit, priùs conſulere amicos & deliberare, an ei expediat agere? debet, c. de iudicijs, 3 q. 3.

Accu-

Accusationem criminalem debet præcedere charitatiua monitio, vt se emendet, c. 2. extr. de accusat.

Consultissimum est Christiano, vt ad componendum vel transigendum promior sit, quàm ad contendendum, c. per totum, dist. 9.

Contumax in non comparendo, vel non respondendo excommunicari potest, beneficio autem priuari nõ debet, c. 1 extr. eod.

Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent, sed Prælatorum iudicio disponuntur, cap. decernimus, extr. eod.

Episcopus potest clericum de crimine coram se confessum vel conuictum deponere, & curiæ seculari tradere. quod tamẽ præcipitãter facere non debet, c. cùm autem, &, c. & si clerici, extr. eod.

Actor obtinens in possessorio, coram iudice Rei, non tenetur, coram eodem iudice, super proprietate respondere, si est prorsus alterius fori. Quia causa proprietatis cum possessione nihil commune habet, c. significauerunt, extr. eod.

Iudices de exceptionibus præiudicialibus & principali negotio simul cognoscere, vel, lite non contestata, testes recipere, non possunt, c. exhibita, extr. eod.

Si actio & intentio actoris sint ineptæ, debet Reus absolui ab instantia iudicij, iterum tamen actor audietur, si aptè egerit, c. examinata, extr. eod.

Vasallus coram domino feudi conueniendus est, etiãsi dominus feudi sit Ecclesiastica persona: dummodò Actor possit suam iustitiam ibi consequi, aliàs iudex ordinarius adiri poterit, c. cæterùm, extr. eod.

Clerici ad seculare forum à laicis trahi non debēt, etiamsi Prælati illis iustitiam administrare non velint. nec valet consuetudo in contrarium, Clem. clerici, &, c. qualiter, extr. eod.

Principales personæ non per Aduocatos, sed per seipsas factum proponere debent. Nisi fortè sint adeò indiscretæ, vt earum defectus de iudicis licentia per alios suppleri debeat, c. pastoralis, extr. eod.

Huic priuilegio fori, cùm non sit personale, sed collegio Ecclesiastico indultum, pactionibus priuatorum, aut iuramento illicito derogari non potest, c. si diligenti, extr. de foro comp.

Nomen actionis in libello exprimere Actor non cogitur: debet tamen factum ita clarè proponere, vt ex eo ius agendi colligatur. c. pastoralis extr. eod.

Debitis solennitatibus omissis iudicium redditur frustratorium, c. causam, quæ vertitur, extr. eod.

Excommunicatus in iudicio legitimam personā standi non habet, nisi contra agentem se defendat, c. intelleximus, extr. eod.

Iudex Ecclesiasticus potest per viam denuntiationis euangelicæ, seu iudicialis, procedere contra quēlibet peccatorem, etiam laicum, c. nouit, eod.

In causis etiam pendentibus beneficialibus, decimarum, matrimonialibus, & vsurarum, & ipsas tangentibus, procedi potest simpliciter, & de plano, absque iudiciorum strepitu, & figura, cap. dispendiosam, Clem. eod.

DE

DE FORO COMPE-tenti.

Titulus II.

Continuatio.

ACtor litigare volens competentem iudicē adire,& aduersarium,cui iudicium dictandum putat,in ius vocari petere debet,cap.1.extr. de iud.

Quid est Forus competens?

Forus dicitur exercendarum litium locus: à fando dictus,siue Foroneo rege,qui primus Grecis legem dedit.Et competens esse dicitur,in quo Reus conuentus domicilium habet: vel aliàs coram illius fori iudice,tanquàm competenti,conueniri possit,c.vbicunq;,13.q.2.

Qua est causa Efficiens competentiæ fori, vel iudicis?

Licet complures per Speculatorem, in tit. de competent.iud.aditione,&Hostiensem,in tit.de foro comp.recenseantur modi;quibus quis forū sortiatur;quatuor tamen potissimùm competētiam efficiunt:scilicet,domicilium, contractus, delictum,& situs ipsius rei controuersæ. siquidē vbi Reus domicilium habere, contraxisse, deliquisse,vel res sita,comperitur,ibi conueniri,nec declinare Reus forum potest,d. cap. vbicunque, 13.quæst.2.

Quod Obiectum competentiæ iudicis?

Quælibet causa,siue de negotio aliquo ciuili aga-

li agatur, siue de crimine, possessione, siue proprietate: omnesque iudiciales actus, & partes iudicij.

Quæ est Forma competentiæ iudicis?

Forma desumitur ex varijs modis, quibus competens iudex constituitur.

Quæ est Forma adeundi competentem iudicem?

Vt Actor per se, vel per procuratorem legitimum, tempore & loco congruis; nimirùm diu, non noctu; iudice pro tribunali sedente, eat, libel loq; porrecto, petat aduersarium in ius vocari, c. vxor, 17. q. 4. c. biduum, 2. q. 6. c. consuluit, extr. de off. deleg.

Qui sunt effectus Aditionis?

1. Purgat moram, & contumaciam non commissam; vt patet in condemnato, propter contumaciam, redeunte, iudice adhuc pro tribunali sedente, c. biduum, 2. q. 6.

2. Aditio facta ab aduersario potentiori dolo Actoris principalis substituto, pœnam Edicti, de alienatione iudicij mutãdi causa facta, inducit, l. prohibere, §. fin. ff. quod vi, aut clàm, &c.

3. Interrumpit præscriptionem, c. pastoralis, extr. de off. Ordinarij.

4. Aditio maioris iudicis excusat vocatum à maiore, c. si quis Episcoporum, 18. dist.

5. Aditio competentis iudicis liberat à mulcta, quæ non venienti infligi poterat, c. consuluit, extr. de off. deleg.

6. Facit

6. Facit, querelam in hæredem transire, qualitercunque denuntiatione, vel protestatione secuta, l. quemadmodum, ff. de inoff. testam.

7. Facit, stipulationem committi, & adeuntem puniri, l. si quis maior, C. de transf.

8. Facit, liberari quem ab officio susceptο, l. ei apud, §. 2. ff. depositi.

9. Pleniorem securitatem præstat iudici, l. 3. ff. de pignoribus.

10. Tribuit potestatem manumittendi ei, qui aliàs non haberet, §. ea lege, inst. ex quibus causis manu.

11. Per eam expeditur actus adoptandi, & emancipandi, qui aliàs expediri non posset, l. 2. ff. de adop. l. 3. C. de emancip.

12. Per simplicem aditionem, vel postulationem alicuius, interdum suspenditur iudicium in causis criminalibus, & ciuilibus, & differtur, l. seruum quoque, §. publicè, ff. de procura.

13. Post simplicem postulationem restitutionis in integrum, nihil omninò faciendum est, l. vnica, C. de in integ. rest. postul. ne quid noui fiat, &c.

Quis finis Aditionis.

Vt is, quem Actor conuenire velit, per citationem solenniter vocetur, ad hoc, vt in iudicio coram competenti iudice compareat, Actoris q; intentionem libello compræhensam cognoscat.

Quid est Citatio?

Citatio est, actus iudicialis, quo is, qui Reus asseritur, ad instantiam Actoris, per iudicem in iudicium, iuris experiũdi causa, venire iubetur.

Siquidem in ius vocare alibi dicitur: iuris experiundi causa, alicui diem dicere. quod olim sine Apparitore fiebat: sed qui ad Prætorem, iuris experiundi causa, venire recusâsset, duci, & obtorto collo rapi, etiam inuitus, ab Actore poterat, adeò, vt Nonius Marcellus hoc loco, Vocare, positum, pro trahere, & ducere, annotârit. Vnde Horatius: Rapit in ius, clamor vtrinque, vndiq; concursus. Et inde quoque est, quòd actio, interprete Theophilo, ad prin. tit. de act. instrum. ab agendo, hoc est ducendo, nomen habeat.

Quot sunt Citationis partes?

Secundùm Socinũ sunt tres, in tract. de citat. art. 4. Iussus iudicis, Vocatio verbalis per Apparitorem facta, & eiusdem Relatio. quæ nisi exactis appareat, citatio nullius momenti est, Spec. de citat. §. sequitur. nu. 11.

Quot sunt species Citationis?

Sunt tres: vocalis, literalis, & realis. Vocalis est, quæ fit viua voce, vel per nuntiũ, vel per partem, vel per notarium, argumento, c. circumcelliones, 23. q. 5. &, c. parati, extr. de appel.

Item, vel signo dato per præconem, vel campanam, vel tubam: quę tunc demum vsurpantur, si Reus se ita absentet, vt nullibi offendi possit, Maranta, parte 6. c. de citat. num. 98.

Literalis est: cùm quis per iudicem in scriptis vocatur. quod fit vel ad domum citati, vel, si copiam suî non faciat, in publico affixis citationis literis, Felin. in c. quoniam, §. porrò, extr. vt lite non contest. Et hæc citatio propriè vocatur edictalis: quæ quib. casibus fiat, vide And. Geyl. obser. 57. lib. 1. pract. obser.

Realis

Realis est: cùm persona citanda, de fuga suspecta, realiter apprænditur, & ad iudicem ducitur. Licet enim ius vetus, de ducendo Reo, abolitum fuerit, quasi vtilius, vt legitimè per iudicem euocarẽtur, quàm ab ipsis Actoribus, tædio diuturnæ latitationis fatigatis per vim eriperẽtur: tamen hoc casu, ob suspicionem fugæ, Reiq; legitimè citati non comparentis contumaciam, haud iniustè Actor, qui forsitan alia via suum cõsequi non possit, excusatur. Et hæc citatio per captura prima esse non debet, nisi in maleficijs, & propter suspicionem fugæ, auth. vt nulli, §. si quis verò, &, l. ait prætor, §. si debitorẽ, ff. de his quæ in frau. cred.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, iussus iudicis tam Ordinarij, quàm Arbitri, & Delegati. Quia mandata in iurisdictionem absque citatione exercere nõ possunt. Ergo etiam videtur Delegatis concessa, c. si clericus de sententijs excommun. lib. 6. l. cùm dies, ff. de arb.

Quod Obiectum?

Omnes lites & causæ, quarum definitio iudicis discretioni & examini subijcitur, actusq; singuli causarum, de quibus iudex cognoscit, c. Romana, de appellat. in 6.

Quæ autem persona citari debeat? Et notandum, in ius vocari omnes, quorum interest, vel quorum causa agitur, etiamsi sint præsentes, exce-

exceptis in edicto Prætoris compræhensis perso nis, ff. de in ius vocando: quæ citari non possunt, nisi impetrata iudicis veniâ. de quibus l. 4. ff. de in ius vocando, &, l. 2. C. eod. Procurator etiam, qui litem contestatus est in causa, ipse ad singulos actus citari debet, non dominus, aliàs, si citetur dominus, non valet processus: nisi procurator impeditus esset, Mynsing. obser. 39. cent. 2. & Panor. & Felin. c. penul. extr. de testibus.

Quæ Forma?

Forma citationis est, vt tribus edictis, interuallo decem dierum discriminatis: vel vno peremptorio, quod tantum temporis, quantum tria edicta, continet, ex causa necessaria, putà, propter distantiam viarum: vel, si res celeritatem desideret, fiat, c. cùm ex literis, extr. de in integr. rest. c. cùm dilecti, extr. de dolo, & cont. c. 1. extr. de dilat. Hac ratione, vt iudex apparitori, seu præconi præcipiat, vt Reum mandato suo citet, &, ad instantiam Actoris tali die, hora, & loco, compareat, petitioni responsurus. Literalis autem citatio hæc sequentia continere debet. Quis citat, eius nomen, & cognomen: Quem, & super quo, & ob quam causam, vbi, quando, ad quem, & ad cuius instantiam citat. Quòd per se, vel legitimũ procuratorem idoneum, & ad causam sufficienter instructum compareat. Debentq; hæ citatoriæ literæ sigillo proprio iudicis, vbi per manum publicam non fuerint scriptæ, esse munitæ, Specul. §. iam de citatione, Clem. pastoralis, de re iudicata, Panor. in c. cùm olim, extr. de sententia, & re iudic. & And. Geyl. obser. 48. & quinque sequentibus obseruat. lib. 1. pract. obseruat.

Quæ

Quæ causa Procatarctica?

Causa procatarctica est, petitio & instantia litigatoris, c. significâsti, extr. de foro compet. in verbo, petitionem.

Quis Finis?

Finis est, vt Reus in iudicio compareat, causamqúe suam defendat, d.c. significâsti, eod.

Qui sunt Citationis Effectus?

1. Quòd citationes sint omnium iudiciorum instituendorum principium & fundamentum, sine quibus omnia, quæ aduersùs absentes in omni negotio aut loco aguntur, viribus carent. Nã, neque ciuilis, neque naturalis ratio quenquam indefensum iudicari permittit, Clem. pastoralis, eod. c. cùm inter, extr. de maio. & obed.

2. Operatur præuentionem. Vnde, is qui incipit debet formare processum, l. 2. de requir. Reis. Quia ex pluribus iudicibus melior est conditio præuenientis, Speculat. de citat. §. fin. vers. item pone.

3. Interrumpit longi temporis præscriptionẽ. quod tamen de reali citatione non intelligitur, sed de alijs citationis speciebus, Socin. de citat. art. 30. num. 31. Bald. de citat. vers. nunquam tamen legi, &c.

4. Perpetuat iurisdictionem & actionem.

5. Suspendit iudicis potestatem, per interuallum termino datum.

6. Inducit litis pendentiam. Ad illum tamen effectum inducendum sex debent interuenire: 1. Quòd citatio emanârit. 2. Quòd à competente iu-

te iudice. 3. Quòd ad citatum peruenerit, aut per eum non steterit, quò minùs peruenire. 4. Quòd ex tenore citationis plenè cognoscere potuerit citatus, qua de re sit cõtrouersia. 5. Quòd citatio sit apta. 6. Quòd nuntius eam legitimè & sufficienter insinuauerit: vt notat Mynsing. in obser. 26. cent. 4. per Clem. cũ lite, tit. vt lite pen. nihil innouetur.

Quæ Pugnantia?

Vitium seu defectus causæ efficientis. Vitium Materiæ, & vitium Formæ. Ratione causæ efficientis: vt si Apparitor iussum iudicis non habeat vel habeat quidem, sed iudex sit incompetens, ob fauorem, gratiam vel odium suspectus, inimicus, c. quia suspecti, 3. quæst. 5. Vitium materiæ dicitur, si citatio continet euidenter iniustũ vel iniquum, vel impossibile, c. præterea, extr. de dilatio. quod esse potest pro ratione iudicis: vt quia citat non subditum, vel clericum, vel exemptum, hoc expresso, quòd sit exemptus.

2. Ratione Actoris: vt si Iudæus petat mancipium Christianum, vel bigamus beneficium, vel laicus ius decimarum, vel monachus vxorem.

3. Ratione Rei cõuenti: vt si citatur, morbo, vel vi detentus, cognito impedimẽto, vel si sit Consul, Prætor, Magistratus, Episcopus, dum sacra facit: vel ducens vxorem. Vitium Formæ committitur: vt si iudex citet ad locum suæ iurisdictioni non subiectum, vel, si sit pestilẽs, incertus, vel vltra duas diætas à finibus diocœsis, vel inhonestus: vel si in citatione dies non fuerit præfixus, nomen Actoris, vel Rei, non expressum: si

terminus admodùm breuis fuerit, intra quem comparitionem fieri impossibile sit: si noctu vel die feriata citetur, Bald. in tract. de citat. §. citatio est. Ex quibus patet, citationem ex iudicis litigantiumqúe qualitate, loci conditione, temporis ratione, citandiq; forma, vitiari.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Omnium iudiciorum instituendorum principium & fundamẽtum sunt citationes: sine quibus omnia, quæ aduersùs absentes in omni negotio, aut loco aguntur, non subsistunt, Clem. pastoralis, eod.

Neque naturalis, neq; ciuilis ratio quemquam indefensum iudicari permittit.

Parentem, patronum, patronam, liberos, & parentes, patroni, patronaúe in ius, nisi venia priùs impetrata, sub pœna 50. aureorum, vocare nõ licet, c. Episcopus qui mancipium, 17. q. 2.

Quatuor sunt capita, ex quibus inualiditas citationis oritur, scilicet, personæ qualitas, loci conditio, temporis ratio, & forma citationis.

Legitimè citatus, licet postmodùm alterius fiat iurisdictionis, quasi præuentus, ius reuocandi domum non habet. Ratio est: quia per solam citationem perpetuatur iurisdictio tam Ordinarij, quàm Delegati, c. proposuisti, extr. eod.

Spoliatus ante omnia est restituendus, nec tenetur ad citationem factam in iudicio comparere, priusquàm restituatur, c. 1. &, c. priùs, 3. q. 2.

Diebus feriatis, nisi vel necessitas cogat, vel pie-

tas

tas suadeat, etiam consentientibus partibus, processus habitus nullius momenti est, argument. c. vtinam, dist. 76. &, c. nunquam, dist. 5. l. 1. ff. de damno infecto.

Discretus iudex in assignatione peremptorij non debet iurisdictionem suam, nisi necessitas vrgeat, adeò coarctare, c. consuluit, extr. de off deleg. c. appellatore, 2. q. 6.

Episcopus vt suspectus recusatus, de cuius suspicione notoriè constat, potest dare delegatum partibus non suspectum: cuius sententiam poterit per se executioni mandare, c. si quis, extr. eod.

Generale est, vt Actor sequatur forum Rei, c. experientiæ, 11. q. 1. c. si clericus, de foro compet.

Laicus à laico coram iudice seculari, non autem Ecclesiastico, conueniendus est: quod vsque adeò obtinet, vt etiamsi alteruter litigantium ab Apostolica sede literas ad Ecclesiasticum iudicem impetrauerit, irritæ sint, & inanes, c. licet, eod.

Priuilegiatus vt non teneatur respondere, nisi in certo loco: si in alio loco vel respondere vel soluere promittit, ibi poterit conueniri, c. dilecti, eod.

Quisque clericus potest in curia Romana conueniri, licet aliàs specificè forum ibi non sortiatur: habet tamen ex causa ius reuocandi domum, c. licet, extr. eod.

Si à iudice seculari denegetur iustitia: vel consuetudo loci sit, vel calamitas personarum adire Ecclesiasticum forum suadeat: vel causa talis sit, quòd eò pertineat, vt est matrimonij, simoniæ, adulterij, vsuræque, periurij, etiam à laicis iudex Ecclesiasticus adeundus est, cap. si dilectus, cap. licet, & ibi glos. cap. ex tenore, cap. ex parte, extr. eod.

Cleri-

Clerici habent priuilegium, ne coram iudice laico cõueniri possunt: cui priuilegio, cùm non sit personale, sed collegio Ecclesiastico inductum, pactionibus priuatorum, vel iuramento illicito renuntiari non potest: in iudicem tamen Ecclesiasticum, non suum, possunt consentire, accedente consensu diocœsani, c. placuit, 11. q. 1.

DE LIBELLI OBLATIONE.

Titulus III.

Continuatio.

IN termino comparente Reo citato, Actor actionem edere, hoc est, libello complecti suã intẽtionẽ debet: Cuius copia facta ipsi Reo, an cedẽdum liti, vel cõtendendũ actiõe? is deliberare possit: & si litigandũ existimet paratior exceptionib. & defensionibus iure sibi competẽtibus ad iudicium veniat, 3. q. 3. c. inducię, §. offertur.

Quid est Libellus?

Libellus est, scriptura breuis intentionem, causam, & petitionem Actoris continens, contra aduersarium necessariò concludens, c. fin. extr. eod. l. ampliorem, C. de appell. §. 1.

Vnde dicitur Libellus?

Libellus dicitur à libro; est enim diminutiuè dictum, propter sui breuitatem: Sicut & codicillus à codice diminutiuè dictus est, Specul. tit. de libel. concep. §. libellus.

Quot sunt partes?

Sunt tres, causa, obligatio, & actio. Causa dicitur, quæ in ipso facto, ex quo ius oritur, consistit, l. certi condictio, ff. si cert. petat. Obligatio est, quæ ex ipso facto descēdit, & dicitur iuris vinculum. Actio dicitur ius persequendi id, quod iure sibi debetur; & est obligationis effectus.

Quot Species?

Sunt duæ. Quandoquidem alius est accusatorius, siue querimonialis, alius postulatorius, siue conuentionalis. Accusatorius dicitur, qui in criminalibus per inscriptionem. Postulatorius, qui in ciuilibus, offertur, 2. quæst. 1. c. legum, c. 1. &, c. fin. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens, est authoritas legis sancientis libelli oblationem, auth. offeratur, C. de insa. Olim enim, qui aliquem in ius vocâsset, edere actionem ei debebat, vt perinde sciret Reus, vtrū cedere vltrà, an contendere deberet? l. 1. de eden. Hodiè verò, post formulas & impetrationes actionum sublatas, l. 1. C. de form. &c. in locum editionis introduxit lex libelli oblationem. Debet autem iudici, vel etiam Reo non petenti, ab ipso iudice, vel Actore, pro loci consuetudine, offerri, c. 1. extr. eod.

Quod Obiectum?

Quælibet causa, tam ciuilis, quàm criminalis, tam petitoria, quàm possessoria, iure tamen antiquo

antiquo in ciuilibus libellus regulariter neceſſarius non erat, niſi in conuẽtione illuſtrium perſonarum, l. quoties, C. de dignitat. lib. 12. In criminalibus verò contrà, quia inſcriptio requirebatur, ſiue publicum, ſiue priuatum eſſet. Hodiè autem & in ciuilibus libellus offerendus eſt, exceptis quibuſdam caſibus:

1. Si res, de quibus agitur, ſint modicæ, vt longiorem indaginem non poſcãt, c. ſi quis cum clerico, & ibi gloſ. 11. q. 1. Nam id genus cauſarum iuriſiurandi delatione, vel ex pactione ipſorum litigatorũ, vel ex iudicis authoritate dirimi, & conſopiri ſolet, l. 1. ff. de iureiurando. Quæ autem modicæ cauſæ ſint? conſuetudine fori dijudicandum eſt. cenſentur tamen interdum vſque ad quinquaginta ſolidos, l. 1. C. de defenſo. ciuitat. interdum vſque ad decem libras auri, vt in auth. de appellationibus, §. illud, col. 4. nonnunquam vſque ad quinque aureos, l. diuus Adrianus, ff. de bonis dam. interdum vſque ad duos aureos, l. x. id eſt, ff. de dolo: aliquando vſque ad centum aureos, authent. de iudicijs, §. ſi quis autem, col. 6. Minimæ cauſæ autem eſſe dicuntur, quarum æſtimatio ad ſumptus iudiciales non ſufficeret, authent. de appellationibus, col. 4.

2. Libellus non offertur in cauſis, in quibus proceditur ſimpliciter, & de pleno, ſine ſtrepitu & figura iudicij: cùm ſufficiat petitionem Actoris viua voce factam actis inſerere, Clem. ſæpè, ver. verum, de verb. ſignificatione.

3. Si cauſæ non ſit tanta præſtantia, vt in-

tentionem Actoris libello cõplecti suadeat: sed etiã sine scriptis de ea cognosci possit; hoc enim casu, consensu partium, libellus omitti potest, l. vlt. C. de priuil.

4. Quando non agitur in modum inquisitionis aliquo denuntiante, cap. cùm olim, extr. de testibus.

5. Si Episcopus cognoscit de causa ciuili inter clericos sibi subiectos, c. si quis, 2. q. 1.

6. Excipiuntur omnes illi casus, in quibus testes recipiuntur, lite nõ contestata: Et illi, in quibus audientia denegatur, Speculator in §. in quibus, vers. generaliter, de libelli concep.

7. Quando aliquis de necessitate iuris prosequitur accusationẽ, sicut hæres, qui tenetur vindicare necem defuncti, l. tutorem, ff. de his quibus vt indig.

8. Si agatur de leuibus criminibus. Leuia crimina sunt, vt abigeatus, furta domestica, & modica, & iniuriæ verbales.

9. Quando officium iudicis, quod actioni deseruit, imploratur.

10. Cùm postulatur cautio damni infecti: Et hoc, quia desiderat celeritatem, vel quia iudicis officio expeditur, l. 4. ff. eod.

11. Quando de possessione litigatur quocunque modo, & hoc propter sui vilitatem, l. momẽtariæ, C. vnde vi.

12. Quando agitur actione in factum, quæ ex re iudicata descendit, l. actori, C. de reb. cred. Sunt & alij casus per Specul. §. in quibus tit. de libell. concep. relati, sed hæc notâsse hoc loco sufficiat.

Quæ

Quæ forma Libellorum?

Forma Libellorum certa præscribi non potest, cùm, iuxta cuiuslibet curiæ stylum & consuetudinem sint concipiendi, Specul. lib. 4. par. 1. tit. de libelli concep. iure tamen communi exprimere debet, non solùm agentis & conuenti nomen, sed &, ius dicentis, & petitæ rei & actionis qualitatem. Non est tamen necesse conceptis verbis actionis nomen, præsertim iure Canonico, in libello exprimere, c. dilecti, extr. de iud. vbi Pan. num. 12. & Dd. in l. 1. ff. de edendo. Et si personali experiundum actione, causa exprimenda est, nõ quidem proxima, sed remota, quâ. quasi medio concludendi, nititur actio instituta. in actione personali causa proxima, est obligatio, remota autem, contractus: in reali autem actione, causa proxima, est dominium, remota verò, ipsum factum, ex quo dominium, vel ius agendi descendit: in qua actione alterutram causam exprimere licet, alioquin nec conuentus respondere tenebitur, & iudex libellum legitimam conuentionis formam non continentem concerpere & destruere potest. Vnde dicitur:

Quis, quid, coram quo, quo iure petatur, & à quo:
Rectè compositus quisque libellus habet.

Quæ omnia si continebit in modum syllogismi, necessariò contra aduersarium concludit. Hinc etiam est, q; libellus syllogismus iuridicus dicatur. siquidem in primis, tanquam pro Maiore, continet: Quis petat? à quo? & coram quo? id est, nomen actionis Rei & iudicis, subinde pro Minore continet causam agendi, id est, actionem

siue petitionem cum narratione facti, id est, quo iure petatur. Vltimo loco subnectitur conclusio inferens conclusiuam petitionem, qua Actor cõcludit petendo, meritò ex præmissis Reum sibi fore condemnandum, non tantùm in principali causa, verùm etiam in expensis.

Porrò in libello concipiẽdo, tria potissimùm Actor curare debet: 1. Vt sit dilucida & breuis. Ratio est. Quia satiùs est, ob euitandam probandi difficultatẽ, pauca vtiliter proponere, quàm multis inutilibus aures iudicum fatigare, & in labyrinthum, quo se non facilè extricabit, conijcere, l. tantùm, C. de veteri iure enucle. Accedit, quòd, propter obscuritatis vitium, nisi declaratio litis contestationem præcedat, processus iudiciarius corruat, Spec. de libel. concep. §. vltim verſ. cautus. 2. Vt in eo ponantur necessaria & vtilia, quæ scilicet probata Actoris iuuent intentionem, c. examinata, extr. de iud. 3. Vt narratio fit generalis, vt in processu Actor habeat plures vias & diuerticula ad intentionem suã stabiliendam, Speculat. d. loco.

Quis Finis?

Finis est triplex: 1. Vt libello ius Actoris, causaque agendi declaretur. 2. Vt Reus ita instruatur, quo consilium an cedendum liti, vel contendendum actione? capere possit. 3. Vt sciat iudex, qualiter debeat formare sententiam, quæ secundùm petitionis formam ferenda est. Vnde dicitur, sententiam debere esse conformẽ libello, quod verum est, non tantùm in re, sed etiam

iam causa & actione, Bald. in l. 1. C. si plures vna sententia, &c.

Qui Effectus oblationis Libelli?

1. Secundùm petitionem in libello factam formatur sententia, c. qualiter, extr. de accusation. 2. Facit rem litigiosam, secuta per executorem denuntiatione, c. quia res, 11. quæst. 1. 3. Perpetuat actionem annalem, si Princeps ad eum rescribat, l. 1. &, l. 2. C. quando libel. prin. dat. 4. Obligat Actorem, ad finem perducere causam, auth. qui semel, C. quomodo & quando, &c. 5. Interrumpit prę scriptionem, etiamsi nullam causam, vel saltem vnam, ex omnibus, contineat, l. sicut, C. de præscript. 30. &c. l. ex multis, C. de annali except.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

In qualibet actione vtranque causam, remotam, scilicet, & propinquam, exprimere licet, sufficit tamē, quòd in reali propinqua causa, scilicet, dominium, in personali verò remota, nimirùm contractus, vel quasi, exprimatur. Ratio est. Quia realis actio vniformis est, ideoque causam propinquam exprimi sufficit in libello: sed actio personalis diuersæ naturæ & qualitatis est, cùm alia sit bonæ fidei, alia stricti iuris: quare remotam causam exprimi necesse est.

Effectus huius doctrinæ. Si in reali actione causa remota omissa sit, omne ius suum in iudicium deduxisse videtur Actor: Et sic quācunque causam probauerit, obtinet, c. cùm Ecclesia, extr. de causa possess. & proprietat.

quòd si autem in probanda causa deficiat, & Reus absoluatur, obstabit Actori iterum in rem agenti rei iudicatæ exceptio l. & an eadem, §. actiones, ff. de except. rei iud. Econtrà, non obest rei iudicatæ exceptio, si assignata remota causa vel in rem, vel in personam agens succubuit.

Non tenetur Reus respondere libello, in actione personali, si non exprimatur causa petendi, c. dilecti, extr. eod.

Nomen actionis in libello exprimere Actor non cogitur: debet tamen ita clarè proponere, vt ex eo ius agendi colligatur, c. dilecti, extr. de iudicijs.

In vniuersalibus & generalibus iudicijs, licet, vsque ad Sententiam, addendo & detrahendo, emendare libellum, l. 4. ff. de petit. hæred.

In singularibus emendatio in re petita, vsque ad sententiam, conceditur: quod obtinet, si addendo corrigat, quòd si autem detrahendo, correctio quidem admittitur etiam vsque ad Sententiam; sed si ab aduersario, post litem contestatam cautionem exegerit Actor, iuxta normam vnicæ, C. de plus peti. & dein detrahere velit, nisi hoc faciat ante acceptum iudicium, pœnam legis non effugiet.

Si emendatio, siue addendo, siue detrahendo, respiciat substantialia libelli, ante litem contestatam impunè fieri potest: non etiam postea. quòd generaliter procedit, tam in criminali, quàm in ciuili causa.

Circa qualitates principales, ante litis contestationẽ, tantùm emendari libellus potest, post non; sic enim mutaretur actio, seu facti substantia, Zas. §. sin minùs, Inst. de act.

Circa qualitates aduenticias correctio vsque ad Sententi-

tentiam admittitur, l. in delictis, §. si contracta, ff. de noxa. Sunt autem aduentitiæ qualitates, quæ nec vitiant, nec mutant libellum: sed huic præter necessitatem adjiciuntur.

Mutatio libelli regulariter ante litis contestationem, non post, admittitur: quibusdam casibus exceptis, quos notant Dd. in l. edita, C. de edend. Quia litem contestando quis infamiæ, ex proprio contractu, adstringitur, l. 3. § idem ff. de peculio.

Homo rectus factus est, sed seipsum, propter suã malitiam, infinitis subiecit quæstionibus, cap. omnis ætas, 12. quæst. 1.

Mutari dicitur libellus, si rẽ priùs per aliquam actionem petitam, nunc peto per aliam, Specul. lib. 4. §. nunc ostendamus.

Libellus non continens causam agendi, nomen Actoris, vel Rei, vel aliquo alio vitio Formæ laborans, iure nõ subsistit, Spec. lib. 4. de libel. concep. §. fin. num. 1.

DE MVTVIS PETITIONIBUS.

Titulus IIII.

Continuatio.

AB Actore libello oblato, si Reus contendẽdum existimet, nec habeat exceptiones iure sibi competentes, quibus Actoris intentionem confundere possit, vicissim Actorem ratione rei, vel alicuius negotij obligatum apud

eundem iudicem, ne continentia iudicij diuidatur, reconuenire potest.

Quid est Reconuentio?

Reconuentio est, petitio Rei conuenti apud iudicem conuentionis principalis, contra Actorem, per vicissitudinem instituta, auth. & consequenter, C. de sententijs & interlo.

Quæ causa Efficiens?

Est Reus conuentus, intercedente lege, quâ coram eodem iudice inter Actorẽ & Reum mutuas petitiones proponi introduxit. Cùm æquitati consentaneum sit, cuius in agendo quis obseruat arbitrium, eum habere etiam contra se iudicẽ in eodem negotio non dedignetur, c. accusatores, §. cuius in agẽdo, 3. q. 8. c. 1. &, c. 2. extr. eod.

Quod Obiectum?

Quælibet causa, in qua ad rem, vel ius, vel ex obligatione debitum, aliquid agi potest. Vnde in criminalibus reconuentio non permittitur, c. neganda, 3. quæst. 11. Quia non relatione criminum, sed innocentia Reus purgatur, l. is qui, ff. de publicis iud. Nec in præiudicialibus actionibus, quæ licet à Reis vicissim proponantur, tamen cum petitione Actoris tractari nõ possunt, c. 1. extr. de extraord. cognit. Nec in spiritualib. Ratio est. Quia de his laicus nõ potest cognoscere, vt est causa iuris patronatus, decimarum, matrimonialis, & huiusmodi, c. decernimus, extr. de iud. c. tua, de decimis, cap. relatum, §. ad hoc, de iure patro. cap. grauem, extr. de excess. prælat.

Nec

Nec in quæstione spoliationis, quà proposita, non habet locum reconuentio; nisi alia sit spoliatio, cap. super, extr. de ord. cogniti. Nec excommunicatus reconuenire potest, licet vti possit defensione, recusatione, & appellatione, cap. cùm inter priorem, extr. de exception. Nec in possessione momentaneæ possessionis: nam si pupillus agit contra me, Vti possidetis, vel, Vnde vi, vel, Quod vi, aut clàm, nõ possum eum reconuenire, l. vlt. C. qui leg. perso. stan.

An autem in causa appellationis locum habeat reconuentio? Respondet Speculator, tit. de reconuention. §. nunc dicamus, numero sexto. Quod non probat l. 2. §. legatis, ff. de iudicijs. Quod intelligitur de eo, qui de causa iudicialis appellatiõis tantùm cognoscere potest, de quo, antequam pronuntiet, dubium est, an sit iudex inter partes? cap. vt debitus, extr. de appellation. coram eo verò, qui cognoscit de pronuntiatione, vel de tali appellatione extraiudiciali, in qua venit cognitio negotij principalis: putà, cùm appellatur super prouisione huiusmodi, cap. statuimus, extr. de election. benè potest reconuentio fieri, cùm sit certum eum iudicem partium esse, cap. accusatores, §. cuius in agendo 3. quæst. octaua, talis enim appellatio, est citatio ad causam. Denique coram laico reconuentioni non est locus, cap. cùm dilectus, extr. de arbitr. Quod intelligas, nisi plenum compromissum factum sit de omnibus cõtrouersijs, quæ inter Actorem, & Reum sunt: tunc enim non aliter auditur Actor, nisi se defendat, & reconuentione Rei respondeat,

l. si

l.si cùm dies,§.plenum,ff.de arb.&,l.non distinguemus,§.sed & compromissum illud,eod.

Quæ Forma Reconuentionis instituendæ? & quomodo in ea procedatur?

Libello ab Actore oblato, Reus, si eum velit reconuenire,porrigat similiter ante litem contestatam libellum reconuentionis:&, deliberatione super vtroque hinc inde habita, fiat primò litis contestatio super libello Actoris,& consequéter super libello reconuentionis. Pari ratione in delatione iuramenti,probationibus, alijsq; actibus,obseruandum:ita quòd in vna eademq; die vtraque quæstio,quasi vna sententia,concordia, vel iudicio terminetur,extr.eod.c.1.&,c.1.de causa possess.& propriet.c.cũ Ecclesia,&, c. dilectus, iuxta regulam:Qui prior appellat, prior agit,c. 2.extr.de ord.cog.

Et notandum hoc loco:quòd recõuentio generaliter fieri possit, antequã in petitione Actor litem contestatus sit,posteà verò nunquam, nisi libellus reconuentionis sit anteà porrectus : vel nisi protestatus fuerit de reconuentione facienda,c.per totum,extr.de mutuis petit. Licet Speculat.etiã post litis cõtestationem,recõuentioné fieri putet,per c.1.extr.eod. per verb.& respõsione facta.Sed eius opinio,quasi nulla ratione euidenti fulta,non est recepta.

Quis Finis & Effectus Reconuentionis?

1. Vt iudex vtranque causam, & conuentionis &

nis & reconuentionis vna sentẽtiâ definiat. Quæ sententia licet non vna sit, sed duæ, varietate causarum inspecta, quæ simul feruntur super duab. quæstionibus, sese minimè contingẽtibus, & etiamsi se contingant, putà, quia agitur petitorio, & possessorio super eadem re: tamen vna & eadẽ sententia dicitur, propter temporis continuationem, Speculat. tit. de reconuent. §. videndum num. 4.

2. Quòd Reus conuentus impunè non respondeat petitioni Actoris, si is Rei conuenti per reconuentionem institutæ petitioni respõdere deneget, c. imperatorum, &, c. fin. extr. de iuramen. calum.

AXIOMATA.

Quotiescunque vel per citationem, vel per libelli oblationem Actoris perpetuata est actio, toties reconuentionem Reus inchoare potest, c. cuius, 3. q. 8.

Non debet Actori licere, quod Reo non licet, 4. quæst. 4. cap. 2.

Non solùm coram Ordinario, sed etiam Delegato reconuentio admittitur, c. dispendia, de resc. in 6.

Vno & eodem tempore non est quis trahendus ad diuersa iudicia, c. fin. extr. de rescr.

Qui prior appellat, prior agat, cap. cùm dilecti, extr. de ordi. cog.

Clericus, ante litem contestatam, coram seculari iudice, potest à laico reconueniri, nisi sit causa spiritualis, vel alia, quæ coram Ecclesiastico iudice sit tractanda, c. decernimus, extr. de iud. c. tua, extr. de decimis.

Reconuentio fieri potest apud quemlibet iudicem, coram

tam quo fit conuentio principalis: non autem coram Arbitro, qui non potest iudicare, nisi de his, quæ in compromisso continentur, c. cùm dilectus. extr. de arb. d. c. accusatores, 3. q. 8.

Cuius quis in agendo obseruat arbitrium, eundem habere iudicem se in eodem negotio dedignari non debet, d. c. accusatores 3 q. 8.

Causa conuentionis & reconuentionis eadem causa dici potest, eò quòd idem iudex, ijdem litigatores, eadem instantia, & vna sententia determinanda. Accedit, quòd prohibita appellatione in conuentione, prohibita etiam in reconuētione censeatur, c. cùm dilectus, extr. de ord. cog. &, c. 2. eod.

Iudex, qui non potest per modum cōuentionis de causa cognoscere, consequenter, nec per modum reconuentionis potest, c. si diligenti, extr. de foro comp

DE LITIS CONTESTATIONE.

Titulus V.

Continuatio.

LItis contestatio, cùm sit principium & fundamentum iudicij, qua omissa, iudex, quasi potestate iudicandi destitutus, causæq; controuersæ ignarus, non possit ad eius definitionem procedere: litigatores illā nec expressim, nec tacitè prætermittere debent, per Aflict. decis. 2. 83. nu. 4. & Rotam, decis. 88. num. 1.

Quid est Litis Contestatio?

Litis contestatio, est principalis negotij, apud com-

competentem iudicem, facta narratio, & ad eam secuta responsio, c. vnico, extr. eod. c. dudum, extr. de elect.

Quæ causa Efficiens?

Interlocutorium iudicis, & declaratio animi contestandi litem, c. prout, extr. de dolo, & cõtum. c. penult. extr. de iuram. calum. Vnde Azo litis contestationem tunc demum valere existimat, quando ea mente fit, vt in ea procedatur: & protestans, se dicere animo, non contestandi litem, licet postmodùm vlteriùs in responsione, vel in narratione facti negando procedat, non tamen litem contestari. nec obest, si dicatur, protestationem facto repugnantem non iuuare protestantem, c. cùm M. Ferrariensis, extr. de constit. illud enim verum est, quando ordinatur ad tollendum factum, facta enim, pro infectis haberi non possunt: sed si protestatio ordinetur ad tollendam mentem facto, tunc benè operatur, Innocent. c. vni. extr. de litis contest. Mynsing. obseru. 74. cent. 3. Speculat. eod tit. §. nunc dicamus, num. 14.

Fit autem litis cõtestatio per principales personas; si sunt tales, quæ possint in iudicio esse; vel etiam per eorum procuratores, per tutores, curatores, syndicos, vel actores, c. cùm ad sedẽ, extr. de restit. spoliat. c. prout, extr. de dolo & contu, c. cùm causam. extr. de iuram. calum. Fit quoque litis contestatio per confessionem aduocati, etiam illicitam, nisi fuerit reuocata, c. cùm causam, extr. de appellat.

Quæ

Quæ Materia litis Contestationis?

Sunt omnes causæ, tam ciuiles, quàm criminales in iudicium deductæ, de quibus non de plano, absque figura iudicij, sed processu iuris habito ordinariè cognoscitur. Is enim cui committitur causa, vt in ea summariè, vel simpliciter, & de plano procedat, debet, neglecto iuris ordine procedere: ita vt statim deueniatur ad testium examen & diffinitiuam, lite non contestata, vel libello exhibito, ita docet Lanfran. in Clem. sæpe, verb. de plano, num. 7. de verb. sign. Mynsing. obser. 70. cent. 3. Et hoc differt Delegatus ab Ordinario, quòd, si Delegato causa delegetur, cum clausula, Vt simpliciter, & de plano procedat, præcisè seruare teneatur formam rescripti & commissionis, ita, vt non possit iure ordinario, etiã partibus volentibus, procedere: Secus autem in Ordinario; eius enim volũtati relictum est, num summariè in casibus iure notatis, vel iuris ordine seruato, procedere velit. Vtrunq; n. etiã partibus, vel alterutra parte inuita, ei concessum est, Bart. in tract. suo ad reprimendam, & Clem. sæpe, de verb. sig.

Causæ, in quibus solennis iudiciorum ordo non seruatur, notantur in Clem. dispendiosam, de iud. Et sunt, causæ beneficiales, Ecclesiasticæ, causæ decimarum, causæ vsurarum, & causæ matrimoniales: Et aliæ his quatuor annexæ & accessoriæ. Vt sunt causæ super electionibus, collationibus, promissionibus, præsentationibus dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, &c.

In

In quibus igitur causis simpliciter, & absque figura iudicij, proceditur, in ijs nec libelli oblatio vel litis contestatio necessaria est, quod Socin. in c. quoniam, extr. Vt lite non contestata; eleganter ostendit. Sic quoque, processus in causis appellationum, ob omissam litis contestationem non vitiatur: si modò in prima instantia litis contestatio sit facta. Nam effectus litis contestationis, durat post sententiam, in causa appellationis, nec per appellationem extinguitur, aut suspenditur, per tex. in c. per tuas, extr. de appellat. & ibidem Innoc. & Rot. decis. 207. & 668. Tamen in Camera imperiali regulariter in omnibus causis ad Cameram, per appellationem, deuolutis, litis contestationem necessariam esse indistinctè, tam in interlocutorijs, quàm diffinitiuis, nec sufficere litis contestationem in causa principali semel factã fuisse, tradit And. Geyl, obser. 76. li. 1. pract. obseruat. ex ordinat. par. 3. tit. 32. §. 4. contrà tradit Mynsing. obser. 1. cent. 1.

Quæ Forma litis contestationis?

Forma est, vt per Actorẽ petitio in iure, id est, coram iudice competenti, libello compræhensa proponatur: & per Reum post transactas, ad deliberandum, inducias, vel loco eius, legitimum defensorem, Responsio congrua, per verba: (Nego narrata, prout narrantur, & dico petita fieri non debere) animo contestandi litem fiat, c. offeratur, 3. q. 3. c. 1. extr. eod. Quòd si autem Reus dixerit: Nego narrata, vel: Nego petita, litis contestatio non fit, secundùm Specul. de litis contest. lib. 2. §. nunc dicimus, & Bart. C. de litis contest. num. 3. Et ratio est, Quia in libello duo continen

tur, videlicet, narratio,&petitio;quorum hoc ipsum ius,illud autem factũ,respicit. Vt si dico cùm tenearis mihi in decem, ex causa mutui,(ecce factum,seu narratio)peto te mihi condemnari.(ecce ipsum ius, seu petitio.) Si ergo negetur alterum tantùm,non est lis contestata. Vnde debet subijci:Et dico,petita fieri non debere: cõtingere enim potest,quòd factum, prout narratur, negari possit,& tamen secundùm illud condemnatio iure sequatur, Speculat. d.loco. Quid,si autem peremptoria exceptio, porrecto libello obijciatur? Et placet,litem contestatam non videri,c.fin.eod.lib.6.nec impedire,quò minùs Reus super petitione Actoris litem contestari cogatur,exceptis tribus,scilicet, exceptione rei iudicatæ,transactæ,& finitæ,c.1.eod. lib. 6. Lis enim tunc cõtestatur,cùm iudex per narrationem negotij causam audire cœperit, l. vnica, C. eod. Quod nõ fit per exceptiones,vel per positiones, & responsiones ad eas,sed per petitionem in iure propositam,& responsionem congruè secutam, c.vnico,extr.eod.

Quis Finis?

Finis est,vt,cognito causę statu,iudex certò sciat,quomodo petitioni libello compræhensæ cõformem,vel etiam pro Reo; si eius defensiones intentione Actoris æquiores sint; sententiam ferre debeat,Socin.c.vnico,extr.eod. Mynsing. obseru.66.cent.4.

Qui sunt Effectus?

1.Post litis contestationẽ,iudex nõ recusatur.

2.Actiones alioqui interituras; vt sunt pœnales actiones ex maleficijs, item omnes actiones per-

personales, quarum aliæ anno, aliæ sex mensib. aut minore temporis spatio finiuntur; facit perpetuas, id est, facit, vt ad 40. annos extendantur, & postea transeant ad hæredes, l. sæpè, C. de præscript. 30. &c. l. non autem, ff. de perp. & temp. act. l. in honorarijs, ff. de act. & oblig. Excipitur actio de dolo, quæ non perpetuatur per litis contestationem, l. fin. C. de dolo.

3. Post eam causa fit vsuraria, quæ priùs non erat, l. lite, ff. de vsur.

4. Interrumpit quamlibet prę scriptionem, etiamsi sit facta coram arbitro, c. potest, 16. q. 3.

5. Excludit omnes exceptiones dilatorias & declinatorias, c. inter, extr. de sentent. & re iud.

6. Post eam non potest reuocari mandatum procuratoris, nisi certis ex causis, l. post litem, ff. de procurat.

7. Post litis contestationem procurator, vel tutor, domini litis efficiuntur, & procuratores constituere & substituere possunt, l. neq;, C. eod.

8. Lite contestata ab alio, quàm à Principe, potest alij causam committere, c. cùm Bertholdus, extr. de sentent. & re iud.

9. Post eam iuratur, & probationes recipiuntur, quod ante litis contestationem regulariter non conceditur, tot. tit. extr. vt lite non contest.

10. Actor & Reus ex contestatione, vt ex quasi contractu, inuicē fiunt obligati, paratamq; eo nomine habent inter se, ex sententia & re iudicata, actionem; non secùs, quàm ex quouis alio contractu; ciuilem & perpetuam, l. 3. §. idem, ff. de peculio, argument. l. 4. ff. de seru. l. actori, C. de reb. cred.

11. Excludit libelli mutationem, & emendationem, quæ eius substantiam concernit: illa enim tantùm ante litis contestationem sunt concessa, Dd. in l. 3. C. de edendo.

Quæ Affinia?

Quælibet negatiua responsio, iuri agẽdi obiecta, citatio, denuntiatio, &c.

Quæ Pugnantia?

Omnes exceptiones dilatoriæ, declinatoriæ, & peremptoriæ impediẽtes litis ingressum, protestatio, de non contestanda lite, conditionalis responsio, negatio facti & iuris, quod inde proficiscitur ante oblationem libelli facta, Soci. ind. quoniam, extr. vt lite non contestata, &c.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Animus litem contestandi, ex verbis aptis propositis ad litem contestandam præsumitur: quia humanæ aures talia verba iudicant, qualia foris sonant, c. humanæ aures, 22. q. 5.

Non solet deterior conditio fieri eorum qui litem cõstati sunt.

Nemo in persequendo deteriorem causam, sed meliorem, facit.

Post litis contestationem, hæredi quoq; prospicitur, & hæres tenetur ex omnibus causis.

Omnes actiones, quæ tempore, aut morte, pereũt, semel inclusæ iudicio, saluæ permanent.

Iudiciorum quasi fundamentum quoddam litis contestatio est, c. ex parte, de verb. signif.

Aduo-

Aduocati responsio, nisi statim sit reuocata, litis contestationem facit, c. fin. 35. q. 9.

Non per positiones & responsiones, sed, per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam fit litis contestatio, c. 1. extr. eod.

Nemo tenetur sine libello litem contestari, potest tamen, si velit, solennitatibus renuntiare, c. de causis, extr. de off. deleg.

Multùm prodest & potest animi destinatio, c. nuper, extr. de pig.

Litis contestatio facta per personam, quæ legitimam personam standi in iudicio non habet, nullius est momenti, Specul. lib. 2. de litis contest.

Litis contestatio habita coram arbitro, non valet coram Ordinario, quo ad diffinitiuam sententiam, licet, quo ad alia, quæ fiunt coram eis, subsistat, Speculat. d. loco.

Non solùm, cùm per actionem iudicium instituitur, lis contestanda est, verùm etiam vbicunque iudicis officium pro ipsa actione proponitur: Veluti, cùm restitutio in integrum non incidenter, sed principaliter postulatur, c. fin. extr. de off. iudicis.

VT, LITE NON CONTESTATA, non procedatur ad Testium receptionem, vel ad sententiam diffinitiuam.

Titulus VI.

Continuatio.

CVm litis contestatio sit de substantiali ordine iudicij, ita, vt, ea omissa, iudicium, quasi viri-

bus destitutũ, corruat: sequitur, nec testium recep tionem, ante litis contestationem, fieri, nec in principali causa, ad liquidationem & sententiã diffinitiuam, procedi posse.

Distingue tamen. Aut Actor contumaciter abest, aut Reus: si Actor, vocãdus est tribus edictis, per interualla xxx. dierum, & si non venerit indulgetur ei annus, sed intra ipsum annum veniens non auditur, nisi restitutis expensis Reo, si verò intra annum non venerit, iudex Rei testibus receptis, allegationibusq; intellectis, ex veritate rei sententiam ferre potest, in causa principali, auth. qui semel, C. quomodo & quando, &c. Quòd si Reus nihil probare potest, nihilominùs tamen Actore in expensis damnato absoluitur ab instantia iudicij. Si aũt Reus ante litis cõtestationem contumax est, prudenter attendendum venit, vtrùm contumax reali actione, an personali conueniatur. Si reali, mittendus est Actor in rei petitæ possessionem, vt tædio affectus Reus, veniat respõsurus. Qui, si venerit intra annum, (iudicio sisti sibi præstita cautione, & exhibita satisfactione, congrua expensarum) possessionem recuperat. Quòd si aũt cautionem neglexerit intra annum, Actor post annum verus cõstituetur possessor: super proprietate duntaxat aduersæ parti defensione legitimę reseruata. sin autem super personali actione conueniatur: vel mittendus est Actor in possessionem mobilium ipsius, vel immobilium, si fortè mobilia nõ habeat causa custodiæ pro modo debiti declarati, vel in cõtumacem est Ecclesiastica sententia proferenda, ita videlicet, quòd alterutra pœna, quæ magis timeri

meri debeat, iudex à principio sit contentus: ad alteram nihilominùs processurus, si hoc meruerit contumacis proteruitas. Missus tamẽ non efficitur verus possessor, imò, restitutis expensis & præstita cautione, venienti Reo restituitur possessio, quandocũq;, c. quoniã, §. in alijs, extr. eod. nisi, iudicis authoritate, sit ab Actore distracta. Qui ad hoc debet statuere tempus moderatum, intra quod res distrahatur, vel iustus, vel verus possessor efficiatur, l. si priùs, C. de dist. pig. l. si finitæ, ff. de dam. infect.

Quamuis igitur post litem contestatam contracto eremodicio de iure communi tãtùm procedi possit, in principali causa, ad liquidationẽ, sententiam diffinitiuam, & receptionem testiũ: tamen cùm multis modis nostra interesse possit, ne pereat nobis, nostrisq; successoribus rerum gestarum memoria, vel probationis facultas, permittitur quandoq; contra communem iuris regulam, testes ante litis contestationem recipi, atque examinari, cuius rei 36. casus Specul. in tit. de teste, §. nunc tractemus, commemorat.

Quid est Receptio testium, ante litis contestationem?

Est testium, de quorum obitu, vel diutùrna absentia periculum subsit, ad testificandum, lite in principali negotio non cõtestata, per iudicem facta admissio, c. quoniam frequenter, extr. eod.

Quæ est causa Efficiens?

Legis, siue iudicis, tã ordinarij quàm delegati, authoritas: qui perspecta negotij & personarum

qualitate, num, ante acceptum iudicium, recep-
ptio admittenda sit? æstimat, Mynsing. obseruat.
72. cent. 4. Potest enim ipse iudex Ordinarius
causæ principalis recipere, & examinare testes,
vel alteri examen committere: sicuti, ad obtinen
dam commissionem, ad perpetuam rei memori-
am, iudex causæ principalis, siue petatur à Reo,
siue ab Actore, adiri debet, Panor. in c. quintaual-
lis, num. 39. in fine, de iureiurando, & in c. si quis
contra, num. 3. de for. comp. &, c. significauit, ex-
tr. de testib. Nota tamen, quòd de stylo Came-
ræ, in petenda commissione, ad perpetuam rei
memoriam, priuilegium primæ instantiæ nõ ha
beat locum, idq; indistinctè, tam in futuro Acto-
re, quàm Reo. Igitur si à personis immediatè im-
perio subiectis, talis commissio petatur, non co-
ram Commissarijs, vel iudicibus primæ instan-
tiæ, sed immediatè superiore, hoc est, Camera po
stulari debet: seruata tamen differentia inter A-
ctorem & Reum, quo ad actionem instituẽdam,
intra annum, vt infr. Et est ratio. Quia, cùm peri
culum sit in mora, solennitas, quę, secundùm or-
dinationem, in requirendo, & nominando iudi-
ce requiritur, non posset, absque præiudicio alte
rius partis, obseruari. Quò pertinet, quòd à regu
lis iuris communis recedatur, vbicunque pericu
lum est in mora, per tex. in l. de pupillo, §. si quis
riuos, ff. de noui operis nuntiat.

Quæ Materia in qua?

Est causa tam ciuilis, quàm criminalis, si de
morte, vel diuturna absentia testium probabili-
ter timeatur, c. quoniam, §. nisi fortè, extr. eod.
Inter hæc tamen interest. Quia in criminalibus,

parte

parte altera absente, testes ad perpetuam rei memoriam acceptari non possunt, glos. in c. veritatis, extr. de dolo & contum. & communiter Dd. in l. absentem, C. de accusat. Sed in ciuilibus citatio partis aduersæ non requiritur, si periculum sit in mora: aliàs secus. Quia tunc pars, contra quam testes producuntur, citari debet ad videndum iurare testes, & dandũ interrogatoria, &c. Socin. in d. c. quoniam, extr. eod.

Nouem autem numerantur casus ab Innocen. in d. c. quoniam, Verb. (procedẽdum) quibus receptio testium ante litem contestatam permittitur: licet Speculator, tit. de test. §, nũc tractemus, vsque ad 36. addat.

1. In causa appellationis, l. cùm notissimi, §. penult. C. de præscript. 30. annorum.

2. Vbi quis iurauit, non repetere vsuras, & vbi idem vsurarius in testamanto reddi mandauit, c. ad nostram, extr. de iureiur.

3. Vbi aliquid petitur officio iudicis seruiente actioni, vt in expensis pendente lite factis, secus si non seruiret actioni, c. 2. extr. de off. iud.

4. Vbi causa est merè spiritualis, & sine alterius commodo, vt est crimen hæresis, 24. quæst. 2. c. sanè profert.

5. Vbi offenditur publicum commodũ, c. quia ea, 2. q. 2. Vel vbi de statu Ecclesiæ, c. cùm olim, extr. de testibus.

6. In denuntiatione, c. nouit, extr. de iud.

7. Si Reus fuerit præsens, & Actor contumaciter absit, d. au. qui semel, C. quomodo, & quãdo.

8. In causa appellationis interpositæ à grauamine, c. interposita, extr. de appellat.

In omnibus causis, in quibus proceditur simpliciter & de plano, vel in quibus libellus nõ admittitur, possunt enim tunc, lite non contestata, testes recipi. Et nota, quòd commissio, ad perpetuam rei memoriam, in optima & meliori forma, nimirùm, ad transsumenda instrumenta, in Camera non decernatur, sed tantùm in communi forma: hoc est, ad recipiendum, & examinandum testes, & rem controuersam oculis subijciendã. Ratio sumitur ex d.c. quoniam, extr. eod. Quia huiusmodi commissiones decerni non debent, nisi vel, ob ætatem, vel valetudinem aduersam, aut diuturnam absentiã testium: Sed in recipiendis & transsumendis instrumentis, nullum subest periculum interitûs: diligenter enim custodiri debent, & postulante necessitate, quãdocunque produci possunt. Præterea, in casu necessitatis instrumentorum exemplatio legitimè fieri potest, nimirùm parte, cuius interest, ad hoc legitimè citata, Dd. in auth. si quis in aliquo, C. de edend. Panor. in c. Albericus, nu. 5. de testib.

Quæ Forma?

Vt testium, de quorũ morte, vel diuturna absentia timetur, designatio, vnà cum articulis, super quibus testes examinandi, iudici competenti exhibeatur in casu, quo controuersia moueri potest. Quibus legitimè citatis & examinatis, dicta eorum in publicam scripturam redacta & cõsignata iudex penes se, donec in actione (quã petens receptionem testium, vel commissionem, ad perpetuam rei memoriam, intra anni spatiũ instituere tenetur,) litis contestatio fiat, retineat: nec nisi cum alijs testibus postea receptis publicé

tur,

tur, Speculat. in §. nunc tractemus, num. 15. tit. de teste.

In hac autem receptione testium, ad perpetuã rei memoriam, obseruanda est differentia inter Actorem & Reum. ad hoc enim, vt Actor eã obtinere possit, requiritur:

1. Vt testes sint vel senes, vel valetudinarij: ita vt mortis subsit periculum; aut diù abfuturi: qa mors & longa absentia æquiparantur, c. faciat, 22. q. 2. &, c. præsentata, extr. de testib. & atteſt.

2. Requiritur, vt in supplicatione, pro cõmissione ad perpetuam rei memoriam, ista: an testes sint senes? valetudinarij? aut diù abfuturi? coniunctim & sigillatim exprimantur, & articuli, super quibus testes examinandi, vnà cum designatione testium, & eorum ætate, exhibeantur, ad hoc, vt iudex cognoscat, ex narratis supplicationis vtrùm supplicans futurus sit Actor vel Reus? & an periculum, ob ætatem, vel diuturnam absentiam testium, sit in mora? Item, an articuli tales sint, qui ad probandum admitti debeant?

3. Vt, prẽmissa citatione, vel denuntiatione aduersarij testes, iuxta formam examinandi testes infrà præscriptam, examinentur.

4. Vt, omnia hæc fiant coram competente iudice, vel eo, cui hoc legitimè commissum est. Quis autem competens iudex in hac, ad perpetuã memoriam, receptione testiũ, sit? dixi suprà. Quod tamen cum hoc temperamento accipitur nisi periculũ sit in mora. Hinc est, qꝛ receptio testiũ, coram incõpetenti iudice facta, etiã, parte altera nõ citata valeat: si hoc pꝛsens necessitas, putà periculũ mortis testis, postulet, pꝛ tex. in l. fi. C. de testib.

testib.Bart.in l.admonendi, ff. de iureiur. & Fel. in c.2.extr. de testib.

5. Vt absoluto examine, si Commissarius examinauit, ipsum ad ordinarium iudicem consignatum ipsius Commissarij sigillo transmittatur: vel, penes ordinarium iudicem, si ipse examinauit, in scripturam redactum & consignatum, donec lis contestata sit, conseruetur, nec nisi cum alijs testibus, post litis contestationem receptis publicetur, Panor. & Imol. in c. significauit, extr. de test. & attest. In Camera autem ita obseruatur: Si à personis Imperio immediatè subiectis commissio, ad perpetuam memoriã, petita fuerit, Commissarius à Camera deputatus, examen sub suo sigillo obsignatum, ad Cameram transmittit, vel procurator Cameræ, huiusmodi examen iudicialiter, vel extraiudicialiter producit, adiuncta petitione, vt tantisper ibidem ab actorum magistris, siue actuarijs conseruetur, donec, lite coram iudicibus priuilegiatis cœpta ad petitionem partis producentis, iterum à iudice Cameræ, qui commissionem decreuit, repetatur. ad eum nimirùm effectum, vt suo loco & tempore, in prima instãtia exhibeatur & publicetur, And. Geyl. obser. 93. lib. 1. pract. obseruat. Denicq; concessa commissione, & testibus ritè examinatis, requiritur, vt Actor intra annum actionem instituat, qui quidem annus ab initio vtilis est. hoc est, non currit, nisi à tempore, quo potuit agere, gl. in d. c. quoniam frequẽter, extr. eod. & Panor. ibid. num. 7.

Quod ad Reum attinet, is indifferenter, & sine discrimine ætatis, valetudinis, aut absentiæ, non

non modò senes, aut valetudinarios, sed quoslibet producere poterit. Ratio diuersitatis est. Quia in ipsius potestate non est positum, quando conueniatur, & ratione istius incertitudinis, ne ei probationes pereant, huiusmodi receptio testium indistinctè valet, cap. significâsti, & ibid. Panorm. extr. de testib. &, l. purè, §. fin. ff. de dolo malo. Excipitur vnus casus: nisi exceptio Rei cõpetat, per modum actionis, veluti in exceptione non numeratæ pecuniæ. quia tũc idem est, quod in Actore: vt scilicet, intra annum agere debeat, cùm sit in potestate Rei, quando eam opponat, auth. hanc querelam, C. de non num. pec. Secus si exceptio non habeat vim actionis, vt est propriè natura omnium exceptionum, ita Lanfran. in c. quoniam contra, extr. de probat. c. 8. num. 34. Vbi dicit, etiam actorem, ante litis cõtestationem, testes, ad perpetuam rei memoriam producere posse, si Reus compareat, & exceptionem litis contestationem impedientem opponat. Quia cùm talis exceptio inducat moram, perinde est, ac si nõ haberet potestatem agendi, & hoc in Camera obtinere testatur And. Geyl. obseru. 92. lib. 1. pract. obseruat.

Quæ causa Procatarctica?

Petitio & instantia partis.

Quæ causa Impulsiua?

Est æquitas, quæ receptionem testium, ne probandi facultas pereat, suadet, d. c. quoniam.

Quæ causa Finalis?

Ne veritas occultetur, & probationis copia fortui-

fortuitis casibus subtrahatur, vt ait Innocen. in d.c.quoniam frequenter, extr.eod.

Quis Effectus?

Quòd tales testium depositiones, perinde ac si debito tempore post litis contestationem factæ fuerint, fidem faciant: non tantùm in prima instantia coram iudice ordinario, verùm etiam in secunda & appellationis causa, per text.in c. præsentium, extr.de testib.&c.fidem faciant, atq; ex his iudex discretus, in sententia ferenda, animi sui motum formare bona conscientia possit, c. præterea, extr.de testibus. Et nota, quòd huiusmodi examen, ad perpetuam fidem, quo ad effectum iuris, non intelligatur ante litis contestationem receptum: nam publicatio testium tunc demum fit, quando iudicium coram ordinario iudice inchoatum est, & lis super causa principali contestata. Sentẽtia enim ex actis probatorijs, lite non contestata, in causa principali ferri nequit. ita notat glos. in d.c.quoniam & ibi Panor. Ratio. Quia ante litis contestationem iudicium propriè cœptũ nõ dicitur, vt sup.de litis cõtest.

Quæ Affinia?

Affinitatem quandam cum hac receptione testium habet, receptio testium, ad perpetuam rei memoriam, de qua in c.significauit, extr.de testibus. Vtraq; enim, ob rationabilẽ causam, ne probandi facultas pereat, ante litis contestationem fit: differunt tamẽ in multis, quas differentias notat glossa, in d.c.significauit, in ver. testes: eas examinat ibidẽ Panormitanus, num.3.& Bart.in l. 4.§.prætor, ff.de dam.infect.

1. Diffe-

1. Differunt, quia ibi testes, non modò senes & valetudinarij, sed omnes idonei, indifferenter susscipiuntur: hîc tantùm hi, de quibus mortis vel diuturnæ absentiæ periculum subest.

2. Ibi susceptа testimonia, ad perpetuam rei memoriam, statim publicantur: hîc consignata remanent apud iudicem, donec litis contestatio fiat, nec publicantur, nisi cum alijs testibus postea receptis.

3. Testes ibi recepti perpetuò valent, tanquam publicum instrumẽtum: hîc testimonia post annum concidunt, nisi producens, intra annum cõ uenerit aduersarium.

4. Ibi susciпiuntur testes, etsi nullum sit dictatum iudicium, nec vlla de præsenti immineat controuersia; hîc secùs. Quia cessat hoc remedium extraordinarium, cùm de proximo speretur lis, in qúa ordinaria via testes produci poterunt, Mynsing. obser. 71. cent. 4.

Quæ Pugnantia?

Sunt omnes exceptiones, quæ testibus obijci possunt: si testes sint in iuuenili ætate constituti, si peregrè proficisci, vel extrauagari non consueuerint: fraus petentis, vt quia propterea petat testes recipi, vt successu temporis, exceptiones legitimæ ad repellendum testes, vel aliæ locum habere non possint, c. ex tenore, &, c. præsentium, extr. de testib. lapsus anni, ex quo conueniẽdi facultas data fuerit, & omissa denuntiatio receptionis testium, c. quoniam, §. sed si, extr. eod.

AXIO-

AXIOMATA.

Publicatis attestationibus, licet super eisdem vel directò contrarijs articulus, ex partium consensu, nouos testes producere, c. præsentata, extr. de testib.

Ante litis contestationem recipiuntur testes: ne probationum facultas angustetur, sed probatio veritatis sua sit, c. quoniam, extr. eod.

Ex parte Rei conuenti, Actore contumaciter absente, testes quocunque tempore recipiuntur, siue de morte eorum, siue diuturna absentia timor sit, siue nō, d. c. quoniam, §. sunt & alij, extr. eod.

Si Reus, lite non contestata, est contumax, & agitur reali actione, mittitur Actor in possessionem rei petitæ, cum sa custodia, quam tamen recuperat Reus veniens intra annum, si offerat cautionem, de stando iuri, & restituat expensas, post annum verò, his non seruatis, non auditur, nisi super proprietate, d. c. quoniam, §. in alijs, extr. eod. Si verò Reus cōtumax conuenitur actione personali, mittitur Actor in possessionem bonorum mobilium vel immobilium ipsius Rei, pro modo debiti declarati, d. c. quoniã, & c. tuæ fraternitatis, extr. eod.

DE IVRAMENTO CALUMNIÆ.

Titulus VII.

Continuatio.

IVramentum Calumniæ vt plurimùm, lite cōtestata, ad petitionem alterutrius partium, à iudice exigitur: debetq; regulariter, post litis conte-

contestationem præstari; quia ad totam causam pertinet. Causa autem, post litis contestationem, propriè in iudicium deducta esse censetur, intantùm, vt si eius præstatio recusetur, Actor ab instituta actione cadat: Reus autem instar confessi condemnetur, c. cùm in causa, §. pœna verò, extr. de iuram. calum. & c. 1. eod. tit. in 6.

Quotuplex est Iuramentum?

Quadruplex ponit Specul. tit. de iura. calum. lib. 2. par. 2. §. est autem: scilicet, decisoriũ, quod in defectum probationis, super principali negotio, præstatur, de quo infrà tit. de iureiurando.

Alterum est, iuramentum malitiæ, quod præstatur super exceptionibus, vel, cùm aliquid loco exceptionis proponitur. & præstatur hoc ante, vel post litis contestationem, semel vel pluries in ciuilibus & spiritualibus, & criminalibus causis: quoties præsumptio est contra aliquem, quòd aliquid malitiosè proponat, c. cùm dilecti, extr. de elect. &, c. in appellatione, §. in omnibus, eod. tit. in 6. Licet, ex sententia Specul. post litem contestatam hoc iuramentũ non præstetur, quia iuramentum de calumnia in principali pręstitũ, ad omnia, quæ postea accidunt, vel emergunt in causa, extenditur: alioquin bis iuraretur, quod esse non debet, auth. hoc sacramẽtum, C. de iura. calum. Sed prior opinio vsui iudiciorum & iuri magis est consentanea, c. cùm dilecti, extr. de elect. c. in causis, extr. de test. & c. penul. c. vlt. & c. præsentium &, extr. de restitut. spol. c. literas, & auth. eo. col. 7. §. quia verò.

Tertium est, iuramentum de veritate dicenda,

quod præstatur in spiritualibus, vel spiritual
bus annexis, c. literas, extr. eod. Quartum est, iu
ramentum calumniæ.

Quid est Iuramentum Calumniæ?

Iuramentum calumniæ est, quod, ad petitio
nem partis, iudex præstandum, imponit: quo l
tigatores, vel eorum ministri, iurant, se bona f
de, & non, animo calumniandi, actionem, ve
defensionem, instituere, quodque lis vel defen
sio iusta sibi videatur, c. 1. glos. in verb. crimina
li, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Ius diuinum: nam iure diuino, iuramentu
calumniæ introductum probatur, Exodi cap. 2
Vbi dicitur: si quis commendauerit amico pecu
niam, aut vas in custodiã, & ab eo, qui susceperat,
furto ablata fuerint, si inuenitur fur, duplũ red
det: si latet fur, dominus domus applicabitur ad
Deos, & iurabit, quòd non extenderit manum in
rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem,
tam in boue, & quæ ibi sequntur. Qua lege sacro
sancta adductus Bart. in extrauag. ad reprim. in
verbo & figura, num. 11 scribit, quòd etiamsi da
ta sit potestas & arbitrium iudici, procedendi in
causa summariè, & sine figura iudicij, non tamen
possit remittere hoc iuramentum calumniæ.
Quam quidem iuris sententiam clariùs probat
text. Clemen. sæpè, §. citationem, & ibi Card. de
verb. signif. statuerunt{que} leges & canones hoc iu
ramentum in quauis causa, tam ciuili, quàm cri
mi-

minali præstandum esse. Vnde causa efficiens etiã dicitur lex Iustiniani, & canon. l. 1. & l. cùm & iudices, C. de iuram. propter calumniã idan. Non tamen par est vtriusque introductæ præstationis iuramenti calumniæ ratio. Siquidem iure ciuili illud neque expresso partium consensu, neq; per dissimulationem potest remitti, sed tenetur iudex, etiamsi petitum non fuerit, exigere, & sub pœna legibus statuta ad eius præstationem litigatores compellere, d. l. cùm & iudices, §. sed quia veremur, C. eod. Licet alij existiment, iuramentum calumniæ tunc demum de substantia iudicij esse, si ab alterutra parte exactum sit: adeoqúe, vt eius omissio vitiet processum, & sententiam latam nullam reddat, per eandem l. 2. §. sed quia veremur, C. eod. Iure autem canonico, propter tacitam omissionem calumniæ iuramenti in tota causa, iudicialis processus aliàs legitimè factus, non irritatur, nec cogitur iudex ante petitionem factam litigatores hac periculosa præstandi iurisiurandi religione prægrauare, tex. est in c. 1. §. propter omissum, eod. tit. in 6. & c. 1. extr. eod. Verùm in Camera, licet in prima vel secunda instantia iuramentum calumniæ exactum à parte, sed præstitum non sit, attamen processus ob id non annullatur, sed, eo non obstante, in causa principali pronuntiatur. Et hoc vigore ordinationis, quæ nullitates processus, si aliàs ex actis de meritis causæ iudicij plenè constet non attendit per Vant. tit. Quib. mod. sen. nul. repara. pos. num. 125.

Tamen à parte iuramentum calumniæ in Camera petitũ, vt legitimus obseruetur processus,

omitti non potest, adeò, vt si iuramento calum niæ exacto, eoq; non præstito à partibus hinc de in causa conclusum sit, ex officio facta conclu sio rescindatur, & parti vt petitum iuramentum sub pœna legali præstet per interlocutoriam in iungantur, vt tradit And. Geyl, obseruat. 83. lib. practica. obseruat.

Iurare autem de calũnia vitanda debent regu lariter personæ principales, c. 3. extr. eod. Item tu tor, curator, œconomus, syndicus, actor, Episco pi, Archiepiscopi, parentes, orphonotrophi, & omnes alij, qui rei alienæ legitimam habent ad ministrationem, vel à lege vel iudicis auctorita te, l. 2. §. quod obseruari, C. eod. auth. principa les, C. de bonis mater. l. orphonotrophos, C. de epis. & cle. auth. sed hodie, C. eod. c. 3. & 4. &, c. cùm causam, extr. eod.

Potest tamen hodie per procuratorem apud acta constitutum tale iuramentum præstari, per tex. in c. fin. eod. tit. in 6. & Bart. in l. fin. C. eod. sed ad hoc non sufficit generale mandatum, sed spe ciale; sicuti ad cuiuslibet iuramenti præstatio nem desideratur, per tex. in c. fin. extr. eod.

Quæ Materia?

Omnes causæ tam ciuiles, quàm criminales: debet enim iuramentum calumniæ, in quauis causa, præstari; cùm semper cauendum sit, ne ve ritas occultetur, & vt fraudes euitentur. & hoc quidem regulariter post litis contestationem, quia ad totam causam pertinet: causa verò, post litis contestationem, propriè in iudicium dedu cta esse censetur, etsi ante litis contestationem quan-

quandoq; p̃stari debeat, putà, super exceptione dilatoria vel declinatoria, c. si de calũnia, §. quãuis, eod. tit. in 6. c. in appellatione, eod. in 6. & Socin. num. 26. & num. 49. c. fin. extr. eod. & p̃stari nõ solùm debet in prima instãtia, sed etiã in causa appellationis, c. 2. eod. tit. in 6. Nec potest huic p̃stationi expresso partium consensu renũciari: quia Iuramenti calumniæ præstatio non solùm vtilitatem partis aduersæ, sed etiam commoditatem iudicis, & vtilitatem publicam, ne per calumniam frustrà defatigentur iudices, & lites in infinitum multiplicentur, concernit. Quare, nec pactum, quo tale iuramentum remittitur, iure subsistit, nec consuetudo contrarium disponens, tanquam fauori publico derogans, rationabilis censenda est, c. constitutus, extr. de fideiuſ. Hac enim ratione calumnijs, ex quibus omnis generis turpitudo manat, via pararetur, & fraudes committerentur, quod omni iure vetitum est, l. si vnus, §. illud &, §. pacta, ff. de pactis, & Socin. in c. cæterũm, extr. eod.

Sed hodie illud iuramentum calumniæ parùm curatur, magisq; ex facilitate quadam procuratores, huius præstationi incumbunt, quàm conscij iuris, & innocentiæ partis aduersæ eius grauissimam pœnam non præstando declinent, reformidandoq; sibi meliùs consulant. Vt non malè dixerit Baldus in l. post perfectum, C. de euict. Iuramentum calumniæ hodie ne obulo quidem æstimari. Quia facti sumus contemptores Dei & religionis, vt ex eo refert Maranta, par. 6. tit. de iuram. num. 11. Et notandum, quòd in mutuis petitionibus, & duplicibus iudicijs, scilicet:

communi diuidundo, Familiæ herciſcundæ, Finium regundorum, Vti poſsidetis, & Vtrubi, in quibus vterque eſt Actor & Reus, vterq; iuramentum Actoris & Rei præſtat, Specula. eod. tit. §. reſtat, lib. 1. par. 2.

Quæ Forma præſtandi huius iuramenti?

Formam ponit Specul. tit. de iuram. calum. lib. 2. par. 2. Quòd litigatores, vel ipſorum procuratores, & miniſtri conſtituti, in præſentia iudicis, tactis ſacroſanctis Euangelijs, vel, erectis duobus digitis, iurent; 1. Quòd credant, ſe bonam cauſam habere. 2. Quòd interrogati non negabunt, quod verum eſſe credant. 3. Quòd non vtentur ſcienter falſa probatione, ſiue in teſtibus, ſiue in inſtrumentis, ſiue in alia ſpecie probationis. 4. Quòd dilationem, litis differendæ gratia, non petent. 5. Quòd aliquo dono vel promiſsione non corruperunt iudicem, vel tabellionem, vel corrumpent per ſe, vel per interpoſitã perſonã, ea cauſa vt pro ſe feratur ſentẽtia, l. 2. & auth. principales, C. eod. & in auth. vt litiga. iurent, in prin. col. 9. §. primo. Vnde verſus in gloſ. c. 1. verb. calumniæ eod. notati.

Illud iuretur, quòd lis ſibi iuſta videtur:
Et ſi quæretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, ne falſa probatio detur.
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Et ſanè Imperiali conſtitutione cautum eſt, vt ipſæ principales perſonæ ſubeant calumniæ iuramentum: Et actor quidem iuret, non calumniandi

di animo, litem mouisse, sed existimãdo, bonam causam se fouere. Reus autem non aliter suis defensionibus & allegationibus vtatur, nisi priùs & ipse iurauerit, quòd putans se bona instantia vti, ad reluctandum venerit, l. 2. C. eod. Tamen iure Pontificio statutum est (quod & vsus iudiciorum probauit,) hoc iuramentum calumniæ per procuratorem ad causam constitutum, habentem ad hoc speciale mandatum, præstari posse, c. fin. de iuramento calum. in 6. non tantùm in animam suam, sed etiam domini. Quo mandato in certa causa dato, iudex non poterit citare principalem ad iurandum de calumnia, etiamsi iustior foret procuratore: fieret enim illi iniuria, si procurator eius non admitteretur. Quanquam ad respondẽdum particularibus interrogationibus iudicis, aut positionibus dominus citari possit, si procuratore vel iustior, vel instructior sit, l. vlt. C. de procurato.

Quis Finis?

Vt via præcludatur calumnijs, c. 1. §. quamuis, in 6. eod. tit. partes à probationibus exonerentur, veritas causæ manifestetur & fraudes euitentur, vel calumnioſa petitio defensione legitima refutetur, auth. de his qui ingred. ad appellat. §. fin. colum. 5. c. cæterùm, ver. ad eliciendam veritatem, & ibi gloss. extr. eod. & speculat. d. loco eod. tit.

Quis Effectus?

Euitatio falsitatis, & p̃sumptio bonæ cõscientiæ

tiæ in exercenda vel defendenda lite: cùm de præstiti iuramenti veritate quæstionem mouere nõ liceat. Habet enim periurus solum Deum commissi periurij vltorem, l. 2. C. de reb. cred. Nisi post præstationem periurium manifestetur. Quo casu non tantùm diuinæ vltioni subiectus, sed etiam canonicis & legalibus pœnis coërcetur, l. si quis maior, C. de Transact. l. si duo, §. vlt. ff. de iureiu. & l. fustibus, C. ex quib. causis infamia irrogetur, &, c. animaduertendum, 22. quæst. 2. Quæ aũt pœna imponatur de iure Ciuili & Põtificio, vide infr. tit. De crimine falsi, lib. 5. Pœna verò nolentis iurare de calumnia est, vt Actor ab instituta actione cadat, per sententiam, qua Reus, tanquam iniustè conuentus, absoluitur. Reus autem iurare recusans, cum pro confesso habeatur, cõdemnationem patiatur, c. fin. §. pœna, extr. eod. l. 2. §. quòd si actor, C. eod. Quod ita intellige: vt ad imponendam talem pœnã requiratur sententia declaratoria, ꝑ tex. in auth. principales, §. si quis aũt, C. eod. & d. c. fin. in verb. pœna eod. Nã si sentẽtia interlocutoria euẽtualis, qua iniũgitur parti, vt petitũ iuramentũ calumniæ intra certũ tẽpus, sub pœna non iurãtis, põstet purificata sit, tũc sequitur diffinitiua declaratoria, quæ est, quo ad actorem cõtumacem, absolutoria, quo ad Reum verò, condemnatoria. Quid, si pars purificata iam euentuali sententia ante declaratoriam sentẽtiam, moram purgare, iuramentumq; petitum præstare velit, an admittatur? Et cùm ista pœna non ipso iure irrogetur, sed sententiam declaratoriam requirat, ad purgationem moræ, vsq; ad pronuntiationem huius sententiæ declaratoriæ, com-

communiori Doctorum opinione admittitur, Socin.in c.fin.de iuram.calum. Nam ius aduersarij deterius factum esse non censetur, donec sententia feratur, cùm & hæc contumacia in non iurando ficta potiùs, quàm vera sit, per text.in l.alia,C.de his quib.vt indig.& l.Papinianus,§.meminisse,ff.de inofficios.testamento.

Quæ Affinia?

Iuramentum de malitia, & iuramentum de veritate dicenda. Quid vtrunque sit? supr. dixi. Differt autem iuramentum malitiæ, à iuramento calumniæ. 1. Quòd iuramentum de calumnia vitanda, regulariter præstetur post litis contestationem,c.literas, extr. de restitut.spoliat. c. in causis,extr.de testib.&,c. cùm dilecti, extr. de elect. Iuramentum autem de malitia,ante & post litis contestationem,c.cùm dilecti,extr. de elect. 2.Iuramentum calumniæ tantùm semel ad totã causam præstatur: Iuramentum malitiæ toties, quoties aliquid dici,vel fieri malitiosè,presumitur. 3.Per istud prouidetur,ne quid calumniosè fiat,in tota lite:per hoc verò,ne,quod petitur, vel proponitur,in quo suspectus proponens habetur,malitiosè petatur, vel proponatur. 4. Illud regulariter locum habet tantùm, vbi agitur de rebus prophanis & temporalibus: hoc autem vbi tam de prophanis, quàm Ecclesiasticis agitur. 5.Differunt,quòd iurare recusans de calumnia, si Reus sit habeatur pro confesso, sin Actor causa cadat.Sed recusans iurare de malitia puniatur pœna iudicis arbitraria, per regulam quoties pœna certa à lege non est expressa & determi

nata, tunc officio iudicis arbitrariam, siue extraordinariam imponendam esse, l. 1. §. expilatores, ff. de effract. & Bartol. ibid. c. de causis, §. fin. extr. de off. deleg. Nam licet in c. penult. §. fin. extr. eod. huius iuramenti de malitia mentio fiat, tamen nulla pœna exprimitur, quæ quidem certa & expressa est in iuramento calumniæ, cap. fin. §. fin. eod. Attamen illa pœna, ad hoc iuramentum malitiæ referri nequit, cùm pœnę sint restringendæ, cap. in pœnis, de reg. iur. in 6. Sed opinionem Socini secutos tesse dominos Assessores Cameræ, tradit And. Geyl. obseruat. 87. lib. 1. obser. pract. putantis, quòd respectu illius articuli, super quo pars petit iurari de malitia recusans, habeatur pro confesso, & quòd articuli Actoris, vel exceptiones Rei, non debeant recipi, neque à iudice attendi, etiamsi releuantes sint, si de malitia per sententiam iurare iussus, nolit iurare.

Differt etiam à iuramento de veritate dicenda iuramentum calumniæ: 1. Præstatur enim hoc in ciuilibus & pecuniarijs, c. cùm causam, extr. eod. illud verò in spiritualibus, & illis annexis, cap. literas, extr. eod. 2. In hoc respondetur de credulitate, sed in illo non, nisi de scientia quâ scit, cap. hortatur, 3. quæst. 9. 3. Hoc continet multa capitula, illud vnum solum. 4. In hoc non datur dilatio: secùs in illo, tit. tot. ff. de interrog. act. Plures differentias notat Spec. eod. tit. §. est autem, lib. 2. par. 2. quæ tamen vsu fori non probantur.

Quæ

Quæ Pugnantia?

Omnis generis fallitates, vt sunt periurium, mendacium, præuaricatio, &c. quæ quid sint, infr. lib. 5. traditur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Iuramentum in principali causa præstitum, ad omnia, quæ postea accidunt, vel emergunt, extenditur, c. fin. extr. eod.

Ante litis contestationem quis non dicitur agere, sed agere velle.

Iuramẽtum, si omissum sit, poterit quandoq; ante sententiam exigi.

Reus excipiendo fit Actor.

Si de calumnia, seu de veritate dicenda, in primo litis exordio non iuretur, poterit postmodùm in qualibet parte iurari: cùm huiusmodi iuramenta præstari ab initio, de substantia ordinis iudiciarij non existat, cap. 1. eod. in 6.

Propter omissum tacitè in tota causa iuramentum calumniæ, iudicialis processus, aliàs factus legitimè, non est nullus, nec etiam annullandus, d. cap. 1. §. propter, eod. in 6.

In criminalibus, propter calumniãdi frequentiam, tã de malitia, quàm calumnia, iurandũ est, d. c. 1. §. quamuis, eod. in 6.

Iudex, quoties sibi videtur, exigit iuramentum malitiæ, etiamsi de calumnia, vel veritate iuratũ sit, c. in appellationis, §. in omnibus, eod. tit. in 6.

Sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescitur.

Iura-

Iuramentum calumniæ non tantùm in prima instantia, sed etiam in causa appellationis præstandum est, c. 2. eod. tit. in 6.

DE DILATIONIBVS.

Titulus VIII.

Continuatio.

IVramento, de calumnia, præstito, litigatores non præsumuntur, animo differendi negotij, sed bona fide, inducias petere: non iniuria igitur iudex, vel iubente lege, vel æquitate suadente, causaque cognita, eas concedit, cap. vlt. §. à iudice, 3. quæst. 3.

Quid est Dilatio?

Dilatio est, temporis interuallum, ad faciendũ actum iudicialem à lege vel iudice cõcessum, vel moderatum, c. 1. 2. & 3. extr. eod.

Quotuplex Dilatio?

Aliæ sunt iudiciales, aliæ extraiudiciales. Quarum species multæ recensentur & explicantur per Specul. lib. 2. par. 1. tit. de dilat. §. experiundoriæ, & Hostien. §. quot sint, eod. Et aduerte, quòd ferè indifferenter omnes dilationes siue à iudice, vel à lege dentur, (quia & prætor tempus lege datum, inspecta qualitate negotij, vtilitate vel necessitate partium, producit & arctat,) ex causa arbitrariæ reddantur, c. vltim. extr. de transact. cap. si ægrotans, 5. quæst. 3. &, c. si Episcopus, 3. quæst. 2.

Quæ

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, lex, iudex, & partium conuentio, Cynus in l. 1. C. de dilat.

Quod Obiectum?

Sunt actus iudiciales in qualibet causa, tam ciuili quàm criminali. Nam præfixio termini seu dilatio, siue à iudice fiat, siue à lege, conceditur quandoque ad testes producendos, c. licet, extr. de probat. Quandoq; ad peremptorias proponẽdas, c. 1. &, c. seq. 3. q. 3. quandoque ad probationẽ per instrumenta faciendam, Nouel. 115. §. sed & hoc, vers. dilationes: quandoque ad solutionem faciendam, l. 2. & 3. C. de vsur. quãdoq; ad sẽ purgandum, c. tam literis, extr. de testibus: quandoque ad accusandum vel agendum, c. licet, extr. de accusat. & c. fin. extr. de clan. desponsat. item ad optandũ legatum, c. cùm in veteri extr. de elect. item ad prosequendam appellationem: item ad excessus puniendum, c. irrefragabili, extr. de off. ord. ad negotium decidendum, c. de causis, extr. de off. deleg. ad restitutionem petendum, c. frequens, extr. de restitut. spoliat. ad exceptionem excommunicationis probãdam, c. pia, de except. in 6. Denique ad litem contestandam, l. si quis, ff. de petit. hæredit.

Quæ Forma concedendæ Dilationis?

Dilatio tam Actori, quàm Reo, tã ante, quàm post litis contestationem, iudice pro tribunali sedente, causa cognita, & vtraque parte præsente concedenda est. Quòd si autem legalis dilatio est, ea, inuitis partibus, etiam, absq; causæ cognitione con-

ne cõceditur; licet eam iudex, qualitate personę & causæ, alijsq; circumstantijs consideratis, interdum moderari possit, 3.q.3.c.inducię, §.spatium, l.à procedente, C.de inducijs, & l.4.C. de dilationibus.

Quis Finis?

Vt parti commoda sit deliberandi facultas: vt veritas rei salua sit: vt possit haberi consilium: vt in omnib. æquitatis ratio obseruetur, Hostiens.hîc, §.& quare.

Quis Effectus?

Expeditio causæ. data enim dilatione, & adueniente termino peremptorio assignato, iudex eũ vlteriùs nõ prorogat. Nec eo elapso qs vltrà audiendus est, cùm peremptorius terminus vim habeat interlocutoriæ, quam si, absq; causa, termini prorogandi gratia, reuocaret, nullus esset litium finis, c.de illicita, 24.q. 3. &, l.qualem, ff. de arb. Regulariter enim omnis probatoria dilatio peremptoria est, & non, nisi semel, datur, nec potest prorogari. Quod verum est in causa ciuili, nõ autem criminali, in ea enim pluries dilatio conceditur, Bart. & Dd. in l.1.C.de dilat. Abb.c.licet, 4. not. de probat. Quandoq; tamen etiam in causis ciuilibus plures dilationes concedi possunt, vt notat Mynsing. obser. 71.cent. 1. Vt quia iustum impedimentum extabat in prima, l.oratione, ff. de ferijs: Vel nouæ superuenerint litigãti probationes, idq; iuramento asserat, c.pastoralis, extr. de excep. Aut litigans impeditus sit facto aduersarij, Iason, l.si eũ, §.qui iniuriarũ, ff.si quis caut. Aut nouã actionem cumulauerit, glos.in l.edita,

C.de

C.de eden. Aut, si in iudicio emergat noua exceptio, vel aliud incidens, quia noua dilatio dabitur, ad probandũ id, quod cõsistit in facto super illo emergenti, d. cap. pastoralis, extr. de except. Sic iure ciuili dilationes ad alios actus iudiciales faciendos, à iudice præfixæ, ex causa prorogari possunt iprout quotidie in praxi obseruatur, dũmodò intra terminũ prorogatio petatur. Quia effluxo termino, quod non est, prorogari nõ potest, l. iuris gentiũ, §. adeò, ff. de pactis: sed nouus terminus petendus esset. Prorogatio enim nihil aliud est, nisi dilationis labentis nondum lapsæ extensio, & dicitur eadem dilatio cum prima, l. si manente, ff. de minor. Maran. par. 4. dist. 12. nu. 2. fol. 225. & notat And. Geyl, obseruat. 91. lib. 1. pract. obser.

AXIOMATA.

Ad impetrandam quartam dilationem, non requiritur speciale mandatum, sed generale sufficit, c. qui ad agendum, de procurat. in 6. Contrarium tamen obseruatur in Camera, Mynsing. obser. 70. cent. 1. Ratio est. Quia in iuramento omni requiritur speciale mandatum, & exprimitur qualitas iuramẽti in specie, non autem extenditur illa species ad aliam non expressam, Clem. non potest, de procur. &, c. vlt. extr. de iud.

Quando impedimentum est in iudice, vel Commissario, quò minùs testium examinatio fiat, aut ad finẽ perducatur, tunc tempus dilationis supplendum, & non dicitur noua dilatio, sed suppletio prioris, Mynsing. obseruat. 71 cent. 1.

Regulariter omnis dilatio, est peremptoria: & non datur

datur, nisi semel in causa ciuili, nec potest prorogari: sed in causa criminali pluries dari potest, Abb. in c. 1. extr. de probationibus.

Prorogatio quartæ dilationis conceditur, quando causæ releuantes allegantur, & quòd petens prorogationem iuret, talem causam veram esse, adiecta tamen eadem solennitate legali, cuius fit mentio in c. vltra tertiam, extr. de testi. quæ quarta dilatio fuit concessa, Mynsing. obser. 72. cent. 1.

Si iudex assignat simpliciter terminum ad aliquid faciendum, tota dies termini cedit illi.

Peremptorius terminus vim habet interlocutoria, l. qualem, ff. de arbit.

Concessa dilatio nec à iudice coarctari potest, nisi iusta causa abbreuiandæ dilationis interueniat, c. cùm sit Romana, extr. de appellat.

Omnes dilationes iudiciales, præterquam appellatoriæ, arbitrariæ sunt, d. c. cùm sit Romana.

Conceduntur dilationes, quãdo bona fide, & non, causa litis propagandæ, petuntur, à iudice pro tribunali sedente: nisi triennium, quo & ipsa causa perit instet, l. properãdum, C. de iud.

Dilationes conceduntur, ad ponendum, iurandum, testes producẽdum, aliasque probationes afferendas, Actori & Reo, ordine seruato: ita vt priùs Actori, quàm Reo terminus assignetur, c. 1. 4. q. 4.

Non, nisi causa cognita, dilatio danda est, c. fin. § à iudice, 3 q. 3.

Probationum causa danda dilatio est trium mensium, in eadem prouincia, in continentibus prouincijs sex mensium,

mensium, & in transmarinis nouem, cap. vlt. 3. quæst. 3.

Petens nomine alterius actionem sibi dari, debet satisdare de ipso defendendo in reconuentione arbitrio boni viri, Spec. eod. tit. §. experiundoriæ.

Terminus ad omnes dilatorias proponendas simpliciter datus, intelligitur peremptorius, c. licet, extr. de probationibus.

Termino assignato, ad dandum omnes exceptiones dilatorias, elapso, non possunt probari exceptiones litis contestationem impedientes, ante litis contestationem: quia ante litis contestationem in vim dilatoriarum opponuntur, Specul d. loco.

Si Reus aduocatum conduxit, & quandoq; cum eo in iudicio comparuit, & postea eum habere non potest, imputet sibi, si talem conduxit: si verò nondum conduxit, danda dilatio est ad quærendum aduocatum. non tamen sæpè, si id malitiosè petatur, c. prout, ext. de dol. & contum. Spec d. loco.

Materia dandarum dilationum aimputanda est, l. 2. C. de temp. appell.

Conceduntur dilationes, si bona fide petantur. bona fide peti præsumuntur in casibus à iure concessis, & postq̃ iuratum est in causa, quòd si non est iuratum, & iudex dubitat an malitiosè, vel calumniosè petantur, potest à parte exigere iuramentum, Spec. d. tit. §. nũc videamus.

Ea, quæ causæ cognitionem desiderant per sententiam, partibus absentibus, latam, nequeunt expediri, l. omnia, ff. de reg. iuris.

Processus nullus non potest rati habitione confirmari, c. auditis, extr. de elect.

Termino peremptorio, ad dandum omnes exceptiones, elapso, cùm nunc interſit partis, non poteſt eum iudex ſine cauſa prorogare. Specul. d. loco.

Cuiq; licitum eſt iuri pro ſe introducto renuntiare, c. ad Apoſtolicam, extr. de reg.

Si poſt citationem ad cauſam Reus pro publica vtilitate vocetur, circumducitur peremptorium, & habebit nouas inducias, c. fin. extr. eod.

Iure ciuili 20. dierum ſpatium ad proponendas exceptiones ſtatuitur, incertum habetur c. paſtoralis, ext. de except. Reſpon. per auth. offert, C. quomodo, & quando, non tollitur d. c. paſtoralis, ſed per illud c. paſtoralis poteſt, iudex reſtringere tempus 20. dierum, c. cùm ſit Romana, extr. de appellat.

DE FERIIS.

Titulus IX.

Continuatio.

FEriæ, ſiue repentinæ, ſiue ſolennes ſint, dilationum temporibus non eximuntur: ſed ad cõſtituendum actus iudicialis peragendi terminum, proficiunt. l. ſiue pars, §. feriæ, C. de dilat.

Quot ſunt genera Feriarum?

Feriarum aliæ ſunt ſolennes, aliæ repentinæ, aliæ indictæ, ſiue publicæ, ſeu ruſticæ. Solennes ſunt, quæ ad Dei cultum & honorem, & Sanctorum reuerentiam introductæ ſunt, quæ recenſentur per Spec. tit. de ferijs, §. feriarum, c. fi. extr. de reliq. & venera. ſancto. Repentinæ feriæ dicuntur,

tur, quas solus Princeps, ob publicam gratulationem indicit, putà, ob diem natalis sui, vel filij sui, vel coronationis suæ: vel, quia vxorem duxit, vel ob res prosperè gestas, putà, propter gaudium victoriæ de inimicis habitæ. dicuntur repentinæ, quia incertæ sunt, imò repentè & subitò indicuntur, Specul. d. loco. Rusticæ sunt, quæ propter rem rusticam, seu, propter publicam vtilitatem, conceduntur, scilicet, pro messibus & vindemijs colligendis, quæ etiam publicæ, indictæ, & quandoq; solennes vocantur, l. 1. ff. eod.

Quæ causa efficiens?

Decreta & statuta Principum, & consuetudines locorum, Specul. tit. de ferijs, §. feriarum, l. à nullo, C. eod. l. præsides, ff. de ferijs.

Quis Finis & Effectus?

Cultus & honor Deo debitus, reuerentia Sanctorum, publicaq; vtilitas & obseruantia. Quare in omnibus prædictis ferijs nihil fieri debet, quo horum vnum, violari, lædi, vel impediri possit. Quod igitur hoc loci est: non debent tractari ea, quæ ad contentiosam spectant iurisdictionem, putà: Non debet quis in ius vocari, nec causa tractari, nec sententia ferri, c. 1. &, c. 2. 15. quæst. 4. Et si processus hisce diebus haberetur, ratificari non posset, cùm sit ipso iure nullus, cap. auditis, extr. de electionib. Item, nec ad mortem, vel pœnam damnari, nec placitum, vel mercatum fieri, nisi in casibus, extr. eod. cap. 1. &, 22. quæst. 5. capit. decreuit, conceditur. Potest tamen illis diebus agi, si necessitas vrgeat, vel pietas suadeat. Necessitas vrget: vt si res sit tempore, vel morte peritura, c.

ra,c.fin..extr.de.iud.Pietas ſuadet:ſi ſit cauſa debilium,vel miſerabilium perſonarum. Quia in operibus miſericordiæ,dierum non eſt habenda diſtinctio,argum. c. vtinam,diſt.76.c.nunquam, diſt.5.de cõſecrat.Pari ratione,ea quę ad voluntariam iurisdictionem ſpectant, quolibet tempore fieri poſſunt.Voluntarię iuriſdictionis ſunt adoptare,emancipare,tutores conſtituere,manumittere,excommunicare,& abſoluere,vbi cauſæ cognitio requiritur,& ſimilia,l.actus,C.eod.

An autem ferijs renuntiari poſsit? Et reſponſum eſt,ſub quadam diſtinctione,quòd ferijs repentinis & ſolennibus non poſsit renuntiari,c. fin.ext.eod.l.ſi.feriatis, ff.de arb.Ruſticis autem, ſeu publicis renuntiari poſſit,tamen ſi renuntiatum non fuerit, quod actum eſt non ſubſiſtat,d. c.fin.c.ſi.diligenti,extr.de foro comp.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Scæuola Iureconſultus interrogatus, quid ferijs agere liceret? reſpondit,quod prætermiſſum noceret. Vt,ſi bos in foueam decidiſſet,non erat piaculum,patremfamilias illum, adhibitis operis,extrahere. Nec ille feriis polluebat,qui trabem lecti fractam ſulciendo ab imminente ruina liberaſſet.

More Romano dies à media nocte incipit,& ſequentis noctis media parte finitur. itaque quicquid in hu viginti quatuor horis: id eſt, duabus dimidiatis noctibus & luce media actum eſt,perinde eſt,quaſi quauis hora lucis actum eſſet,l. more Romano, ff. de ferijs.

Ferys introductis in honorem Dei & Sanctorum, me-

ſtob

si ob necessitatem, vel pietatem, iudicium exerceri non potest, etiam de consensu partium, feriis tamen introductis fauore hominum partes renuntiare possunt, c. conquestus, ext. eod. &, licet eod.

Iudex pro tribunali sedens, si scienter assignat diem feriatam partibus præsentibus, & feriatam esse nō ignorātibus, si partes non cōtradicāt, renuntiasse exceptioni feriarū videntur, c. quod ad cōsultationē, ext. de re iud.

DE ORDINE COGNItionum.

Titulus X.

Continuatio.

LApsis feriis, omniq; impedimento alio sublato, iudex audiendis, cognoscendisq; causis, vt absq; mora ad finem perducantur, operam nauare debet. Sed quia plures quandoq; quæstiones ab vna & eadem, vel à diuersis partibus, proponuntur, aliquando incidunt, aliquando emergunt in iudicijs, ne confusio definitioni pariat impedimentum, inter eas certum cognoscendi & definiendi ordinem seruabit.

Quis ordo Cognitionum?

Cùm duæ quæstiones in iudicio proponuntur, aut sunt ambæ principales, aut vna est principalis, & altera incidens; si quidem vtraq; sit principalis & ciuilis, quæ priùs proponitur, primò tractabitur, & vna sententia terminantur, licet sint æquales, dummodò se non contingant, c. 2. extr. de ord. cog. & sit talis quæstio, de qua iudex alias cognoscere possit, si verò sint criminales & inæ-

quales,tũc maior minori præponetur. Si à diuersis partibus diuersæ quæstiones proponuntur, quarum vna est ciuilis,altera criminalis: & quidem si Actor ciuilem proponit accusationem, Reus autem criminalem, criminalis priùs tractabitur,quàm ciuilis,c.ciuili,3.quæst.11. tex. in l. fi. C.de ord.iud.Nisi ciuilis præiudicialis sit criminali,quia tunc primò tractabitur ciuilis,c.si crimen,3.q.11.Si non ambæ fuerint principales, sed vna incidit alteri,tunc de incidẽti principali prius cognoscendum & pronuntiandum est,l. ordinata,ff.de liberali causa,c.si de hæreditate,3.q.11. Quod verum est, si incidens sit talis,quæ non patiatur litem contestari,sed impediat cognitionẽ principalis negotij,nisi primò pronuntietur super ea.Quòd si patiatur,priùs est cognoscendum de principali,Gul.l.3.ff.de præuar.& Bal. tit.de inciden.quæst.Est.n.regula:quòd quotiescunque aliquid opponitur in iudicio, propter quod impeditur cognitio principalis negotij,priùs de eo cognoscendũ & pronuntiandum esse, cùm iudex aliter iurisdictionẽ expedire nõ possit, c.tuã,extr.eod.Verùm in Camera,non obstante incidenti quęstione præiudiciali,imponitur Reo litis cõtestatio, saluis tamen ipsi suis exceptionib.& defensionibus, quibuscunq; post litem contestatam proponendis. Vnde, si post litem contestatam, per viam reconuentionis,vel alio modo Reus obijciat quæstionem præiudicialem,quæ de sui natura coram alio iudice terminanda sit, eaq; verè existente,perimatur quæstio principalis,tunc illa principalis quæstio remittitur ad iudicem ordina-

dinarium,& interim,donec ea terminetur, principalis causa quiescit,Mynsi.obser.vlt. cent.1.

Multifariam autem incidere quæstio dicitur. Primò incidit ciuilis ciuili:vt si petenti hęreditatem patris,opponitur,quòd sit spurius, c. lator, extr.qui filij sint leg.2.Ciuilis incidit criminali: vt,si,accusatus de plagio, dicat, se dominum, l. prędes,C.de plag.Vel,si agenti de adulterio,obijcitur quæstio statûs,l.quoniá,C.de adult.3. Criminalis incidit ciuili:vt,si agenti per aliquod instrumentum obijciatur quæstio falsi,l.damus, C. ad l.Cor.de fals.4.Criminalis incidit criminali, cùm agenti de adulterio opponitur de lenocinio,l.2.ff.ad l. Iul. de adult. Dicitur etiam incidens quæstio,emendatio,& mutatio libelli, quæ fieri potest ex eadem instantia, quando libellus peccat in materia:secus si in forma. Quia omninò debet esse nouus libellus, forma substantiali mutata,l.si accusaturus,ff. de adult. Dicitur etiam incidens quæstio,replicatio, quæ potest cumulari cum petitione, si Actor velit:vt peto decem ex mutuo,non obstante pacto, De non petendo,quod postea feciſti. Dicitur etiam incidens quæstio,reconuentio,prędertim si cõtingat principalem petitionem,l.si idem,ff.de iurisdict.omnium iudicum.

DE PLVS PETITIONIBVS.

Titulus XI.

Continuatio.

SOlet iudex Actoris plus petentis fraudem post determinationem incidentium quęstionũ pœnis legitimis,quandoq; coêrcere.

Quis dicitur plus petere?

Plus petere dicitur, qui plus debito, vel, ita quidem, vt commoditas & optio præstationis creditori auferatur, lite contestata, petit.

Quot modis plus petitur?

Quatuor modis, causa, tempore, re & loco. Causâ plus petitur: vt, si in generali vel alternatiua obligatione, præcisè petatur species, c. vnico, extr. eod. Tempore, si priùs, quàm solutionis dies extiterit, petatur. Re: vt si maior summa, vel quantitas, quàm debeatur. Loco quoque plus petitur: vt, si non vbi conuenit soluere, sed alibi petatur, d.c. vnico.

Quæ causa Efficiens?

Dolus, vel opinatio Actoris, vel etiam Rei Actorem, ante litis contestationem, reconuenientis. Nam in causa reconuentionis Actoris vicem subit.

Quod Obiectum?

Ipsum debitum, siue actione reali, siue personali debeatur, l. hæc adiectio, ff. de verb. signif. & Socin. c. vnico, extr. eod.

Qua Forma?

Quòd plus petatur vel causâ, vel re, vel tempore, vel loco: & in ea petitione, vsq; post litis contestationem perseueretur. Quia, ante litis contestationem, non petere, sed petere voluisse, dicitur Actor, l. quamuis, ff. de in ius vocando.

Quis Effectus?

Quòd si quis plus petierit causâ, iudicium non procedit, sed condemnabitur Actor ad omnes expen-

expensas in triplum,& omne damnum,quod pertulit Reus occasione institutæ actionis, §.sed hoc quidem,inst.de actionib.Si quis autem plus petierit,condemnabitur Actor in triplum, eius,quod Reus expendit,§. tripli.inst. de act. Si loco plus petat, cùm locus actionem arbitrariam efficiat, tenetur actor in illa actione quanti Rei interest, potiùs conuento loco, quàm vbi actio instituta est,soluisse, l.1.ff.quod certo loco, c. vnico extr. eod.Nihilominùs tamen vltra præstationem interesse in triplum eius,quod Reus nomine sportularum impendit, in triplum condemnabitur Actor, § hoc quidem, inst.de actionibus.Si verò tempore plus petitum sit, duplicantur induciæ, quibus finitis,Reus, nisi omnibus ab Actore expensis præstitis, litem suscipere non tenetur, d. c.vnico,extr.eod.§.in triplum,inst.de actioibus.

Quæ Adiacentia?

Restitutio sportularum, perpessum damnum, interesse,expensæ,c.vni.extr.eod. c. examinata, de iud.

Quæ Affinia?

Præpostera petitio,defectus desideratæ formæ in libellis,petitio rei,quæ neque ciuiliter,vel naturaliter debetur,Felin.c.2.extr.de rescrip.

Quæ Pugnantia?

Intermissio litis,antequam contestetur, compositio partium, iuramentum, à parte Actoris præstitum,reiectio libelli inepti per officium iudicis,&c.Iason in l.3.num 18. C.de eden. Bart. l. prætor,ff.de iurei.

AXIOMATA.

Si Actor ante litis conteſtationem à pluris petitione deſiſtat, pœnam legis effugit, Hoſt. hîc.

Si quis per fraudẽ induxit aliquem, vt cùm deberetur x. tantum, XX, ſe debere in inſtrumento cauerit, poſtea illa XX, vi inſtrumenti lite cõteſtata petierit, à toto debito, ſaluis tranſactionibus, & ſecundis cautionibus & confeſsionibus ſuper hoc habitis, cadit, l. vnica, C. eod. & l. ſi mulier, C. ad Velleia.

DE CAVSA POSSESSIONIS & Proprietatis.

Titulus XII.

Continuatio.

COntingit, cauſam proprietatis & poſſeſsionis, ab eodem, vel diuerſis, vno tempore, in iudicium deduci. Cùm autem altera alterius definitioni impedimento ſit, in hac contingentia vtra in cognitione præferatur? ſcire conuenit.

Quid eſt cauſa Poſſeſsionis & Proprietatis?

Eſt lis, inter duos, vel plures, ſeparatim, de proprietate & poſſeſsione contendentes, iudicio incluſa. Siquidem licet in conſtitutione dominij vnum ſint; ſicuti omnia humani corporis membra, quo ad conſtitutionem integri corporis, vnum intelliguntur, quæ aliàs, quo ad officia, & ſimilia

milibus singulatim consideratis, discrepant: tamen separatim & in abstracto causa proprietatis & possessionis accepta, nihil habent commune, l. notum taliter, §. nihil, ff. de acqui. pos.

Quid est Possessio?

Possessio est ius insistendi rei corporalis, non prohibitæ possideri: dicta à sedibus, quasi sedum positio, l. 1. ff. de acqui. poss.

Quotuplex est possessio?

Duplex: naturalis & ciuilis. Naturalis in facto, Ciuilis in iure, consistit: eademq; naturalis ciuilis fit, si iuris auctoritate approbetur, Alc. in l. quinque pedum, C. de ter. mo. Zasius in suis sing. intellect. c. 1. nu. 2. & Hostiensis, tit. de causa possess. §. primo.

Quæ causa Efficiens?

Apprehensio, corpore & animo, facta. Quia, licet solo animo amittatur possessio, acquiri tamen non, nisi corpore & animo simul, potest, l. 3. §. 1. & §. in amittenda.

Quod Obiectum?

Est res corporalis, siue mobilis, siue immobilis, hominum commertio non exempta. Quia res incorporales, vt sunt omnia ea, quæ in iure consistunt, propriè non possidentur, sed quasi possidentur, Bart. l. 1. num. 3. ff. de acq. pos. c. querelam, extr. de elect.

Quæ Forma?

Est ipsum ius insistendi rei, quo ad acquisitionē pos-

possessionis attinet, non autē retentionem. Quia etiam solo animo retinetur: Nec opus est rei iem per corporaliter insistere, l. qui vniuersas, &, l. ff. de acq. pos.

Qui Finis & Effectus?

1. Præscriptio, quæ per longam possessionem, iu ris auctoritate adijcit dominium possidenti. 2. Interdicta, quæ pro retinenda vel recuperan da possessione, competunt, l. fin. ff. vti pos. l. 1. §. deijcitur, ff. de vi & vi arm. 3. Lucrum fructu um ex re aliena, bona fide perceptorum, l. certū, C. de rei vind.

Quæ Cognata?

Quasi possessio, quæ propriè est rerum incor poralium, l. si ædes, ff. de ser. vrb. præd. Detentio, quæ est eorum, qui ratione suæ detentionis non habent conditionem vsucapiendi illam rem, vel alios possessionis effectus consequendi: vt est in creditore pignus tenente, & alijs, Bart. l. 1. ff. de ac qui. pos. num. 21. Et proprietas, quæ inuicta pos sessione iusta ius dominij constituit.

Quæ Pugnantia?

Interitus rei, deiectio, rei mutatio causa religi onis facta, amissio, animus possidere non volen tis, &c.

Quid est Proprietas?

Proprietas est, dominium rei legitimis modis conquisitum, Hostien. tit. de causa propriet.

Quæ causa Efficiens?

Ius gentium, & ius Ciuile: quæ certos mo dos acquirendi rerum dominia introduxerunt, §. fin.

§. singulorum, inst. de rerum diuis.

Quod Obiectum?

Omnes res corporales, quæ humano commercio subijciuntur, l. rectè dicimus, ff. de verb. sig.

Quæ Forma?

Titulus acquirendi iuris gentium & ciuilis: qui circa formam proprietatis acquirendæ, vel quæsitæ potissimùm consideratur.

Qui Effectus?

1. Rei vindicatio, quæ pro amissa rei proprietate recuperanda competit, §. omnium, inst. de actio. 2. Libera disponendi facultas, ni vel lege, vel conuentione impediatur, l. in re mandata, C. mandati.

Quis ordo cognoscendi in causa possessionis & proprietatis seruandus?

Ordo cognoscendi varius est. Nam vbi duæ quæstiones possessoriæ principaliter proponuntur à diuersis, & diuersis rebus, illæ, tanquam mutuæ petitiones, simul & vicissim sunt tractandæ, secundum regulam: Qui prior appellat, prior agat, c. 2. extr. de ord. cog. Si autem vtraq; possessoria quæstio, sit super eadem re, iudex vltimò factam violentiam priùs purgabit, l. colonus, ff. de vi & vi armata. Quòd si Actor agit primò petitorio, & Reus secundò possessorio, conquerens de spoliatione, distingue. Aut vtraque quæstio est circa eandem rem, vel circa diuersas: Si circa eandem rem, tunc paratur præiudicium petitorio priùs proposito, per possessorium secundò, etiam in modum reconuentionis propositum, & super pos-

possessorio cognoscetur priùs, & pronuntiabi-
tur, petitorio priùs proposito suspenso, c. ex có
questione, c. literas extr. de restit. spoliato. c. ac-
cedens, extr. vt lite non contest. Et hoc, siue pos-
sessorium præcedat, siue sequatur, c. in literis, ex-
tr. de rest. spoliat. Porrò si petitorium & possesso-
rium sunt circa diuersa, subdistinguitur. Nam,
aut spoliatio proponitur in modum reconuenti-
onis, aut in modum actionis, aut in modum exce
ptionis. Si in modum reconuentionis, putà, quia
Reus conuentus reconueniendo petit restitui,
tunc sunt duæ petitiones, quę vicissim tractandę,
& vna sententia terminandæ sunt, paucis casibus
exceptis, quos notat Specula. tit. de reconuen. §.
videndum. Si verò in modum actionis, tunc, si-
ue ciuiliter, siue criminaliter ab Actore conueni
atur, priùs de quęstione spolij tractari & cognos-
ci debet. Quia omnes leges, tam Ecclesiasticæ
quàm seculares, ante omnia spoliatis reintegran
da & damna sarcienda esse, præcipiunt, c. grauis,
extr. de rest. spoliat.

Si verò spoliatio in modum exceptionis pro-
ponitur, tunc primò tractabitur exceptio spoli-
ationis, suspenso petitorio, c. 2. extr. de ord. cog.
Nec, hoc casu, post litem contestatam, de spolia-
tione excipi potest. Huius tamen doctrinæ diuer
si sunt effectus: quia, spoliatione, per modum ex-
ceptionis, probata, agens repellitur, sed non re-
stituitur: sed si probetur in modum actionis re-
stituetur opponens ante ingressum causæ princi-
palis.

AXIO-

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Causa possessionis & proprietatis sub eodem iudice terminari debet: nec contra absentem est pronuntiandum, c.1.ext.eod.

Qui agit de proprietate, ante conclusionem causæ possessorio adipiscendæ, vel recuperandæ agere potest: post conclusionem verò, & ante sententiam hoc non potest, nisi iusta causa subsit. c.pastoralis, extr.eod.

Si petitorio & possessorio simul est actum, vna sententia terminatur, & præmittitur possessorium in definiendo, licet priùs in petitorio executio fieri debeat: c.cùm dilectus, c. cùm Ecclesia, c. ad vltimum, extr. eod.

Succumbens in possessorio, de proprietate agere potest, c. cùm olim ext.eod.

Si petens rem ex vna causa succumbat, ex alia causa repetere non prohibetur, c. fin.ex.eod.

Ex iure tertij iuri meo non subiecti mihi non competit defensio, sicut nec actio, l. si vnus, ff. de pactis.

Quæstio spoliationis in modum actionis, vel exceptionis proposita, semper repellit agentem in causa crimina li, 3.quæst.1 per totum.

Vbi ciuiliter agitur, non potest excipi de spoliatione ab alio, quàm ab Actore, facta: vbi verò criminaliter, tũc excipi potest de spoliatione facta, à tertia persona. & hæc exceptio probanda est intra 15.dies, à die obiectionis computata, Specul.tit. de pet. & possess. §. 1.nu.8.

Post publicationem attestationum potest quis adhuc redire ad possessorium. Vbi enim non renunciauit,

adhuc

adhuc poterit instrumenta, confessiones, et probationes inducere. Post cõclusionem autem, vel renuntiationem non potest fieri suspensio petitorij, nisi, malitia spoliatoris, vel casus, vel alia iusta causa iudicem mouerit, vt in possessorio, petitorio suspenso, procedat, c. pastoralis, extr. eod. & specul. d. loco.

Caussa possessionis nihil habet commune cum proprietate.

DISCORD.

Iure Ciuili quæstione, de possessione & proprietate orta, priùs possessionis quæstio finiri præcipitur, l. 3. C. de interd. l. si de vi, ff. de iud. Sed iure Pontificio simul agi potest vtraq;, & licet in pronuntiatione præmittenda sit possessio, in executione tamen debet proprietas prævalere, c. cùm dilectus, extr. eod. c. 2. extr. de Capell. Monachorum.

DE RESTITVTIONE SPOliatorum.

Titulus XIII.

Continuatio.

ANte restitutionem obiecta, in modum exceptionis, spolij quęstione, Actor non auditur, nec spoliatus eius petitioni respondere tenetur. Sciendum igitur, quis spoliatus dicatur? & quomodo eidem succurratur.

Quid est Spolium?

Spolium est priuatio possessionis, vel quasi rei

rei alicuius aut iuris, inutili iudicis sententia, vel alterius cuiusdam vi, vel dolo malo, facta. Dd. in c. conquerente, extr. eod. Est enim vis de genere illicitorum: quæ semper præsumuntur dolo malo fieri. nisi error aut alia violentiæ causa iusta probetur, l. si non conuicij, C. de iniurijs, l. 1. C. ad l. Iul. de sica. & l. 2. ff. vi. bo. rap.

Quæ est causa Efficiens?

Inutilis sententia iudicis, aliquem, non seruato iuris ordine, vel iniustè possessione sua priuãtis, &, vis, vel fraudulosa voluntas spoliatoris, c. grauis, extr. eod. &, c. in literis, &, c. conquerẽte, eod.

Quod est Obiectum?

Res mobilis, immobilis, corporalis & incorporalis: vt sunt omnes res, quarum humanum commercium est, iura, & beneficia clericorum d. c. grauis, c. in literis, c. solicitè, c. accepta, c. sæpè contingit, extr. eod.

Quæ Forma?

Spolium non tantùm fit, si quis per vim vel dolum alicuius priuati hominis ex possessione rerum suarum eijciatur, verùm etiam, qui per iudicis sententiam, iuris ordine prætermisso, beneficio, vel alijs rebus carere coactus est. Vel, si iuris quidem ordinem seruauerit, spoliati tamen, & de facto damnati iudex erat incompetens: vel si iudex sit competens circa priuationem nulliter pronuntiauit, c. conquerente, extr. eod. & c. causam matrimonij, extr. de off. iud. deleg. &, ibi Dd. Pariter non tantùm is qui spolium patrauit spoliasse dicitur, sed etiam, qui mandauit spoliari,

aut Spolium suo nomine factum ratum habuit, vel spoliatori in vitium successit, c. cùm ad sedem, extr. eod.

Quis Finis?

Vt spoliatus possessione rerum suarum, vel quasi possessione iurium, restituatur, c. solicite, &, c. Pisanis, extr. eod.

Quis Effectus?

Interdictum, Vnde vi, actio & exceptio spoliationis, c. cùm ad sedem, extr. eod. Et sciendum, quòd spolij quæstio, vel in modum actionis, reconuentionis, vel exceptionis obijcij possit: si Actor actione instituta conqueratur de spolio, non potest ab aduersario vel ciuiliter vel criminaliter reconueniri ante restitutionem, nisi pariter super spoliatione, c. 1. & c. fin. extr. de ord. cogn. Restitutionis enim petitio in hoc priuilegiata esse dicitur, vt ipsam intẽtans nullo iure teneatur, ante restitutionem, petitioni spoliatoris respondere, nisi in pari quęstione, Abbas, c. 1. extr. de ord. cog. Si autem in modum reconuentionis opponatur, tunc, cùm multæ petitiones esse intelligantur, simul & vicissim tractandæ & vna sententiâ terminãdæ sunt. Quòd si spolium in modum exceptionis proponitur, etiam ea legitimè probata nulla fertur restitutionis sententia: sed quandiu Reus restitutus non fuerit, non cogitur Actori super petitionibus suis respondere. Et hoc est, quod antea dixi, diuersos esse proponendę spoliationis effectus: cùm quòd spoliatione per modum exceptionis probata agens repellatur, sed non restituatur: sed si probetur in modum actionis,

nis, restituatur opponens ante principalis causæ ingressum. verùm restitutio ita fieri debet, vt nõ tantùm res ablata restituatur, verùm etiam, omnes fructus, tam à violento possessore percepti, quàm ij, qui à veteri possessore verisimiliter percipi potuissẽt: imò etiam ad omnia damna resarciẽda, & de illatis iniurijs satisfaciendum, c. grauis, extr. eod.

Quæ sunt Restitutioni Contraria?

Renuntiatio spoliati ante spoliationem facta, c. solicitè, eod. resignatio beneficij, super quo spolium factum probatur, c. accepta, eod. rei iudicatę exceptio, c. ei qui appellat, 2. quæst. 6. simonia, c. tanta, de simonia. criminis euidentia, c. de manifesta, 2. quæst. 1. infamià publica, c. presbyter, 2. quæst. 5. scandalum, c. hæc quippe, 3. quæst. 6. intrusio in Romanã sedem, c. Deus, 3. quæst. 1. spoliatio à iudice in figura iudicij facta, c. notum, 2. quæst. 1. in modum exceptionis spoliationis obiectio, c. cùm dilectus, extr. de ord. cog. spoliatoris inopia, c. olim, extr. eod. hæresis spoliati, c. quo iure, dist. 8. & 13. quæst. 1.

AXIOMATA.

Si contra petentem restitutionem coniugis, opponitur consanguinitas in gradu prohibito, & offerũtur probationes paratæ, recepto ab opponente iuramento de malitia, negabitur restitutio, quo ad thorum, & fiet quo

ad reliqua. Si verò probationes promptæ non sint, fiet pla
na restitutio viro probanti desponsationem & copulam,
c.literas tuas, &, c.ex transmissa, extr. eod. Sunt au-
tem septem casus matrimoniales, in quibus non habet lo-
cum restitutio, his versibus comprehensi:
Si non continuit, si mox probat impedimentum,
Sitq; vir austerus, Mosi sit lege relicta.
Si virgo fuerit, & corrumpi timeatur:
Si non possedit iustè, vel si violenter.
Casibus his septem dominis non restituantur.

Aduersus restitutionem petentem, non est audien-
dus reus de proprietate opponens: nisi actore consenien-
te, c.licet, extr.eod.

Spoliatus etiam à iudice, iuris ordine prætermisso, an-
te omnia restituendus, c.conquerente, extr.eod.

Si Actore agente petitorio Reus super eadem re in-
ducit possessorium, proceditur in solo possessorio, suspen-
petitorio, c.ex conquestione, extr.eod.

Violentus rem cum fructibus, etiam qui percipi po-
tuissent, restituere, damna resarcire, & de iniurijs satis-
facere compellitur, c.grauis, extr.eod.

Recipiens scienter rem inuasam à spoliatore, tenetur
eam spoliato restituere, etiam non probato dominio, c.sa-
pè, extr.eod.

Per solam traductionem mulieris ad domum viri fa-
ctam, non præcedentibus sponsalibus, vel inualidis, nō ac-
quiritur possessio: Vnde ea recedente propria auctoritate
non competit restitutio, c.ex parte, eod.

Actori, qui possessionem non habuit, vel in eius proba-
tione deficit, non conceditur restitutio, d.c. ex parte.

Spo-

Spoliatus potest, suspenso petitorio, ante conclusionem in causa, intentare possessorium: secus si sit concluſum, vel iudicialiter videatur, c. pastoralis, extr. de causa pos. & propri.

Cùm spolium proponitur in modum exceptionis, nulla fertur restitutionis sententia, sed quamdiu non fuerit Reus restitutus, non est cogendus Actori respondere, c. 2. extr. de ord. cog.

DE DOLO ET CONTVmacia.

Titulus XIIII.

Continuatio.

VIdentur litigatores rebus suis destituti, si per alterutrius dolum, vel contumaciam, iuris definitio retardetur. Ne igitur fraudulosè moratori, vel contumaciter absenti contumacia sua patrocinetur, sunt certa iuris remedia statuta, quibus, in pœnam contumacis, obediēti subuenitur.

Dolus quotuplex?

Duplex, bonus & malus. Dolus bonus dicitur, machinatio aduersùs latronem, inimicum, vel publicum hostem, instituta, c. vtilem, 22. quæst. 2. &, c. vt pridem, 23. quæst. 8.

Quid est Dolus malus?

Labeo dolum malum, dicit esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumuenien-

ueniendum, fallendum, decipiendum alterum, adhibitam, l.1.ff.de dolo.

Quæ causa Efficiens?

Est animi conatus ad decipiendum directus: quia delicta ex affectu animi discernuntur, l.qui iniuriæ, ff.de furtis.

Quod Obiectum?

Obiectum est, ipsa deceptio, quæ in omni negotio, non iure sed dolo committentis, fieri potest, l.1.& l.4.ff.de dolo.

Quæ Forma?

Committitur dolus per calliditatem, tacendo & dissimulando, per fallaciam, decipiendo: mentiendo, & asserendo falsum: per machinationem, vtendo fuco & arte verborum, c. quacunq; arte 22.quæst.5.c.is autem, 22.quæst.2. l.1. ff. de dolo

Quis Effectus?

Exceptio, & actio personalis, arbitraria, & famosa, quæ infra biēnij spaciū datur damnū passo, eiusq; hæredibus contra dolosum & hæredes, inquantùm ad eos ratione commissi doli peruenit, ad hoc, vt restitutio fiat, vel, si re perēpta fieri nō possit, ad id, quod interest Actoris vel quāti Actor in litem iurauerit, l.arbitrio, ff.de dolo, l.si plures, &, l. sed & ex dolo, ff.eod. Potest etiam iudex contra dolosum pariter, vt contra cōtumacē, scilicet excōmunicando, deponēdo, damnando in expensas, mittendo in possessionem rerum suarum, vel aliam, pro arbitrio, infligendo pœnam procedere, Hostiens. eod. titulo, §. qualiter, deprehēdatur. & notandum hic, quòd, licet actio doli sit biennalis, exceptionem tamen doli

doli esse perpetuam. Nam quæ temporalia sunt ad agendum, illa perpetua sunt ad excipiendum, l. purè, ff. de excep. dol.

Quid est Contumacia?

Contumacia est, erga iudicem, vel prælatum, commissa inobedientia, glos. in c. ad aures, extr. vt de temp. obed.

Quotuplex Contumacia?

Duplex, vera & præsumpta. Vera dicitur, cùm quis, citatus & inuentus, nullum habens impedimentum, dicit, se venire nolle. Et contra talem procedi potest, nulla alia citatione facta, l. Fulcinius, ff. ex quibus causis, &c. Præsumpta est, cùm quis solenniter citatus, licet non inuentus, non comparet, nec sufficientem procuratorem, in termino constituto, mittit, l. contumacia, ff. de re iud.

Quæ causa Efficiens?

Proteruitas, & inexcusata absentia Actoris vel Rei, c. cùm dilecti, extr. eod. c. quoniam, extr. vt lite non contest.

Quod Obiectum?

Quilibet iudicialis actus, quem contumax, per præceptum iudicis, peragere, vel eidem adesse, iubetur.

Quæ Forma?

Vt trinis edictis, vel vno peremptorio (quod tantum temporis, quantum tria illa edicta continere debet) non compareat: vel in termino non compareat: vel, si compareat, non

obediat: vel sine licétia iudicis recedat, c. certum, 11. quæst. 3. c. ex literis, extr. de excess. prælatorum, c. de illicita, 24. q. 3. Ad duo enim tenetur citatus, scilicet, comparere, & in termino comparere. Vnde, si alterum complere nō possit, ad alterum tenetur. Ex quibus colligitur, varijs modis committi contumaciam, vt etiam notat Specul. tit. de contu. §. contumax, & Hostiens. §. qualiter, eod. Putà, si citatus non veniat: si veniat & nō respondeat, vel obscurè respondeat: vel sine licentia recedat: si se absentet, vel latitet, &, impediat, ne citatio ad eum peruenire possit: si ad mandatum iudicis non restituat, exhibeat, iuret, vel defendat, l. mutus, l. omninò, ff. de procurat. c. fin. extr. de iura. calum. c. cùm locum, extr. de sponsa. c. 1. extr. de mutuis petit.

Quis Contumaciæ Effectus?

Quòd contumax, in omnem causæ euentum siue vincat, siue vincatur, condemnetur ei, qui in iudicio præsens fuit, in expensas, priuetur appellationis beneficio, puniatur per immissionem obedientis in possessionem suorum bonorum, excommunicetur, vel deponatur, Odofred. Bart. Bal. Ang. Salicet. & Fulgos. in l. properandum, §. sin autem ex gestis, C. de iudicijs.

Circa hunc tamen effectum, & modum procedendi contra contumacem Actorem, vel Reum, distingue. Et primo, si Actor in primo vel secundo termino non venerit ad Reum, quem citare fecerat, Reo condemnabitur in expensis, & etiam in damnis & interesse totius litis, quia ad hoc spe-

ſpecialiter ſe debuit obligare, l. eum, ff. de iud. c. libellum, 3. q. 4. Si autem cauſa criminalis fuerit, excommunicationis cenſura coërcetur, atque à iudicio repellitur: niſi iuſtas ſuæ abſentię afferat excuſationes. Si verò venerit in peremptorio, Reus abſoluitur, cùm Actoris contumacia Rei improbior cenſeatur, eò quòd Actori fidem ſtandi apud iudicem facere, Reo autem fugere & cauſam extenuare liceat, c. 1. 3. q. 4. Hodie autem punitur in expenſis: niſi veniat in primo vel ſecundo termino. Nec admittitur ad aliam citationẽ, niſi præſtita cautione idonea, quòd in termino ſideliter comparebit, c. actor, extr. eod.

Intereſt tamen, an lis cõteſtata ſit, vel non ſit, Actore contumaciter abſente. Nam ſi lis conteſtata non ſit, euocandus eſt tribus edictis per interualla 30. dierum, & ſi non venerit, indulgetur ei annus, ſed intra ipſum annũ veniẽs, non auditur, niſi reſtitutis expẽſis Reo: ſi verò intra annũ non comparuerit, iudex per allegationes & dicta teſtiũ, rei veritate cognita, ſententiã ſuper principali negotio ferre poteſt, c. cauſam, extr. eod. authent. qui ſemel, C. quomodo, & quãdo. Quòd ſi lis conteſtata ſit, tunc Actor contumax citãdus eſt ad petitionem Rei, tribus edictis, quorum quodlibet debet eſſe decem dierum, & ſi, perſpectis cauſæ meritis, cauſam examinauit, pronuntiare diffinitiuè poterit. Si verò ipſe plenè exactis inſtructus eſſe non poſsit, abſoluet Reũ preſentem, ab obſeruatione iudicij, nullo regreſſu ad cauſam reſeruato Actori, & in omnem cauſæ euentum, ſiue vincat, ſiue vincatur condemnabit Actorem in expenſas. Sciendũ etiam, quòd

quando iudex absoluit Reum à termino, hoc fi. et absque vlla citatione: secùs si absolutio ab in. stantia iudicij, quæ ante litis contestationem pe. ti debet, fiat. Hoc enim casu, cùm omnia acta iudi cij illi pereant, maior solennitas requiritur, d.l properandum, C. de iud.

Si verò Reus sit contumax, tunc in actione reali, post litis contestationem, potest iudex, si ei de causa liqueat; vtputà, quia testes recepti, vel instrumenta exhibita, vel confessiones fa. ctæ; vel absoluendo, vel condemnando, ad pro. nuntiationem sententiæ procedere, Reumque in expensas Actori, in omnem causæ euentum, damnare. à qua nec appellans; cùm hoc casu ap. pellationi non deferatur; auditur, cap. prout, ex. tr. eod. c. decernimus, 3. q. 9. Quòd si iudici, ob probationum defectum, vel aliud impedimen. tum, causæ merita perspecta esse non possunt, tunc adiudicanda est Actori possessio, statimq; fiet verus possessor, salua proprietatis quæstio. ne absenti, d.c. prout.

Cæterùm, si lis est nullo modo contestata, Reo contumaciter absente, non potest Actor pe. tere, vt sententia feratur: sed summatim exami. nato negotio, mittendus est in possessionem re. petitæ, cap. quoniam, extr. vt lite non contestat. Et tunc Reus, vsque ad annum, poterit recupe. rare possessionem, restitutis expensis, & præsti. ta cautione de iudicio sisti: anno verò elapso nó audietur, nisi super proprietate, d. cap. quoniam. Et si, propter Rei dolum, vel potentiam, nequit potiri possessione, vel nactam perdit, nihilomi. nùs post annum efficitur possessor, c. contingit, extr.

extr.eod. Si autem agitur actione personali, & Reus contumax est ante litis contestationem, tunc mittitur Actor in possessionem bonorum ipsius Rei, causa custodiæ, pro modo debiti declarati in libello, exceptis paucis casib. per Speculat.eod.titulo notatis, quibus in possessionē omnium bonorum missio conceditur. Missus tamen non efficitur verus possessor, imò, restitutis expensis, & præstita cautione, venienti Reo restituitur possessio quandocunque, d.cap. quoniam: nisi iudicis authoritate sit ab Actore distracta.

AXIOMATA.

In ordinatione Cameræ, inter cætera, disponitur, quòd siue Actor, siue Reus contumaciter sit absens, nec compareat in iudicio, semper præsens possit in causa principali procedere, & causam liquidare: adeò, vt etiam iudex teneatur diffinitiuè pronuntiare, si de causa constet, non attenta partis contumacis absentia. & tali casu, si principalis causa diffiniatur, semper is, qui contumaciter abfuit, siue vincat, siue succumbat, condemnari debet in expēsas ei, qui iudicio præsens fuit, tit. 43. in fine, & tit. 43. § penultimo. in 3. parte.

Contumax est, qui trinis edictis, & vno peremptoria citatus non venit, c. certum, 11. q. 3.

Si iudex velit contumacem excommunicare, priùs debet eum monere, vt adhuc obediat, comparendo intra certum terminum competentem, & suam contumaciam expurget.

Actore contumace testes recipi, & sententia ferri debent,

debent, etiam lite non contestata, cap. causam, extr. eod.

Si Reus, post litem contestatam, est contumax, si aliàs liquet de causa fertur sententia diffinitiua: si non liquet Actor in veram possessionem inducitur, c. prout nobis, extr. eod.

Beneficia Ecclesiastica sine dispendio diù vacare non possunt, c. finem litibus, extr. eod.

Exceptionem peremptoriam opponens, si in eius probatione deficiat, causa dilatæ litis, in expensas damnari debet, c. finem, eod.

Si Reus non inuenitur literis valuis Ecclesiæ affixis, citatio celebratur, c. venerabilis, extr. eod.

Sententia in causa beneficiali non transit in rem iudicatam respectu Superioris, quò minùs possit de iuribus partium inquirere, maximè, quando sententia fuit lata contra absentē, licet contumaciter & indefensum, c. cùm olim, extr. eod.

Actor non admissus in possessionem sibi decretam per iudicem, causa rei seruandæ, vel ab ea expulsus, per ipsum anni verus efficitur possessor, c. contingit, eod.

Contumax melioris conditionis, quàm obediens, esse non debet, d. c. contingit, §. ne igitur.

In Ecclesiasticis personis & negotijs rigor & districtio iuris non requiritur, c. 1. extr eod.

Cùm variarum pœnarum datur optio, vnam ex pluribus, qua magis timetur iudex infligere debet, c. à crapula, extr. de vita & honest. cler.

DE

DE EO QVI MITTI. tur in possessionem causa rei seruandæ.

Titulus XV.

Continuatio.

DIctum est, in reali actione, mittēdum Actorem in rei petitę possessionem, causa rei seruandæ, vt tædio affectus Reus contumax veniat responsurus. Qui, si venerit intra annum, iudicio sisti, præstita cautione, ac exhibita satisfactione congrua expensarum possessionem recuperet. Quòd si cautionem intra annum offerre neglexerit, Actor per iteratam iudicis missionem verus constituetur possessor, super proprietate duntaxat aduersæ parti defensione legitima reseruata. Debet autem vtraque missio per interpositionem decreti iudicis fieri.

Quotuplex est Decretum?

Duplex, Primum & Secundum.

Quid est Primum?

Primum decretum est, prima, à iudice iubente in possessionem rei seruandæ causa, facta missio, c. nos sumus, 13. q. 1.

Quæ causa Efficiens?

Iussus iudicis ordinarij mittentis obediētem in possessionem bonorum, causa rei seruandæ, ob contumaciam absentis, cap. constitutis, extr. eod.

Quæ

Quæ causa Procatarctica?

Petitio & instantia Actoris, Rei contumaciam accusantis, c. quoniam, extr. vt lite non contest.

Quæ causa Impulsiua?

Est proteruitas cõtumacis Rei, & æquitas conseruandi iuris competentis, c. 1. extr. eod. c. contingit, §. ne igitur, extr. de dolo, & cont.

Quod Obiectum?

Missio in possessionem rerum mobilium, & immobilium, tam in actione reali, quàm personali, c. quoniam, extr. vt lite non contest.

Quæ Forma interponendi primi Decreti?

Vt, si tribus edictis, vel vno peremptorio citatus Reus non veniat, in actione reali mittatur Actor Rei contumaciam accusans, & se mitti petens, in rei petitæ possessionem, vt tædio affectus Reus, veniat respõsurus. In personali autem decernat iudex Actorem mitti in possessionem mobilium ipsius, vel immobilium, si fortè mobilia non habeat, pro modo debiti in libello declarati, d. c. quoniam. Exceptis quibusdam casibus, quibus non, pro modo debiti, sed simpliciter in possessionem mittitur. Primò, si petitur liber homo exhiberi, neque exhibetur: quia tunc fit missio in possessionem omnium bonorum, l. 3. ff. de lib. homine exhib. Ratio est. Quia libertas est res inæstimabilis, l. libertas est, ff. de reg. iur. Secundò, quando quis in possessionem mittitur ex beneficio Carboniani edicti, per totum, ff. de Carb. edict. Tertiò, quando quis mittitur in possessionem, ex ventre, ff. de ventre in posseſsionẽ mitt. l. 1.

Qui

Qui sunt Effectus primi Decreti?

Si in actione personali decretum interpositũ fuerit, primus effectus est: quòd missus habeat custodiam & defensionem rerum, quod dicitur iudiciale & prætoriũ pignus: Videtur.n.sibi constitutũ, simulatq; in possessionem inductus est, l. fin. C. de prætor. pign. l. si legati, C. vt in pos. leg. 2. Interdictum, Vti possidetis, quod cõpetit pro defensione illius possessionis: & actio in factum quanti illa res erit. 3. Quòd missus potior est alijs venientibus postea: quia habet hypothecam lege tacitè constitutam, & etiam his, qui postmodùm simili iussu iudicis capiunt. 4. Missus in possessionem ex primo decreto, verè non possidet, sed detentionem & custodiam habet, l. si finita, ff. de dam. infect. l. si duo, ff. vti pos. 5. Perceptio fructuum, quæ in possessionem misso, tanquam conuentionali creditori, conceditur, licet Reo intra annum venienti præstita cautione solita restituantur, cap. 2. extr. de sequestr. possess. l. Fulcinius, ff. ex quibus causis in pos. 6. Quòd nisi debitor satisfaciat creditori misso in possessionem, poterit ipse creditor, sine libello petere à iudice bona vendi, in quorum possessionem missus est, si debitor latitat. 7. Quòd missio vnius creditoris prosit omnibus eiusdem tituli, l. 1. ff. de bo. auct. iud. possid.

Sin autem in reali actione, ob contumaciã absentis Rei, missio ex primo decreto facta sit, erit huius effectv. Primò: quòd acquiratur misso

actio

actio ex illo edicto, ne fiat vis ei, &c. toto tit. ff. ne fiat vis ei qui, &c. Hoc enim prætoris edictũ pertinet ad omnes cuiuslibet generis in possessionẽ missos, l. 1. d. tit. 2. Quòd idem de perceptione fructuum, vt in actione personali, obseruetur. 3. Quòd statim incipiat possidere verè, non tamẽ incommutabiliter. Quia si Reus intra annum venerit, cautionemq; iudicio sisti, & exoluendarum expensarum præstiterit, restituetur ei possessio. Quòd si autem cautionem offerre neglexerit intra annum, Actor post annũ verus & incommutabilis, etiam absque secundi decreti interpositione efficitur possessor, c. quoniam, extr. vt lite non.

Ratio autem diuersitatis, cur missus in personali non possideat, in reali verò sic: hęc est. Quia quando ago personali, ago contra illum, qui mihi obligatus est ex contractu, vel quasi, ex malẽcio, vel quasi. Quare si mittor in possessionem pro mẽsura debiti declarati in libello quodam, extraordinario iure mihi subuenitur. quia, vt ita dicam, mittendus essem in personæ possessionẽ, quæ obligata est: sed quia persona libera possideri nõ potest, ideò mihi succurritur in rebus, non vt eas possideam, sed vt custodiam, donec tẽdio affectus contumax, vel mihi soluat, vel ad iudicem veniat responsurus. Sunt tamen qui dicunt, missum nec in reali possidere, sed custodire & detinere, per text. in c. pastoralis, de off. ord. &, c. contingit, extr. de dol. & cont. vbi dicitur: quòd post annum verus efficiatur possessor, ergo antea non fuit, c. 1. extr. eod. Sed verius est, missũ ex primo decreto in actione reali, verè possidere.

dere. Quia verbum, in d.cap.quoniam (verus) debet exponi, id est, incõmutabilis. Quia verè possidebat intra annum, sed commutabiliter, quod etiã probat d.c.pastoralis, vbi dicitur, quòd post annum recuperet Reus possessionem, ergo apparet, quòd amiserat. Et huic opinioni cõsentit etiam c.1.extr.de sequestr.possess.

Quid est secundum Decretum?

Secundum decretum est, secundus iussus iudicis, quo missus in possessionem verus & incõmutabilis efficitur possessor, c. 1. extr. de eo qui mitt.in pos.l.prætoris, ff.de dam.infecto.

Quæ est causa Efficiens?

Est secundus iussus iudicis cuiuslibet ordinarij, habentis merum vel mixtum imperium. Est enim hoc meri imperij, & cognitionem habet pecuniariam, l.iubere, ff.de munici.c. ex literis, extr.de off.deleg.c.1.extr.eod.

Quod Obiectum?

Iterata missio in possessionẽ earum rerũ quas missus ex primo decreto antea, non nisi detinebat & custodiebat. quod locũ habet in causa dãni infecti, duplicibus iudicijs, & omnibus actionibus personalibus: non aũt realibus. Quia in ijs transitus vnius anni, à tempore interpositionis primi decreti computati, absque sententia, vel vlteriori decreto, facit missum ex primo decreto, verum & incommutabilem possessorem, c. contingit, extr.de dol.& cont. c.pastoralis, extr. de off. & ord. Quod non est in personalibus, in

quibus lapsus anni non facit missum possessorẽ sine secundo decreto. imò etiam post annum audietur Reus super possessione, nisi res iudicis authoritate sit distracta & vendita, Specul. tit. de secundo decreto, &c. qui etiam huius diuersitatis rationem ponit, & Bart. in gl. vlt. c. 1. extr. eodem, &, c. contigit, extr. de dolo, & cont.

Quæ Forma secundi Decreti interponendi?

Secundum decretum nunquam interponitur, nisi cum causæ cognitione, & vtraque parte præsente, ideò ad petitionem missi in possessionem aliquarum rerum, pro mensura debiti in libello declarati, iudex contumacem citabit, monebitq; vt pareat, & iudicio sisti caueat: quòd si intra annum à tempore primi interpositi decreti computandum, hoc contumaciter recusauerit, per notarium vel tabellionem, omnium rerũ inuentario cõfecto, & earundem æstimatione facta, constituet creditorem ex secundo decreto, verum & incommutabilem possessorem: vel rẽ, in cuius possessionem missio facta est, eidem insolutum adiudicabit, vel, authoritate publica vendendi facultatem concedet.

Qui Effectus?

Primò est. quòd per secundum decretum aliquando acquiratur dominium, c. 1. eod. Secũdò, quòd creditor, cui res insolutum data est, habeat iustã causam possidendi, & præscribendi, siue debitor fuerit dominus illius rei, siue non, c. Abbate, de sent. & re iud. in 6. Et est ratio. Quia iustè pos-

posſidet,qui,prætore authore,posſidet,l. iustè, ff. de acquir.pos. Tertiò,per hoc creditori facultas fit istam rem vendendi. Tamen ad venditionem hanc,secundùm Speculat. quatuor coniunctim requiruntur: 1.Quòd missionem passus latitet.dicitur autem latitare, quando turpiter, & fraudulenter se occultat, vt euitet creditores, l. cùm proponas,C.de bo.auct.iud.pos. 2. Quòd fraudandi causa latitet,l. Fulcinius, ff. quib. ex causis in pos. 3.Vt de debito constet. 4.Vt tempus sit præteritum, & dies soluendi effluxerit,d. l.cùm proponas. Decreta igitur venditione, & facta sententia diffinitiua, nunquam Reus auditur, verùm decreto insolutum facto Actori, auditur adhuc Reus,volens de iure suo probare. Si verò res creditori adiudicata,vel vẽdita non fuerit,debitor in personali actione rem recuperare potest,vsq; ad 30.annos:Actori tamen, impensis, & interesse solutis,&c.

AXIOMATA.

Missus in possessionem ex primo decreto in reali, per lapsum anni veram & incommutabilem illius rei possessionem acquirit,c.1.extr. eod.

Voluntas,ad effectum non deducta,nulla est, d. cap. 1.eod.

Si passus missionem,repetens possessionem,allegat, se contumacem non fuisse, restituitur in pristinum statum, præstita cautione,& dilata condemnatione expẽsarum, quam euitat,si postea constiterit,eum non fuisse contumacem,c penul. extr.eod.

Si agitur actione personali, primò mittitur Actor in possessionem mobilium, si extent, alioquin immobilium, postremò etiam nominum, sicuti fit in executione rei iudicatæ, l. à diuo, ff. de re iud.

Missus in possessionem, ex primo decreto, non vtetur bonis illis, vel fructibus, in quorum possessionē missus est, sed eos restituet infra annum cum ipsa re, c. 2. extr. de sequestrat. pos.

Vbi agitur personalibus actionibus pro temporalibus, non fiet missio in possessionem spiritualium, pro mensura debiti declarati, c. 1. extr. de iniurijs.

Creditor quiuis, siue purè, siue in diem, siue sub conditione aliquid ei debeatur, potest postulare, vt in possessionem mittatur.

Hæreditate petita ex testamento, vel ab intestato fieri potest missio in possessionem bonorum totorum.

Primum decretum generaliter interponitur, quotiescunque quis non defenditur, tam in realibus, quàm personalibus actionibus, cap. quoniam, extr. vt lite non contest.

Iuris beneficium nemini est denegandum, c. frequēs, §. solet, extr. de rest. spoliat.

Secundum decretum nūquam interponitur, nisi cum causæ cognitione, &, vtraque parte præsente, cap. 1. extr. eod. &, cap. quoniam, §. quòd si super, extr. vt lite non contest.

Creditor, cui res in solutum data est, per secundum decretū, iustam causam possidendi & præscribēdi habet, c. Abbate, in 6. de re iud.

Iustè possidere censetur qui authore prætore possidet.

Iudex

Iudex potest decernere, iurisdictionem esse faciendã in bonis, non suæ iurisdictionis.

Superfluum est, petere quod de iure communi competit.

Quod meum est, amplius meum fieri non potest, c. inter dilectos, extr. de fide instrum.

VT LITE PENDENTE nihil innouetur.

Titulus XVI.

Continuatio.

LIte pendente nihil innouandum: ita, vt nec per missum in possessionem, causa rei seruãdæ, nec missionem passum, vel si missio facta non sit per alterutrum litigantium ad interuertendam, vel alienandam rem litigiosam quid attentari debeat.

Quomodò litis pendentia fiat?

Lis pendere dicitur, non tantùm per litis contestationem, sed etiam per citationẽ, qua Reꝰ de negotio principali, super quo instituitur actio, instruitur, deducto nomine litis, à contentione limitis. Vnde Virgilius:

Limes erat positus, litem vt discerneret agris,

c. forus, extr. de verb. sign. Clem. cùm lite, tit. vt lite pendente nil innouetur.

Quæ causa Efficiens litis pendentiæ?

Est litis contestatio. Quia lis, absque contestatione, propriè non est, neque iudicium, vel instantia; cùm litis contestatio sit fundamentum iudiciarij processus, ex quo instantia & iudiciũ constãt, Alc. in l. postquam, C, de pactis, c. ex parte, extr. de verb. signif. Tamen cùm lis etiam à citatione incipiat, sitq; sufficiens ad perpetuãdam iurisdictionem, c. gratum, extr. de off. deleg. traditum est, citatione etiam induci litis pendentiam. Ad quam tamen sex requiruntur, secundùm Clem. cùm lite, eod. tit. 1. Quòd citatio emanârit. 2. Quòd à iudice competente. 3. Quòd ad citatum peruenerit, aut per eum steterit, quò minùs perueniret. 4. Quòd ex tenore citationis plenè cognoscere potuerit citatus, qua de re futura sit controuersia. 5. Quòd citatio sit apta. 6. Quòd nũtius eam legitimè & sufficienter insinuauerit, per gl. in Clem. cùm lite, eod. tit. Mynsing. obser. 26. cent. 4. ideò rectè Affl. dixit, Per citationem circumductam litis pendentiam non induci, decis. 366. num. 14. Inducitur etiam litis pendẽtia, per petitionem, vt quis carceribus mancipetur, ac per ipsam capturam: vt Calecial. voluit in Tract. de deb. susp. q. 27. Item per bonorũ sequestrationem, vt eo loci, num. 3.

Quis Effectus?

Quòd nec iudici, nec aduersario liceat, lite pẽdente, propria temeritate aliquid innouare, nec etiam Principis authoritate, absq; causæ cognitione. Vnde priuilegium, vel rescriptum, lite pẽdente,

dentẽ,impetratum,nõ valet, nisi de hoc expressè mentionem faciat,c.vlt.extr.eod.&,c.causam, extr.de testibus. Nec matrimonio,ob cautam cõsanguinitatis,accusato,priuandus est alter coniugum iure suo, quousque consanguinitas probata fuerit. Nec deijciendus, excommunicãdus, vel suspendendus est,in dignitate vel officio constitutus, per inquisitionem impetratam. quælibet enim innouatio in præiudicium vocati tendens prohibita est:non debet igitur ille, iure vel priuilegio,quo vti consueuit, lite pendente, destitui,c.1.& per totum,extr.eod.

Quòd si autem aliquid innouatum fuerit,immutans non tantùm in expensas dãnatur,verùm etiam attentato in pristinum statum reducto iure sibi competenti priuatus, infamis efficitur, l. penul.& vlt.C.vt lite penden. vel post prouocationem,aut defin.sententiam nulli lic. Imperatori supplicare.

AXIOMATA.

Accusatus de adulterio,ad separationem thori, non debet,lite pendente,possessione coniugali priuari,c.laudabilem,extr.eod.

Rem litigiosam alienare non licet:ea tamen ita alienata,vt rehiberi non possit,illius locum æquiualentẽ substituere tenetur,c.Ecclesia,extr. eod.

In decidendis litibus,iura,quæ tempore controuersiæ fuerunt inspicienda sunt: Non autem priuilegium, lite pendente,impetratum,nisi de litis pendentia mentionem faciat,c.fin.extr. eod.

DE SEQVESTRATIONE possessionum & fructuum.

Titulus XVII.

Continuatio.

PEr sequestrationem inducitur litis pendentia: quæ, licet rei, in cuius possessionem missio facta est, regulariter non cõcedatur; eò quòd nemini possessio temerè sit auferenda: tamen quandoque exigente iusta rei conseruandæ causa, vel partium consensu, vel iudiciaria authoritate sequestratio fieri legibus iubetur.

Quid est Sequestratio?

Sequestratio est, rei controuersæ, vel fructuum eius, partium consensu, vel iudiciaria authoritate, apud quendam tertium, & medium, inter litigatores facta depositio, l. licet, ff. depositi.

Quotuplex est Sequestratio?

Duplex: voluntaria & necessaria. Voluntaria est, si litigatorum consensu, translata possessione rei litigiosæ depositio fiat. Necessaria autem dicitur, si iudicis authoritate res controuersa ex causa deponatur: vt quia veretur iudex, ne partes de possessione contendentes ad arma procedant, vel, quia missus in possessionem causa custodiæ malè in re ipsa versatur, vel, fructus dissipat, c. dilectus, extr. eod. l. æquissimũ, ff. de vsuf. l. interesse, ff. de acquir. pos. l. si soluturus, §. fin. ff. de solut.

Quæ

Quæ est causa Efficiens?

Consensus litigatorum, & iudicis authoritas, d.l.æquissimus,ff.de vsuf.& l. interesse,ff.de acq. pos.

Quod Obiectum?

Est res controuersa & litigiosa, l. licet, ff. depositi. Non tamen quælibet res controuersa sequestrari debet: sed sunt certi casus, quibus hoc conceditur, extra quos sequestratio summa ratione,cùm nemini possessio temerè sit auferenda, prohibetur: 1. Si veretur iudex, ne ad arma & rixas partes procedant. 2. Cùm post appellationem fructus agri,de quo disceptatur ab aduersario,qui condemnatus est, depopulantur: nam eos fructus apud sequestrum deponi,æquum est,l. Imperatores,ff.de appel. 3.In odium Rei contumaciter absentis res cõtrouersa potest sequestrari,c.ex literis,extr.de dolo & contum. 4. In peculio & alijs rebus eius, qui ex possessione seruitutis ad libertatem proclamat, quæ in tuto, pro iudicis arbitrio, collocantur, l. 1. C.de asser.toll. 5. Si partes in sequestrationem consentiant, d.l. si soluturus, ff. de solut. 6.Fauore religiõis,c.2. extr.de dol.& contu. 7. Quando persona, à qua res mobilis petitur,suspecta sit defuga, l. si fideiussor, ff.qui satisdare cogantur. suspecta autem esse potest,vel ob deprauatos mores,vel si immobilia non possideat,l.sciendum,ff.qui satisd.cog. 8. Cùm à sententiæ executione appellatur.Quoniam si res, de qua contenditur, mobilis est, sequestratur,si immobilis,possessiõe apud appellã

tem remanente, fructus sequestrabũtur, l. ab exe cutione, C. quo. appel. non recip. 9. Cùm inter dominum & colonum est de dominio rei con trouersia. Nam si recusauerit colonus de restitu endis fructibus satisdare, fructus illi sequestra buntur, l. litibus, C. de agri. & cens. lib. xj. Cui ta men obstare videtur l. siquis conductionis, C. de locato, Vbi traditur, conductorem domino, do minij quæstionem referre non posse. 10. Cùm maritus petit vxoris virginis restitutionem ma trimonium contractum negantis : sequestratur enim puella quousq; causa terminata sit, c. cùm locum, extr. de spons. 11. Si vxor, cuius restitu tionem maritus postulat, de sæuitia viri proba biliter timet: quia vir eam capitali odio prose quitur. Nanq; tunc probæ & honestæ mulieri vsque ad finem litis, committi debet, c. ex trans missa, &, c. literas, extr. de rest. spol. 12. Cùm ap paret, maritum dissipare, oportet quippe tunc dotem sequestrari, quatenus ex ea mulier com petens habeat solatium, l. si cùm dotem, ff. sol. matri. 13. Cùm præsidijs prouinciæ familiares furtum passi sunt : nam de hoc furto ip se etiam præses cognoscere poterit, vsq; ad con testationem litis, vt per eam actio perpetuetur, & vltrà poterit iubere vt res ablata exhibeatur, & apud sequestrum deponatur, l. senatusconsul to, ff. de off. præsid. 14. Si quæstio sit de posses sione, & non possit probari, quis possideat, l. in sequestro, ff. de acquir. possess. 15. Quando pos sessor victus appellauerit, & incipit dissipare, vel alienare fructus: item est missus in possessionem causa rei seruandę dissipet, sequestrantur enim fru-

fructus, 2.q.6. quot 2.inf.eod.c.vlt.& c. dilectus, extr.eod. 16.Propter contumaciam nolentis cauere, etiam conceditur sequestratio, l.1.ff. de col. bo. Et denique, ne impediatur vendēdi commoditas, l.si oleum, ff.de dolo.

Quæ Forma?

Vt litigatores rem controuersam litis causa deponant apud sequestrum.i.medium quēdam, inter litigatores insolidum: hoc fine, vt ipse possidens vsque ad tempus restitutioni destinatum custodiendo seruet rem, eamq; tempore elapso, restituat, l. sequester, ff. de verb. sig. l.5.& l.6.ff. depositi.

Quis Finis?

Vt res sequestro commissa seruetur.

Quis Effectus?

Est actio sequestraria, quę, pro restitutione rei sequestratæ, competit, l.si in Asia,& l.si oleum, ff. de dol.malo.Et translatio possessionis in ipsum sequestrum. Vnde, ratione possessionis, ius percipiendi fructus,& ius præsentandi beneficia habet: si forsitan apud eum factum est sequestrum, Ecclesiæ, ac iuris patronatus,& sacerdotium valet, Felin. in c. Bertoldus, extr. de sentent. & re iud. glos. in Clemen. vni. de sequest. possess. Sequester enim possidet, quoniam ea depositione id agitur, vt neutrius litigatoris possessioni id tempus procedat, l. licet, ff. depositi. Quod verum est in voluntaria, hoc est, consensu & voluntate partium facta sequestratione:

tione: & nisi expressè contrà actum sit. hoc enim
casu partium conuentioni, quæ legem contractu
dat, standum est, l. interesse, ff. de acqui. poss. Atq
necessaria sequestratione, quæ præcepto iudicis
fit, secus est. Quia is non præsumitur litigatori
bus possessionem aufferre velle, Bart. in d. l. licet
c. 1. &, c. 2. extr. eod. Accedat quòd exploratũ sit, a
ctum voluntarium necessario longè potentiori
esse, Accurs. l. 1. C. de iud.

Quæ Affinia?

Depositum, missio in possessionem, &c.

Quæ Pugnantia?

Existentia conditionis & temporis, quo res re-
stituenda est, l. si quis, ff. de dolo. Dissipatio rei se-
questratæ. Satisdatio litigantis; Pan. in c. 2. col. 1
extr. de sequest. poss. & fruct.

AXIOMATA.

*Sequestrum factum loco missionis, propter scandala
euitandum, reuocari debet, oblata cautione, & restitutio
expensis, c. ad hoc, extr. eod.*

*Sicuti is, qui à sententia appellauit, ita is, qui in pos-
sessionem custodiæ causa missus est. si fructus dissipat, se-
questratio fit, c. dilectus, &, c. fin. extr. eod.*

*Vbi titulus, ad translationem dominij habilis, nõ pra-
cedit, rei traditio custodiæ causa facta præsumitur, l.
cùm pater, §. pater, ff. de leg. 2.*

Continentia causæ diuidi non debet, c. 1. extr. eod.

DE

DE CONFESSIS.

Titulus XVIII.

Continuatio.

AD instruendam causam, vtriusque partis probationes recipiendæ sunt, quæ vt commodiùs expediantur articuli & positiones (quæ nihil aliud sunt, quàm breues verborum formulæ, intentionem litigantium continentes, ad veritatem eliciendam conceptæ) in locum interrogationum, quibus ante litis contestationē iudex olim vti solebat; in hunc effectum, vt ponens ab onere probationis, per confessionem aduersarij releuetur; inductæ sunt. Ijs enim confessis, non ad probationes faciendas, quibus aduersarius liberatus est, sed ad diffinitiuæ sententiæ pronuntiationem, proceditur: quia in confitentem iudicis partes nullæ aliæ sunt, quàm vt condemnet, & pronuntiet, c. præterea, extr. de transact. c. statuimus, in 6. de confessis.

Quotuplex est Confessio?

Duplex iudicialis & extraiudicialis. Iudicialis est, eius, de quo in iure quæritur, clarè, spontè & liberè, coram competenti iudice, aduersario præsente, facta responsio, c. 1. 15. quæst. 6. c. 2. extr. eod. c. præterea, extr. de transf. Extraiudicialis est, eius, de quo quæritur, extra iudicium, facta assertio.

Quæ causa Efficiens.

Est confitentis voluntas, spontanea & libera, vel

vel inductione, vel alijs legitimis modis conuicta.

Quod Obiectum?

Obiectum confessionis est, rei gestæ, vel ipsius negotij veritas. Quia non, nisi quod verum est, & ipso facto ita contigisse, vel in rerum natura existit, in confessionem venit: modò illud certum sit vel incertum, cuius tamen incertitudo declarari possit, c. 4. & 6. extr. eod.

Quæ Forma?

Vt maior vigintiquinq; annorum, qui sit sanæ mentis, & dominus causæ, contra se in iure coram competenti iudice liberè, sponte, & scienter confiteatur, veritatem rei gestæ, vel negotium. vnde versus in Hostiensi, eod. tit. §. qualiter:

Maior, sponte, sciens, dominus, pars, lis, sed & in se
Confessus certum, compos, pro iudice, iure,
Damnatur, nisi lex, fauor, aut natura repugnet.

Minor enim, vel pupillus absque tutoris authoritate, in iure non confitetur: nec procuratoris confessio domino absenti nocet: nec furiosus, nec propria confitentis confessio pro se iure subsistit: vel si coram incompetenti iudice fiat: nec coactè, metu, vel adhibitis tormentis facta confessio pro iudiciali confessione habetur; nisi in iudicio constanter persistat; nec si factum confiteatur, & tale quid, quod in rerum natura non fuit, c. 2. extr. eod. c. 1. 15. quęst. in 6. c. præterea, extr. de transf.

Non tamen ore tantùm confessio fit, sed etiam rei euidentia, quæ nulla tergiuersatione celari potest, contumacia nimia, paciscendo super crimine,

ne, taciturnitate: nam qui tacet, consentire videtur. Quod quidem obtinet, si in iure contumaciter tacet, & interroganti iudici respondere nolit, vel ab aduersario allegata non neget, c. 1. &, c. 2. 15. q. 6. c. tuã, &, c. vlt. ext. de cohabit. cleric. & mul. c. nullus, &, c. nonne, extr. de præsump. c. ex eo. 15. quęst. 3. c. sanè 24. quæst. 2.

Quis Finis?

Si, citra solennem iudiciorum ordinem processum fuerit, est ipsa condemnatio, alioquin cõfessio in eum finem fit, vt iudici ad sententiam ferendam fides fiat veritatis, c. 1. vbi Dd. & glos. de confes. in 6.

Qui sunt Effectus Confessionis?

Confessus pro iudicato habetur. Quia confitens, se sua sententia quodammodò damnat, arg. c. nunc autem, 21. dist. l. 1. ff. & C. de confes. Vnde ad condemnationem sententia non est necessaria: nisi libellum petierit, receperit, & lite contestata in forma iudicij confessus fuerit, l. Iulianus, ff. eod. In criminalibus igitur, in quibus exactè iudiciarius processus obseruandus est, diffinitiua, ad condemnandum confessum, requiritur, l. confessus, ff. de custod. & exhib. Reorum, & Specul. eod. tit. §. effectus autem, licet Bart. in l. si confessus, ff. de custod. & exhib. reorum confessionem vim probationis, non sententiæ, habere existimet. quod, de sententia vera, verum quidem est, quasi confessio diffinitiua, sententia vera esse non possit: attamen, cùm Reus confitendo seipsum quodammodò iudicet, secundùm illud: ex ore tuo te iudico, arg. c. nũc autem, distinct. 21.

&

&,c.qui quod nouerit,5.quæst.5.Non inconueni
enter vim sententiæ, quæ ex adductis Actoris pro
bationibus formatur,habere dicitur. Ex quibu
patet,confessionem præiudicare,cùm iudicatum
inducat. Interest tamen: an confessio in causa ci
uili, vel criminali fiat? & hoc: an in iudicio, ve
extra iudicium? Si in criminali, & extra iudic
um,non nocet nisi ad torturam, ad quam indic
um facit contra confitentẽ.quia nullus priuan
dus est,nisi per viam iuris. Quæ triplex est:scil
cet, accusationis, denuntiationis, & inquisitio
nis.Si autem fiat corã competenti iudice, præiu
dicat:in ciuili verò cõfessio in iudicio legitimẽfa
cta,si non reuocetur,præiudicat, c. 2.&,c. 3. extr.
eod. Secus autem in extraiudiciali, nisi quis vel
ad obligandum se alteri, vel ad liberandum a
um sibi, solenniter adhibitis testibus, vel sup
possessione,quæ solo animo amittitur, confite
tur,Specul.§.videndum,vbi ea latiùs explicat.

An autem confitens confessionem suam re
uocare possit? Et traditum est per Spec.tit.eod.§
postremò,ante litis contestationem ex iusta ca
sa posse reuocare. Quòd si per aduocatum, ve
procuratorem,tutorem,vel principalem,litecõ
testata confessio fiat, tunc, errore probato ant
sententiam,litigator ad confessionis reuocatio
nem admittitur,c.fin.extr.eod.c.cùm olim, extr
de off.deleg.c.2.14.quæst.2. Non post sententiam
nisi fuerit appellatum,l.sub prætextu, C.de trãs
act. Licet etiam ante sententiam incontinẽti, abs
que erroris probatione, reuocari possit, l. fin.C.
eod.c.præterea,extr.de test.cogen. Si igitur con
fessus ad probandum errorem, siue in ciuili, siue
in cri-

in criminali non admittitur, appellationis remedio sibi consulere potest, c. cùm causam, extr. de appellat. Nisi conuictus, confessus, & manifestis argumentis superatus fuerit, l. fin. C. de errore aduocatorum, &c. Denicq; cùm in causa appellatiõis nouis allegationibus, & defensionibus, & exceptionibus peremptorijs in prima instantia omissis vti liceat, errorem etiam in principali cõmissum corrigere nemo prohibetur. Quia hocipsum, est exceptionem peremptoriam proponere, c. fraternitatis, extr. de test. c. cùm Ioannes ext. de fide instrum.

Quæ Cognata?

Sententia, iusiurandum, transactio, euidentia facti, probatio, præsumptio iuris, &c.

Quæ Adiacentia?

Veritas, certitudo negotij, l. certum, §. fi. ff. eod.

Quæ Pugnantia?

Minor ætas, furor, aliudq; vitium vel defectus confitentis, c. paruuli, 22. q. 5. confessio extraiudicialis, absentia aduersarij vel procuratoris, c. 2. extr. eod. si non fuerit super re litigiosa, vel cõtra ius, c. mancipia, dist. 54. Si à procuratore: quia ea non obest domino, metus, incompetentia iudicis & error facti, c. 1. quod metus causa, c. fin. ext. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Confessus pro iudicato habetur, l. 1. ff. eod.

Sicuti sententia, ita nec confessio, reuocari potest, præterquam ex incontinenti. Nam confessiones repentinæ calore iracundiæ effusæ non obligant, & statim reuocari possunt, Panor, c. cùm venerabilis, ext. de excep.

Cùm ordine iudiciario procæditur, & præcipuus ordo iudicij sententiam exigat, definitiuè, super confessione pronunciare iudex debet: secus, si de plano, & sine figura iudicij iudex cognoscat. In criminalibus autem, cùm exactè iudiciorum ratio obseruanda sit, in ijs definitiua requiritur, Bald. in l. fin. C. de edendo.

Nulli in propria sua causa pro se creditur, sed contra se; & propria sua confessio non alij, sed sibi, præiudicare debet, c. 1. extr. eod.

Confessio in articulo mortis facta, etiam pro confitente, eiusq; hæredibus, præsumptionem inducit: quòd nemo eo tempore præsumatur mendacium dicere, Hip. in rub. de probat. C.

In criminalibus confessio extraiudicialis iudicium facit ad torturam contra confitentem, non aduersùs alium, nisi in tortura dixerit, Boer. decis. 319. parte 2.

Confessio non valet facta metu mortis, vel tormentorum vel cruciatûs causa, nisi perseueret in confessione, c. 1. extr. quod metûs causa, c. Lotharius, 31. q. 2.

Confessio per errorem facti iure non subsistit, vnde reuocatur, quandocunq; ante sententiam, errore probato, c. fin. extr. de confess.

Confessio procuratoris, tutoris, vel curatoris, absente domino, facta ei obesse non potest, c. cùm tempore, extr. de arb.

Si quis in instrumento confiteatur, se dotem ab vxore accepisse tamen talis confessio sibi non præiudicat: imò vxor eam repetens se eam numerasse probare debet,

bet, l. 1. C. de dote cauta non numerata.

Confessio metu tormentorum nullis legitimis præcedentibus indicijs facta confitenti non præiudicat, nec ex ea Reus potest condemnari, etiamsi millies ratificetur, Mynsing. obser. 23. cent. 5.

Si eadem causa de vno iudice ad alium transeat, acta habita coram vno iudice faciunt fidem corã alio, c. causam, extr. de test.

Factum procuratoris non nocet domino, nisi in causa, in qua datus est, c. cùm olim, extr. de off. deleg.

Confessio in iudicio facta præiudicat, dummodò facta sit legitimè, c. 2. extr. eod.

Confitens, se non possidere, statim perdit possessionẽ, quia solo animo amittitur.

De crimine aliquo infamato est indicenda purgatio, c. 1. extr. eod.

Fauor matrimonij facit, vt nulla confessio coniugũ ei præiudicet, ex quo publicè est contractum, c. ex literis, extr. de diuor.

Confessio ad obligandũ se alteri facta iure subsistit, secus, si ad obligandum alium sibi etiam millies facta, Spec. hîc.

Confessio sine causa extra iudicium coram testibus facta non inducit plenam probationem, Specul. hîc §. nunc videndum.

Præceptum confesso factum obtinet vim sententiæ. Nam mandatur executioni, & actio ex eo nascitur, vt ex sententia, l. fin. C. de excep. rei iud.

Cõfessio criminis, p cõtrarij probationẽ põt reuocari.

Error, per procuratorem, in iudicio commissus,

præiudicat: nisi eum reuocet. quod potest facere quandocunq; ante sententiam, errore probato, c. cùm olim, extr. de off. deleg.

Probatio per confessionem aduersarij, potest fieri post lapsas omnes dilationes datas ad probandum, Inno. in c. vltra, extr. de test. & Mynsing. obser. 94. cent. 1.

DE PROBATIONIBVS.

Titulus XIX.

Continuatio.

ACtor, ab onere probãdi, releuatur, si aduersarius intentionem suam confitetur, quam si neget, probatio dicti sui ei incumbit. Actore enim non probante, Reus, etiamsi nihil præstiterit, absoluitur, 2. q. 1. §. 1. vt Eccles. bene. c. 1. de cauſ. poſ. & propri. c. cùm Ecclesia, de iurei. c. fin.

Quid est Probatio?

Probatio est, rei dubiæ in iudicio legitimè facta probatio, c. 3. extr. de testibus cog. c. qualiter. extr. de accusat.

Quot sunt probationum Species?

Variæ sunt. Nam probationes fiunt: 1. Per testes, c. 2. extr. de probat. 2. Per confessionem partium, c. nos in quenquam. 2. q. 1. 3. Per instrumẽta iuris præsumptione debita solennitate confecta, c. omne, extr. de fide instr. 4. Per euidentiam facti, c. de manifesta, 2. q. 1. Vt si clericus habet paruam filiam ex hoc probatur, virginitatem & continentiam non fouere, c. priusquam, dist. 28.

5. Per

5. Per præsumptionem, per totum, extr. de præsump. vt si sæpè inuenitur solus cum sola, in loco secreto & sunt personæ suspectæ, præsumitur fornicatio, c. literas, extr. de præsumpt. Vera tamen probatio præsumptionem vincere dicitur, c. fin. extr. de præsump. 6. Per famam cum alijs probationibus, c. tertio loco, extr. eod. 7. Per iuramenti delationem factam à parte parti, c. fin. ext. eod. vel factam à iudice alicui litigantium, putà, quia semiplenè probauit, c. 2. ex. eod. &, c. ex insinuatione, extr. de procur. 8. Per libros antiquos, & per scripturas antiquas in lapidibus, vel columnis sculptas, c. cùm causam, extr. eod. c. peruenit 30. quæst. 1. 9. Per literas sigillatas sigillo Episcopi, c. post cessionem, extr. eod. c. curæ, 11. quęst. 3. Item sigillo Legati, Cardinalis, Abbatis, Capituli, vel Conuentûs, c. tertio loco, extr. eod, c. statuimus, 19. quæst. 3. 10. Per denuntiationem publicarum personarum. 11. Per communem opinionem. 12. Per iudicia indubitata, c. excommunicauimus, extr. de hæret. Quarum probationum species vsitatiores his versibus continentur:

Aspectus, cultum, testis, notoria, scriptum,
Iurans, confessus, præsumptio, fama, probabunt.

Et habent prędicta locum in probatione facti, probatio verò iuris per leges, canones, consuetudines interdum directè, interdum per argumenta fieri debet, Specul. tit. de disputationibus.

Quæ est causa Efficiens?

Est, ipsa lex, accedente iudicis præcepto, præcipiens probationes afferri tam ab Actore, quàm à Reo, cum distinctionis quodam moderamine.

Primò enim Actori incumbit, vt intentionem ſuam probet, qua non probata, Reus, etiamſi nihil præſtiterit, abſoluitur, l. qui accuſare, C. de edendo, l. actor, l. ſi ſcriptum, C. de probat. Quòd ſi, productis probationibus actoris, Reus excipiat, pari ratione, illam exceptionem probare tenetur. Quia excipiendo Reus etiam Actoris vicē ſubit, c. in exceptionibus, ff. eod. c. inter memoratos, 16. q. 4. Sunt tamen quędam à Doctoribus hîc notata, quæ, etiam nō probata intentione Actoris, onus probandi in Reum transferunt. Primū eſt, exceptio, putà: peto à te decē, tu excipis, quòd ſoluiſti: vel peto fundum, quem probo meū: tu excipis de præſcriptione, & ſimilia. Sanè his caſibus in Reum transfertur onus probandi, quia excipiendo fit actor, c. ex literis, extr. eod. c. auditis, extr. de præſcrip. Et hoc verum eſt, cùm Reus excipiendo aliquid aſſeueret: ſecus eſt, ſi excipiendo neget; vt patet in exceptione non numeratæ pecuniæ. Quia ea à Reo propoſita, Actor numerationem probare tenetur, & non Reus exceptionem, l. ſi ex cautione, C. de non num. pec.

Secundum eſt, præſumptio pro Actore, quæ transfert onus probandi in Reum, c. contra morem, 100. diſtinct. Vnde, ſi aliquid relictum ſit Epiſcopo in teſtamēto ab extranea perſona, præſumitur intuitu Eccleſiæ ſibi eſſe relictum. Quāuis igitur ipſe ſit in poſſeſsione, & neget ille, ad Eccleſiam pertinere, tamen probare debet ſibi ſoli eſſe relictum, c. pontifices, 12. q. 3.

Tertium eſt, ſpōtanea probationis aſſumptio; ſi enim reus velit onus probandi ſubire, mos ei gerendus eſt, vt, volens probare, admittatur, c. 1, extr.

1. extr. de restitut. spoliat. c. cuius rei causa, 29 quæst. 2.

Quartum est, iuramenti delatio: Si enim iudex Reo deferat iuramentum suscipere debet ipsum, quod præstitum loco probationis habetur, c. dilectio, 16. quæst. 4.

Quintum est, Actoris priuilegium: nam qui repetit tanquam indebitum, tametsi repetens sit priuilegiata persona, putà, pupillus, vel minor, vel miles, vel agricola, Reus probare tenetur, se debitum recepisse.

Sextum est, delictum: siquidem, si Reus, à quo debitè solutum repetitur, negat se ab Actore pecuniam recepisse, certè Actore solutionem probante, Reus necesse habet probare postea sibi debitum recepisse, c. fin. extr. de solut.

Septimò, in duplicibus & communibus iudicijs probationes vtriusque partis admittuntur, c. ex literis, extr. eod. l. in his tribus, ff. de iud.

Octauo, cùm vterq; se asserit possidere, eamq; possessionem probat, c. licet extr. eod.

Nonò, in crimine falsi & læsæ maiestatis, & in sacramentis desertis, & proditione patriæ & crimine peculatûs, vtriusq; testes admittuntur, c. vbi, extr. de fal. c. quid ergo, 23. q. 4. Denicq; negatiua habens in se implicitam affirmatiuam à Reo probari debet.

Quod Obiectum probationis?

Obiectum probationis est affirmatiua facti incerti vel negatiua iuris propositio; si-

ue in modum actionis, siue exceptionis, siue replicationis in iudicium deducatur. Factum enim incertum, quod affirmatur, probari debet: non autem, si certum sit, vel si ius affirmetur. Nã quæ certa sunt, vel per sententiam, iuramentum, vel transactionem definita, vel si ius affirmetur, nulla est opus probatione, Bald. in addit. ad Specul. titul. de test. §. nunc videndum. Pari ratione, negans factum onere probandi non est grauandus, cùm negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio, c. bonæ, extr. de elect. Negatiua tamen iuris: quæ nihil aliud est, quàm cùm negatur aliquid iure factum esse, vt, iuris solennitatẽ abfuisse: vel negatur concedi, quod iure communi cõceditur: vt, aliquẽ emancipare, matrimoniũ contrahere, adoptare, testari posse: ab opponente probari debet. Sed cur Negantis incumbit probatio, & non neganti factum? Respondetur, Quia præsumitur contra negantem ius. omnia enim præsumuntur licitè, & debitis solennitatibus confecta esse, nisi contrarium probetur, c. aliud, 11. q. 1. sed contra negantem factum, nulla est præsumptio, nisi in casibus suprà recensitis, quibus Reus etiam factum negans probationis onus subit.

Quæ Forma?

Quòd si per responsionẽ ad positiones non est ponentis intentio probata, lite tamen purè contestata, debet iudex partibus terminum 15. dierum, pro prima dilatione, vel vnum mensem, pro prima, secunda, & tertia dilatione sta-

ſtatuere(quarta enim dilatio abſque ſolennitate legali,cuius forma extat apud Specul. tit. de teſte,§.qualiter autem)non dabitur, Specul.tit. de probat.§.1.lib.2.par.2.Et,ad productionem teſtium in termino faciẽdam,aduersùs partem, citare etiam debet iudex,vel is,cui id negotij à iudice cõmiſſum eſt.Et cùm ſententia debeat eſſe cõformis libello, ſequitur non ad impertinentia quædam narrata,ſed potiſsimùm omnem probandi rationem ad ius ipſum agendi,quod neceſſariò ex narratione libello compræhenſa fluit, eſſe dirigendam.Sicuti igitur Actori,poſt litis cõteſtationem(antè enim ignoratur,an Reus negaturus vel confeſſurus ſit?) ad probandam ſuã intentionẽ terminus aſsignatur: ita etiam Reo,ad fundandam ſuam exceptionem. Diſtingue tamen:aut exceptio peremptoria eſt, aut dilatoria ſolutionis vel pacti,aut dilatoria,& declinatoria iudicij.Si peremptoria,eam Reus proponere & probare,quandocunque ante ſententiam; ſcilicet,poſtquam Actor fundauerit intentionẽ ſuam:poteſt,c.ex tenore,&,c. præſentium, extr. de teſtib.Si verò dilatoria ſit exceptio ſolutionis, vel pacti, opponi debet ante litis cõteſtationem, &probari,poſtquam aduerſarius fundauerit intentionem ſuam, c. inter monaſterium, extr. de ſententia & re iud.Sed declinatoria iudicij, quã quis ſibi competere ſciat, obijcienda & probanda ante litis conteſtationem erit, l. fin. C. de except.ſecus:ſi ignoret,eam ſibi competere. Eo.n. caſu,etiam poſt ſententiam, opponi poteſt, l. licet,C.de procurat.Nota etiam, quòd ijs caſibus, quibus neq; libelli oblatio, neq; litis conteſtatio

requiritur quod contingit, si simpliciter, & citra solennem iudiciorum ordinem proceditur: quocunque tempore ante sententiam probationem fieri posse.

Quis Finis & Effectus?

Vt iudex probationibus instructus, & de causæ controuersia edoctus, secundùm allegata, etiã postposita priuata conscientia, sententiam ferat. Debet enim, vt inquit Clemens III. c. in præsentia, extr. de renunciatione, ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius præsentia proponuntur, formare animi sui motum: & tanta sit iudicialis auctoritas, vt semper pro iudice præsumatur, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur.

Quæ Cognata?

Confessio, communis opinio, iudicia indubitata, euidentia facti, iuramentum, præsumptio iuris, & fama.

Quæ Adiacentia?

Totus processus examinandorum testium. Vt sunt commissiones, dilationes, productiones testium, adiunctio Notarij, exhibitiones interrogatoriorum, exceptiones, replicatio, & rotulus examinis, &c.

Quæ Pugnantia?

Actoris probationi contrariatur quandoque diuersa probatio Rei, vitium formæ & materiæ pro-

probationis condicio: vt, si legitimam personam in iudicio stándi non habeat, & contradictio in probationibus inuẽta Dd. in l. vbi repugnantia, ff. de reg. iuris.

AXIOMATA.

Actore non probante, Reus, etsi nihil præstiterit, absoluitur, c. fin extr. de iurei.

Negantis factum per rerum naturam nulla est directa probatio, c. bonæ, ext. de elect.

Negatiua facti pura simplex, & indeterminata, quæ nõ habet determinationem temporis, loci, vel alterius rei probari non potest, quia nullæ sunt negationum causæ, c. iurauit, extr. de probat.

Negatiua facti determinata, scilicet habens determinationem loci vel temporis probatur, saltem indirectè, c. ex tenore, extr. de testi.

Præsumptio pro Actore transfert onus probandi in Reum, c. contra morem, dist. 100.

Probatione per instrumentum facta, præsumendum est, debitas solennitates præcessisse, per totum, ext. de fide instru.

Probatio semper facienda est contra producentem, c. in præsentia, de probat. glo. in c. cùm clamore, ext. de test.

Probationes in vno iudicio facta fidem faciunt in alio: & etiam facta coram arbitro fidem faciunt coram iudice, & econtrà. Ratio est. Quia iudicium dignius est arbitrio, & acta perpetua sunt, Spec. §. fin. eod. tit.

Probato vitio falsitatis rescinditur sententia, & omnia quæ ex ea sequuntur.

Cui-

Cuilibet in arte sua credendum est, cap. proposuisti, extr. eod.

Post quartam productionem, aut post publicata testimonia non est probatio admittenda, vt nec post conclusionem in causa: nisi in criminalibus ad probãdam defensionem, vel Rei innocentiam, gloß. in c. sæpè, extr. de verb. signif.

In contrarietate testium plerunq; maiori & digniori parti creditur, c. licet causam, extr. eod.

Contrarietas probationum omnem fidem documentis derogat, l. scriptura, C. de fide instrum.

Vbi ex conuentione, citra solennem iudiciorum ordinem, litigatores procedunt, possunt etiam ante libellum probationes fieri, Bal. in l. diffamari, C. de ingen. manu.

In communi iudicio Actor & Reus probare tenentur, & si pariter probant, Reus absoluitur, nisi fauorabilem causam foueat Actor, cap ex literis, extr. eod.

Non creditur marito adserenti etiam cum iuramento, vxorem se cognouisse, si vxor per matronas attestantes, per ipsius corporis aspectum, probat contrarium, cap. proposuisti. extr. eod.

Nec falsitas veritati præiudicare, nec iniquitas aquitati præualere, debet, c. quoniam, extr. eod.

Si Actor & Reus in interdicto retinendæ possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maximè iustificatam, vel meliores probationes, respectu possessionis, adduxit, c. licet causam, extr. eod.

Si rogatus restituere totam hæreditatem, eo sine liberis decedente intret monasterium, euanescit fidei commissum,

missum,& hæreditas applicatur monasterio, c.in præsentia,extr eod.

Iudex non semper ad vnam speciem applicat mentem suam: sed ex confessionibus,depositionibus, allegationibus, & alijs,quæ in præsentia eius proponuntur, formare debet animi sui motum,c.in præsentia, extr. de renuntiatione.

Quòd traditur,probationes imperfectas coniungendas esse,vt faciant plenam probationem, hoc verum est, quando probationes tendũt ad vnum finem,non aũt,si ad diuersum,Felin.c.cùm causam, extr. de probat. siue sint eiusdem generis,vt est in duobus testibus, siue diuersi, vt vnus testis cum fama,Mynsing.obser.100.cent.2. Nisi tales probationes coniungendæ essent in sua specie imperfectæ,putà,si fama probetur per vnum testem,& fuga probetur per alium testẽ,tunc non coniunguntur,cùm quodlibet iudicium requirat duos testes, Abbas in c.transmissa,extr.qui filij sint leg.

Probationes non coniungantur, quando repugnant in modo,licet conueniant in fine,l.vbi pugnantia, ff. de reg. iuris.

Plures imperfectæ probationes regulariter in criminalibus non possunt coniungi ad faciendam probationem plenam,& perfectam.quod verum est,si in causis criminalibus ad pœnam corporalem, siue effectum puniendi, agatur:secus si tantùm ad effectum torquendi,vel inquirendi aut suspendendi,Mynsing.obser.33.cent.5.

Si testes varient in circunstantijs, an sint singulares? Distinguit Speculator,tit.de teste,§.iuxta,de interrogatorijs,num.13.Si tempus & locus sint de substãtia actûs,

ita

ita quòd ex temporis & loci varietate veritas causæ variet, tunc testes in tempore & loco singulares non probãt. Sin verò ad substantiam actûs, ad articulum causæ principalis, tempus & locus non sint necessaria, singularitas in huiusmodi qualitatibus testibus non nocet, & dicit Bald. in l. actor', C. de probat: quòd si eadem veritas reluceat, tunc procedit ratio concordiæ in testibus singularibus, licet variis medijs percepta.

DE TESTIBVS ET ATTESTATIONIBUS.

Titulus XX.

Continuatio.

INter omnes probationum species efficacior est illa, quæ fit per testes, quorum fides ad alicuius rei dubiæ confirmationem inuocatur, c. illud, extr. de præsumpt.

Qui sunt Testes?

Testes appellantur personæ, quarum dictis & testimonio Actor vel Reus ad fidem alicuius rei fauendam vtitur, Socin. conf. 39. num. 10. vol. 1.

Quæ causa Efficiens.

Admissio, citatio & coactio iudicis. Hoc enim generale est, omnes, quibus non specialiter interdicitur testimonium, neq; qui vlla lege à dicēdo testimonio excusantur admittendos, citandos, & cogendos esse, l. 1. ff. eod. Spec. de test. §. 1. nu. 96. Sunt autem quidam, etsi à parte in iudicio quasi testes nominati sint, tamen ex causa non admitten-

tentur, vel, si admittantur, tamen non citantur, & si citentur, tamen quandoque ad perhibendum testimonium non coguntur. Circa primũ nota versus in Hostiens. §. quis possit, eod.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Fortuna, fides, in testibus ista requires.

Primò igitur conditio impedimẽto est, quò minùs quis ad testimonium dicendum admittatur: vt seruus in dominum; nam sæpè seruus metu dominantis supprimit veritatem, c. forus, ext. de verb. significatione; nisi alijs probationibus deficientibus: tum enim cum tormentis admittitur, 4. quæst. 3. Sexus: repellit mulierem à testimonio in criminali & testamento: non autem ciuili vel criminali; quod ciuiliter intentatur. Et ratio est. Quia varium & mutabile semper est mulier: nec præsumitur firmum aliquod & constans testimonium producere, c. de crimine, 15. q. 3. &, c. forus, §. vlt. extr. de verb. sig. Admittitur tamen secũdùm Canones, si de crimine ciuiliter (vt dixi) vel in modum denuntiationis, vel inquisitionis seu exceptionis, agitur etiam particeps criminis & contra clericos, c. quoniam, &, c. tam literis, extr. eod.

Aetas: causa est prohibitionis testimonij ferendi in pupillo, l. 2. ff. de testi. nisi agatur de crimine læsæ maiestatis: tunc enim de minore 14. annis quæstio haberi poterit, eiusq; testimonium admittetur, l. de minore, ff. de quæst. Alioqui minor viginti annis in causa criminali testis esse non potest, l. in testimonium, ff. de testibus: Sed nunquid pupillus factus pubes possit testificari de his, quæ vidit in pupillari ætate?

crebrior opinio est, quòd possit, secundùm glos. super verbo contigerit, in l. ad testium, ff. de test. & glos. super verbo, neq; impubes, §. testes autē, inst. de test.

Discretio: in testimonijs desiderata, repellit furiosos, mēte captos, & huiusmodi homines mentis sensu priuatos, c. quia non sentit, 3. q. 7. c. vlt. extr. de succes. ab intest.

Fama: impedit admissionem infamium. Vt sunt damnati publico iudicio, qui, ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse iudicati conuictiq; fuerint, damnati repetundarum, aut, ob crimen famosum, aut calumniam, aut adulterium, ob vitæ turpitudinem senatu moti, hæretici, mulier, quæ corpore quæstum palàm facit fecerit q;, & omnes infames, quos leges seculares infames esse asserunt, & lex Iulia iudiciorum publicorum à perhibendo testimonio arcet, c. constituimus, 3. quæst. 5. & l. 3. ff. eod. Nonnunquam tamen hæreticorum testamentaria testimonia, & quæ in vltimis elogijs, vel cō tractibus cōsistunt admittuntur, propter vtilitatem necessarij vsus, ne probationum facultas angustetur, l. pen. C. eod. Denique, ratione consanguinitatis testimonij ferendi extat prohibitio: vt est inter personas ascendalis lineæ, & proximiores collaterales, sub quadam distinctione, vt ex sequentibus patebit, pater enim in testimonio filij de peculio testantis testis esse potest, similiter & frater, l. qui testamento, ff. de testamento. Parentes quoque, fratres & cognati vtriusque sexûs in testifitatione suorum, ad matrimonium coniungendum vel dirimendum, ad-

admittuntur. Nec obstat quòd dicitur, patrem filio, vel filium patri, idoneum testem esse non posse, l. testis idoneus, ff. de test. Hoc enim in criminalibus causis & contractibus obtinet, non autem in matrimonio coniungendo, vel disiungẽdo, ex ipsius coniugij prærogatiua. Atqui hoc à fratribus distinguũtur parentes & liberi, quòd parentes vtriusq; sexus & liberi, siue volentes, siue nolentes, pro se vel aduersùm se prohibeantur testimonium dicere, l. parentes, C. de testibus: Frater aũt contra fratrem, nec in ciuili, nec in criminali causa testimonium dicere cogitur. Volens autem contra fratrem testificari in nullo iudicio repellitur; lex enim Iulia solùm dicit, non cogi inuitos, volentes autem non prohibet, l. lege Iulia, ff. de testibus. Quòd si autem frater pro fratre testificari velit in criminali causa, nõ, nisi in defectum aliorum testium, admittitur, Panor. in c. cùm dilectus, extr. de elect. sed in ciuili indistinctè testimonium fert: nisi vterq; fratrum sub vnius sint potestate cõstituti, aut communi victu ac vitæ consuetudine vtentes vnà degant, eisdemq; ædibus commorentur, l. 2. C. eod. Eo enim casu domestici & familiares sunt, quorum testimonium iure ciuili improbatur, c. in literis, extr. eod. l. 2. C. eod. Familiæ appellatione, omnes, qui in seruitio sunt, continentur, etiam liberi homines bona fide seruientes. Vel qui in potestate sunt, vel qui cum illo, à quo producuntur: commorantur, secundùm glos. c. 1. 3. q. 5. c. insinuante, extr. de off. iud. deleg. Domestici dicuntur, seruus, colonus, adscriptitius, familiaris, libertus, & mercenarius, qui operas

ſuas alicui locat, l. vlt. §. ſanè enim, C. de his qui ad Eccleſ. confug. l. reſpiciendum, §. furta domeſtica, ff. de pœnis. Ob probationis tamen inopiam & difficultatem, etiam horum teſtimonium quandoq; recipitur, Pan. in c. fin. extr. eod.

An autem ſubditi teſtes eſſe poſsint in cauſa Principis, cuius poteſtati ſunt ſubiecti? Et videtur quòd non. Quia idonei non ſunt teſtes, quibus imperari poteſt, vt teſtes fiant, l. idonei, ff. de teſtibus. Nam & tales teſtes ſunt adhibendi, qui omni gratiæ & potentatui fidem poſſunt præponere, l. 4. C. de teſtib. Tamen propter vtilitatem neceſſarij vſus, & ne probationum facultas angu ſtetur, Rex, Dux, Comes, cæteriq; iuriſdictionem habentes ſubditos ſuos in teſtimonium producere poterunt. Quia perſæpè huiuſmodi perſonæ aliter quàm per ſubditas probare nequeunt. Et licet idoneus teſtis, cui imperari poſsit, vt teſtis fiat, non reputetur, d. l. idonei: tamen illa obtinet in eo, cui imperari poteſt, ratione dominicæ vel patriæ poteſtatis: non autem in eo, cui imperari poteſt, ratione iuriſdictionis tantùm, &c.

Quid aũt, ſi cauſa reſpiciat commodum publicum & in conſequentiam teſtium productorum priuatum? Et communis Doctorum opinio eſt, admitti poſſe, ſi alij teſtes haberi non poſsint. Quia hîc non conſideratur, quid in conſequentiam veniat, ſed quô cauſa directò reſpiciat, Lãt. in c. quoniam, ver. teſtium, num. 76. & 77. extr. de probat. Textus autem in l. nullus idoneus, ff. de teſtibus, intelligitur, quòd nemo in re ſua priuata, vel cuius commodum & vtilitas ad ſe directò ſpectat, teſtificari poſsit: vt ſunt, ſocius omnium bo-

bonorum, vel eius rei, quæ petitur, & super qua testimonium ferendum est, commune enim esset lucrum: socius & particeps criminis, quia absolutio vnius alteri prodesset, l. quoniam liberi, C. de testibus: Actor, Reus, quorum causa agitur: debitor, venditor, ad quem periculum euictionis redit: patronus, iudex, procurator, executor, quibus etiam connumerãtur, qui de domo producentis producuntur, Spec. tit. de test. §. 1. Dd. in l. omnibus, C. de testibus.

Ex illis autem, qui admittuntur, non aũt euocãtur, sunt, valetudinarij, senes, vel debilitate cõfecti, aut paupertate laborantes, vt nõ possint ad iudicis præsentiam adduci, & illi non sunt euocandi, sed ad testimonia eorum audiẽda, & dicta recipienda, idoneas personas mittet iudex, c. si qs testiũ, extr. eod. ita & ius ciuile ad personas egregias, eosq; qui valetudine impediuntur, domum mitti iusiurãdum statuit, l. ad personas egregias, ff. de iurei. Item, si testes, illius iudicis iurisdictioni, vbi causa agitatur, non sint subiecti, per subditum iuris citandi, & examinandi sunt. hoc est, admittit quidem iudex causæ, suæ iurisdictioni non subiectos testes, sed quia extra territorium vel iurisdictionem ius dicenti impunè non paretur, l. extra, ff. de iurisdict. ipsos non citat, sed requirit iudicem loci, vbi testes degunt, vt testes examinet, atque recipiat. Alij verò: qui, licet admittantur, & citari possint, vt veniant testimonium perhibituri, inuiti tamen non coguntur: sunt senes, valetudinarij, milites, vel illi qui cum magistratu Reipublicæ causa absunt, vel quibus venire non

licet,l.inuiti, ff. eod. Senes intellige maiores 70. annis; illos enim onere publicorum munerum lex eximit,l.3.ff.de iure immunitatis.Inuitos testimonium non dicere asserit Vlpi. publicanos, qui quid à fisco cõductionis titulo acceperint,& eos, qui quid exercitui præbendo conduxerint, vel non detrectandi testimonij causa, aberint,l. inuiti,ff.de testibus.

Contra illos etiam consanguineos,qui lege Iulia continentur, omnes excusantur,ne inuiti ad dicendum testimonium cogantur:vt sunt,aduersùs socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, & eorum liberos, vel, qui his propiore sanguinis nexu iunguntur, (quam excusationem putat VVesenbec. hîcusq; in sextum vel septimum gradum extendi.)Item in patronum libertum,virũ,vxorem, illorumq; liberos,l.lege Iulia,ff.de testi.

Et hæc iure ciuili obtinent, iure aũt Põtificio multę personæ ex illis,in veritatis eruendæsubsidiũ,ad dicendum testimonium compelluntur: scilicet,seruus,socius,mulier,& illi, qui necessitudine sanguinis sibi inuicem sunt deuincti, parentibus & liberis,ob iuris fictionem,quâ prona persona habentur, alij q; vt iuris absurditas euitetur,exceptis,l.fin.C.de impub. sub. c. venerabilis, Canonistæ in c.1.&,c.cæterùm,ext.de testib.cogend.c.peruenit, extr.de test. cog. Spec. § penul.nu.2.tit.de teste.

Quod est Obiectum?

Factum ipsum ciuilium & criminalium causarum,nõ autem ius,quod ex ipso facto oritur,

Et

Et consuetudo, quæ legis vim habet: ea enim aliter, quàm per testes, probari non potest, c. testimonium, extr. eod. &, c. 2. eod. in 6. Quoniam testes super articulis, qui ex substantia & corpore ipsius libelli, quò ad ipsum factum attine, tdesumuntur, ad eliciendam veritatem examinantur. Nec ius articulis comprehendi debet, cùm ad articulum iuris nemo respondere obnoxius sit, multò minùs igitur super tali testis producendus & examinandus, Mynsing. obser. 88. cent. 5. secus est in positione super consuetudine, huic enim responderi debet. Ratio est. Quia, licet consuetudo vim legis habeat, & sic ius statuere dicatur, ipsa tamen quò ad actus ad inducendam consuetudinẽ requisitos multum facti habere intelligitur, c. ad Apostolicę, &, c. in aliquibus, ext. de decimis. Bal. l. 1. ver. super statuto, C. quę sit long. consuetudo, glos. c. 2. ext. de consuet.

Quæ Forma?

Forma hîc considerari potest, vt consistat in recipiendis, producendis, & examinandis testibus, publicandis attestationibus.

Quæ Forma recipiendi & producendi Testes?

Regulariter, lite non contestata, non proceditur ad testium receptionem, &, si recipiantur, frustratorius redditur processus: nisi cùm timetur de morte vel absentia testium, vel ad æternam rei memoriam, ne veritas occultetur & probationis copia subtrahatur, vt notatur in c.

quoniam, extr. vt lite non conteſt. Quo caſu ſi à parte Actoris, lite non conteſtata, teſtes fuerint recepti, eorum dicta in publicam ſcripturá rediguntur, nec partibus publicabuntur, donec lis fuerit conteſtata, & alij teſtes inducti. Verùm, cùm Reus citatus in iudicio adeſt, Actor verò contumaciter abeſt, tunc teſtes Rei recipiuntur, lite non, conteſtata & publicantur, ferturq; ſententia, Specul. titul. de teſt. §. nunc tractemus, numer. 5. Iudex igitur, articulis, ſuper quibus teſtes examinari debent, libello congruentibus acceptis, terminum, intra quem producens producat ſuos teſtes, aſsignet: intra quem ſi omnes non produxerit, ſecundum ſtatuat, vel etiam, ſi opus fuerit, tertium. quartam autem dilationem, ad productionem faciendam, abſque ſolennitate legali, non concedet. Quæ talis eſt: vt, præſtito à litigatore ſacramento, quòd nec ipſe, nec quiſquam omninò ſuorum, putà, aduocatus, vel procurator, teſtificationes explorârit, quodqúe nulla doli aut calumniæ, ſed neceſſariæ probationis cauſa, quartam dilationem petat, Spec. titul. de teſte, §. qualiter autem, &, c. vltra, &, c. in cauſis, extr. eod. Terminus autem productionis teſtium erit ſpacium ſex ſeptimanarum, intra quod ſpacium termini præſtituti loco conceſſum, iudex, vel is, cui examinatio teſtium commiſſa eſt, teſtes iudicialiter admiſſos, ad locum & diem certum citet, illudqúe, admiſsis ſimul articulis probatorijs & nominibus teſtium aduerſario denunciet, certificet producentem. Qui ſi ſtatuto die compareat, preſente aduerſario vel, eo

eo contumaciter absente, legi nomina testium, eosq; prestito veritatis iuramento, ad totam causam examini subijci petat. Post hæc iudex, vel is, cui id negotij commissum est, facta de exceptione contra testes producenda solita protestatione, & interrogatorijs per se, vel per procuratorem ab aduersa parte non producenti sed iudici exhibitis testes recipiat, atq; præstationem iuramenti imponat. Quæ quidem, ad euitandam prescriptionem, quæ produtenti obesse possit, intra terminum productioni præstitutum, expediri debent: licet post terminum testes sigillatim examinis rigori subijciantur, c. quanquam, 14. q. 2. c. vidua, 20. q. 1. c. inducia, 3. q. 3. l. penu. C. de testibus.

Quæ Forma examinandi testes?

Præuia citatione, & iuramento, de dicenda veritate, à testibus exacto, iudex sigillatim cuilibet testium præstiti iurisiurandi memoriam refricet, eiusq; grauitatem & periurij pœnas explicando, ne se huiusmodi pœnis & maledictioni subijciant, admoneat, super omnibus articulis à producente oblatis (nisi aliud placeat) & interrogatorijs ab aduersario iudici exhibitis, adiuncto tantùm notario, qui omnium dicta consignet, à quolibet seorsim, & secretò veritatem exquirat, c. venerabili, extr. eodem, c. nuper nobis, &, c. significauit, eodem. Examinet de omnibus circumstantijs: videlicet de causis scientiæ, persona, loco, tempore, visu, auditu, credulitate, fama & certitudine. Debet enim testis dicti sui, & scientiæ causam

in medium proferre, si de hoc fuerit interrogatus, nam solam testationem prolatam, nec alijs legitimis adminiculis causam probatam, nullius est momenti. Causam autem scientiæ assignabit per illum corporis sensum, quo percipitur id, de quo interrogatur, vt visum, auditum, vel alium. Imò etiam de minutissimis circumstantijs, de vestitu, de vestium colore, cæterarumq; rerum exactissima qualitate indagabit: vt scilicet explorare possit, num suspectorum testium dictis fides adstipuletur. Oportet enim iudicantem cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, 3. q. 5. secundùm glos. in ver. ex tempore, §. in testibus, 4. q. 3. & glos. super ver. causam, §. licet dudum. Postquam iudex testem examinauit præcipiet ei, ne alteri partium quicquam illorum, quæ dixit ante publicationem reuelet. Nota etiam, quòd iudex si articulos, & interrogatoria impertinentia aduerterit, illis reiectis, super eo, in quo cardo principalis negotij consistit, testes examinare possit, si tamen in tota causa iuratum sit, Ioannes An. in c. præsentiũ, eod. in 6.

Quæ Forma reproducendi Testes?

Si producens eosdem testes, ob examinis obscuritatem, vel nullitatem, reproducere, vel alios super eisdem articulis inducere velit, hoc ei, intra terminos tribus productionibus vel dilationibus datos, cum obseruatione horum, quæ obseruanda in productione notaui, conceditur, l. repeti, ff. de quæst. c. constitutus, c. cùm clamor, &, c. per tuas, extr. eod. Si tamen nulla causa

causa obscuritatis, vel nullitatis, subsit, tanquam suspectus reproducere testes volens repellitur: nisi super nouis articulis dependentibus ex veteribus reproducantur. Manifesti enim iuris est, ante edita testimonia, vel didicita testificata, licere alicui trinas productiones intra terminum à iudice productionibus præstitutum facere. Quarta autem productio absque solennitate legali, vt dixi, nō permittitur, c. cùm clamor, &, c. 2. ext. eod. Spec. §. 1. num. 72. §. satis, num. 3. c. vltra, extr. eod. c. in causis, &, c. seruasti, extr. eod. Quod non tantùm de diuersorum testium productione, sed etiam eorundem testium reproductione, causa æquitatis ita suadente, accipiendum est.

QVÆSTIO.

An examen Testium alteri committi possit? Et quæ forma constituendi Commissarios, atque Commissionis?

Iudex potest committere examinationem absentium testium, iudici illius territorij, sub quo testes degunt, & mandare partibus, quòd coram eo compareant: & hoc, siue testes ab Actore, vel Reo, ad probationem positionalium, vel defensionalium, aut alicuius instrumenti probationem producantur, per tex. in l. iudices, C. de fide instrumentorum. Sed, ex communi iudiciorum vsu Commissarij à partibus nominantur, nominati plerunque deputantur, vel in eorum

locum, si ex iustis causis suspecti allegantur, nec idonei iterum nominẽtur, ex officio alij conceduntur, cum potestate adiungendi notarium non suspectum, c. statutum, §. insuper, §. assessorem, §. notarium, de rescrip. in 6. Articuli, super quibus testes examinandi sunt, vnà cum commissione Commissario transmittuntur, qui postea partem aduersam, ad dandum sua interrogatoria, si velit, & ad videndum iurare testes: præterea ipsos testes, ad testimonium in loco & tempore commodo perhibendum, citare debet, c. 2. extr. de test. & glos. ibidem in verb. testibus & Panormita. num. 10. Si citati comparere nolint, mandatis pœnalibus eos coërcebit, tot. tit. extr. de testib. cogend. Quòd si compareant iuramentum veritatis illis deferet: testis enim iniuratus nullam fidem facit, cùm tota substantia depositionis testium in iuramento consistat, c. licet, ext. eod. Licet quandoq; partium consensu & voluntate hoc iuramentum remittatur, & potissimùm, si testes sint personæ illustres, aut in aliqua dignitate, vel officio publico, constitutæ, c. in tuis, extr. de testibus. Et est ratio. Quia iuramentum testis, respicit fauorem partis, contra quam producitur, vt scilicet veritatem dicat, nec est substantialis solennitas, ideò valet renunciatio, c. si diligenti, extr. de for. comp. Iuramento autem veritatis præstito, & examinatis, secundùm formam suprà præscriptam, testibus, ijsdemqúe silentio imposito, Commissarius rotulum, siue attestationes partibus non communicat, sed suo sigillo obsignatum ad committentem transmittit, c. cùm clamor, extr. eod. co-

ram

ram quo posteà, ad instantiam partium, publicatio facienda est. Et sciendum, quòd commissiones, vt plurimùm in communi forma, putà: ad recipiendos testes tantùm: rarò in optima forma; id est, ad recipienda & transumenda instrumenta; decernantur. Sub communi autem forma ocularis inspectio comprænditur, hoc est, vt Commissarius rem oculis subijciat, & in rem præsentem eat.

Quæ Forma publicandi testium dicta, siue attestationes?

Testibus productis legitimè examinatis, debent partes vlteriori testium productioni, post terminum lapsum, renuntiare, quæ renuntiatio loco conclusionis est: & producens petere vt eorum attestationes publicentur. Quòd si & aduersarius in publicationem consentiat, nec producentis petitioni aliquam exceptionem obijciat: vt putà, quia ab his, quibus testium examinatio commissa fuit remissionem non esse factam, vel se omnes suos testes nondum produxisse: iudex, præsentibus partibus vel contumaciter absentibus, ipse legat, vel p̃cipiat alteri, vt legat publicè in iudicio dicta testium in tali causa receptorum. Absque aũt contumacia, altera parte absente, publicari non debent, ob protestationes in actu publicationis consuetas, quibus pars absens & non citata vti posset, Spec. §. satis vtiliter titul. de test.

Qui

Qui sunt Publicationis Effectus?

Primus est: Quòd, publicatis attestationibus nihil obijci potest in testium personas, nisi tribus casibus in c. præsentium, extr. eod. notatis: 1. Si iuratur, id ex malitia non fieri. 2. Si quis ante publicationem protestatione sibi in personas testium obijciendi facultatem reseruarit. 3. Quando ostẽdere potest, se, post publicationem, quod obijcere vult, didicisse.

Secundus effectus: Quòd, attestationibus publicatis, non liceat super eisdem, seu directò contrarijs articulis alios, vel eosdem testes in principali causa producere. Excipit Specul. multos casus: 1. Si inter alias personas agatur, c. constitutus, extr. eod. 2. Si sit diuersus modus agendi, c. veniens, eod. 3. Si sit nouus articulus diuersus, pendens ex veteri, c. fraternitatis, ext. eod. 4. Si primæ attestationes sint amissæ. 5. Si mutatur iudicium, & is velit, contra quem producuntur testes, c. præsentata, extr. eod. 6. Si obscurè & nulliter deposuerunt, d. c. cùm clamor. 7. Si examinatio super quibusdam articulis fuerit omissa. 8. Si in causa matrimoniali, c. series, eod. 9. Si detur in integrum restitutio. 10. In causa appellationis, c. cùm Iohannes, extr. de fide instr. alia enim videtur esse causa. 11. Publicatis testibus, possunt testes reprobatorij produci. 12. Etiam exceptio peremptoria proponi & probari. 13. Si testes sint recepti ad æternam rei memoriam, & publicati secundùm formam, traditam in c. significauit, extr. de testibus, & alia.

Tertius effectus est: Quòd, sicuti attestationi-

bus

bus publicatis, non licet ſuper eiſdem, ſeu directò contrarijs articulis, alios, vel eoſdem teſtes in principali cauſa producere: ſic nec in cauſa appellationis de iure Canonico licet, iuxta tex. in Cle. 2. de teſtibus. Dicunt enim Canoniſtæ, quòd vtrobiq; eadem cauſa ſubornationis ſit timenda: nec obſtare, quòd in cauſa appellationis, non deductum deducere, & non probatum probare, licet. Hoc enim verum eſſe in articulis nouis, qui ex antiquis dependent, quia idipſum etiam in prima inſtantia conceditur, iuxta c. cùm Iohannes, extr. de fide inſtrum. Qui autem dicantur noui articuli? Vide Specul. in §. ſatis vtiliter, num. 7. tit. de teſt. Qui quatuor modis nouum eſſe exiſtimat. Quòd ſi teſtes non ſuper certis articulis editis, ſed ſimpliciter ſuper quæſtione totius cõtrouerſiæ, producti eſſent, poſtea denuò produci non poſſent. cùm enim ſuper tota cauſa generaliter & indefinitè protulerint teſtimonium, nullum poſtea cenſebitur dependens ſupereſſe, ſuper quo denuò teſtes poterint produci, Panor. in c. fraternitatis, extr. de teſt.

Et licet ſuprà dicta iure Canonico obſeruentur, contrarium tamen iure ciuili communi Doctorum opinione obtinere, teſtatur gloſ. in d. Cle. 2. eod. Quòd, ſcilicet, in cauſa appellationis noui teſtes ſuper antiquis vel directò contrarijs articulis admittantur. Quam etiam opinionem Bald. & alij Dd. in l. per hanc, C. de temporibus appellat. firmis rationibus comprobant, eamq; in Camera Imperiali obſeruatam teſtatur Mynſ. obſeruat. 41. cent. 1. licet ſuperiorem in iure Canonico fundatam opinionem veriorem putet,

per

per ea, quæ tradit Gui. pap. decis. 14. & 347. & consilio 37. vers. & ideò salua, in 1. par. Maran. in Spec. iud. par. 6. in 6. actu, num. 22. ver. super tertia quæstione princip. Et latiss. Rol. à Val. cons. 45. num. 8. 14. & 20.

Quæ Forma reprobandi Testes?

Ante testium publicationem, & etiam post, ti dicta, quàm personę testium, possunt per alios testes legitimos reprobari, dummodò id ante sententiam fiat, & ante publicationem de exceptionibus contra dicta & personas testium obijciendis vel reprobatione facienda protestatio facta fuerit, c. præsentium, eod. in 6. c. licet, de probat. & c. 1. extr. de excep. Spec. in §. sæpè testes, tit. de test. Reprobare igitur intendens, dicat, ab aduersario productos testes, esse seruos, infames, criminosos, famosos, falsos, corruptos, vel alio modo illegitimos: quod varijs modis contingere potest, vt notat Specu. in §. 1. tit. de teste. Quæ probanda sunt per instrumenta, vel alios testes, qui reprobatorij dicuntur, d. c. præsentium, extr. eod. c. licet, extr. de simo.

Et potest Reus, contra quem testes producuntur, intra terminum ad reprobandum datum, primò eos per alios reprobare. Item Actor Rei reprobatorios poterit per testes alios reprobare, facta simili specificatione & declaratione criminum contra eos. Vltrà enim neq; Reus neq; Actor audiętur. Quia testes probatorios, & reprobatorios probatoriorum reprobare licet, sed reprobatorios reprobatoriorum non licet, c. licet. dilectus, extr. eod.

Quis

Quis Finis & Effectus?

Vt veritas eruatur,& fides de causa principali iudici fiat. Fidem autē faciunt testes,si in testimonio ꝓhibendo consentiant & concordent. Quòd si contrarij sint, vel diuersi,iudex eos,quoad fieri possit, coniungat. Quoniam etiam testis, licet singularis, per se nihil probet, cùm vni testi fides non sit habenda etiamsi præclaræ curiæ præfulgeat honore, l. iurisiurandi, C. eod. tamen cum alio coniunctus plenam probationem facit. Coniungi autem plures imperfectæ probationes ad plenam fidem faciendam possunt,non in criminalibus,si ad pœnam corporalē,vel effectum puniendi agatur,sed in ciuilibus, si omnes probationes tendant ad eundem finem: siue sint eiusdem generis,vt sunt diuersi testes: vel diuersi generis, vt vnus testis cum fama, Felin. in c. cùm causa, extr. de probat. & Mynsi. obseruat. 100. cent. 2. & obseruat. 33. cent. 5.

Quòd si,ob nimiam discrepantiam, coniungi testes non possint, sed quiuis singulare quid quod cum alterius dicto non conuenit,deposuerit, omnes, etiamsi mille sint, vnico testi,qui fidem nullam per se facit comparantur, c. cùm dilectus, extr. de elect. &, c. licet, extr. eodem. Si verò numero impari plures, pari tamen authoritate præditi, diuersas produxerint sententias, vel ipsum factum, super quo adhibiti, pariter non narrarint, iudex circumspectus & discretus motum animi sui, ex argumentis & testimonijs, quæ rei aptiora esse,

vel naturę negotij magis conuenire, compererit confirmabit. Nec tam ad multitudinem testium, quàm ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potiùs lux veritatis assistit respiciet, c. præterea, extr. eod. c. in præsentia, extr. de renunci. l. ob carmen, ff. eod. Si testium, in authoritate, nulla est paritas, sequetur iudex testes, qui dignitate, fide, constantia, moribus, grauitate, nobilitate, alijs antecedunt. Potiùs igitur credet ingenuo, quàm libertino: seniori, quàm iuueni: honorato, quàm inferiori: nobili, quàm ignobili: masculo, quàm fœminæ: Decurioni, quàm plebeio: honesto quàm infami. magis locupleto, quàm egeno: magis alij, quàm amico vel inimico: veridico, quàm mendaci: moribus honestis prędito, quàm prodigo, vel luxurioso, &c. l. testium, ff. eod. 4. q. 3. d. c. si testes, §. testium, & in nostra, extr. de fide inst. c. forus, ex de verborum sig. c. Ecclesia, extr. de elect. 2. q. 1. c. in primis, 3. q. 5. per totum. Si verò testes Actoris & Rei authoritate & conditione sunt pares, potiùs pro Reo sententia ferenda est; cùm promptiores esse debeamus ad absoluendum, quàm condemnandum, c. ex literis, extr. de probat: Nisi Actor fauorabilior sit Reo. Fauorabilior autem est, si cõsistat pro libertate, dote, testamento, legitimatione, pupillo, vidua, orphano, fisco, Ecclesia, vel aliàs, pro alia re, seu persona fauorabili, l. inter pares, ff. de re iud. c. fin. extr. de re iud. Atqui hoc ipsum fauor, in dubio & in paritate operatur, vt potiùs pro Actore sit pronunciandum: Non autem, vbi ex aduerso plenius probatur, c. nouit, extr. de iud. c. necesse, 3. q. 9. c. quatuor, 11. quæst. 3.

Verùm

Verùm Mynsingerus, obseruat. 38. cent. 4. ad dijudicanda testium pugnantia testimonia tres gradus obseruandos asserit, scilicet: authoritatem personarum, qualitatem testimoniorum, & numerum testium. Primùm: personarum authoritatem & honestatem respiciendam ait: quæ in dignitate, moribus, & grauitate consistit, per l. 2. & 3. ff. de testibus. Secundò: si qualitas personarum par sit inter testes, respicienda esse testimonia, considerandumq; qualia sint: hoc est, quàm verisimilia, quàm naturæ negotij, de quo agitur, conuenientia, l. ob carmen, ff. de testibus. Ponderanda etiam argumenta dictorum testium: hoc est, rationes, quibus dicta testium firmantur, Bald. in l. testium, C. eod. Tertiò: vt si testes, & personarum & testimoniorum fide sint pares, tum demum ad numerum testium recurrendum, per tex. in nostra, vers. mandamus, extr. de test. & l. 3. §. eiusdem quoq;, ff. eod.

Quæ Cognata?

Instrumenta, præsumptiones, fama, aliæqúe probationum species, de quibus suprà, conscientia. vnde dicitur: conscientia mille testes, confessio propria, iuramentum, &c.

Quæ Adiacentia?

Iuramentum, præstatio sumptuum, comparitio, & similia, l. iurisiurandi, &, l. quoniam, C. eodem.

Quæ Pugnantia?

Omnia ea, quibus teſtes ante, vel poſt atteſtationum publicationem, reprobantur, vel, quæ eorum dictis & perſonæ obijci poſſunt: vt qui ſit ſeruus, libertus contra patronum, ſocius criminis, monachus, canonicus regularis, conuerſus, vel alius religioſus, ſub obediẽtia cõſtitutus, mulier, impubes, mutus, ſurdus, furioſus, prodigus, ex interdicto, inimicus, conſpirator, coniurator, parens, filius, fur, raptor, adulter manifeſtus, familiaris domeſticus, excommunicatus, precio corruptus, conſors litis, iudex, aduocatus, procurator, aſſeſſor, executor, actor, vel arbiter in eadem cauſa, verboſus, inconſtans, nullam cauſam dicit, ſciens, pauper, Iudæus, infidelis, gratioſus, adulator, arenarius, vilis perſona, ſubornatus, non cognoſcens perſonas litigantium, rei inſcius, ignarus, accuſatus criminaliter, quòd timore, odio, vel commodo, depoſuerit, quòd ſit cohabitator inimicus, homicida, concubinarius manifeſtus, inceſtuoſus, hermaphroditus, laicus in cauſa criminali contra clericum, clericus in cauſa contra laicum, publicè pœnitens, vltrò ſe ingerens, non rogatus, publicis vinculis vel cuſtodia detentus, ſeruus pœnæ, publico iudicio de calumnia damnatus, quòd ſperet commodum, vel incommodum ex illa cauſa, mendax, conſanguineus, affinis, falſus, redemptus, ſocius non iuratus, quòd eius dicta ſint obſcura, ambigua per ſenſum aliquem, non declarata, negatiua, vacillantia, non congruentia, varia,

ria, præmeditata, compoſita, ad articulos & interrogatoria impertinentia & alia.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Teſtimoniorum vſus frequens & neceſſarius eſt, & ab his præcipuè exigendus, quorum fides non vacillat, l. 1. ff. eodem.

In teſtimonijs dignitas, fides, mores, grauitas, examinanda eſt: & ideò teſtes, qui aduersùs fidem ſuam teſtationis vacillant, audiendi non ſunt, l. in teſtimonijs, ff. eod.

Circumſpectus iudex atq; diſcretus motum animi ſui ex argumentis & teſtimonijs, quæ rei aptiora eſſe compererit, confirmare debet, c. præterea, eod.

Vltra tertiam productionem non debent teſtes vlteriùs produci in cauſa, niſi præſtito ab eo, qui hoc poſtulat, iuramento, quòd neq; per ſe, neq; per alium teſtificata ſubtraxerit, vel fuerit percunctatus, nec per dolum aut artem aliquam, quartam productionẽ expoſcat: ſed, quia, quos deſiderat de nouo producere, priùs habere nequiuit, c. vltra, &, c. ſignifica. extr. eod.

Ob depoſitionis obſcuritatem iterum examinari poteſt teſtis, ex iudicis officio, c. cùm clamor, eod.

Teſti non iurato non creditur, extr. eod.

Atteſtationes receptæ per arbitrum fidem faciunt in iudicio, c præſentata, eod.

Teſtes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare licet, ſed reprobatorios reprobatoriorum non licet, c. licet dilectus, eod.

Personis grauibus fides est adhibenda, d. c. licet.

Post publicationem attestationum ad petitionem producentis repeti testes non debent, nisi quando dolo, vel negligentia examinatorum super omnibus capitulis examinati non fuerint, c. per tuas, eod.

Testificatis non didicitis, vel etiam testium producendorum renunciatione nondum facta, etiam super eisdem articulis testes aliàs producti, produci & repeti, non possunt, c. constitutis, eod.

Si materia antiqui capituli repetitur aliquo addito, quod subijcitur necessitati probandi, possunt testes etiam antiqui publicatis attestationibus produci; cùm causa, extr. eod.

Attestationes receptæ in summario fidem non faciunt in ordinario iudicio, c. veniens, eod.

Quæ argumenta ad quem modum probanda cuiusque rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest, sicut non semper ita, sæpè sine publicis monumentis cuiusq; rei veritas deprehenditur; aliàs numerus testium aliàs dignitas, aliàs authoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat, rei, de qua quæritur, fidem, l. testium, ff. eod.

Idonei non videntur esse testes, quibus imperatum est, vt testes fiant, l. idonei, ff. eod.

Testis idoneus pater filio, vel filius patri, non est, l. testes, eod.

Nullus idoneus testis in re sua intelligitur, l. nullus, eod.

Ad fidem rei gestæ etiam non rogatus testis intelligitur, l. ad fidem, eod.

Vbi numerus testium non adijcitur, etiam duo sufficiunt:

unt: pluralis enim elocutio duorum numero contenta est, l. vbi numerus, ff. eod.

Si testes omnes eiusdem honestatis & existimationis sunt, & negotij qualitas & iudicis motus cum his concurrit, sequenda sunt omninò testimonia, c. ob carmen, ff. eod.

Non ad multitudinem testium, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potiùs lux veritatis adsistit, respicere iudex debet, d. l. ob carmen, eod.

Produci testis non potest, qui ante in eum Reum testimonium dixit, l. produci eod.

Quarta productio testium absq; solennitate legali concedi non debet, c. significauerunt, extr. eod.

Publicatis attestationibus, admittitur aduersarius ad probandum contrarium, si ante publicationem super hac probatione contraria instrui non potuit, c. ex tenore, eod.

Si Actoris & Rei testes contraria deponunt, fidem sibi non derogant sed præualent digniores & verisimiliora deponẽtes, & si in cæteris est disparitas, præfertur numerus, c. in nostra, eod.

Post publicationem attestationum, contra personas testium excipi non potest, nisi iuramento iurauerit, quòd ad hoc ex malitia non procedat, vel ante publicationem fuerit protestatus, vel ostendere poterit, quòd post publicatiõem didicerit quod in personas obijcit, c. præsentium, extr. eod.

Domesticum testimonium omni iure reprobatur, c. in literis, l. domesticum, & l. testes, extr. C. & ff. eod.

Publicatio vel renunciatio testium in certis capitulis non præiudicat volenti testes producere in alijs, c. causam extr. eod.

In causa appellationis super nouis articulis non tantùm noui, sed etiam veteres testes producuntur, c. fraternitatis, extr. eod.

Attestationes in vno iudicio receptæ fidem faciunt in eadem causa, & inter easdem personas coram alio iudice, C. causam, extr. eod.

Clerici non sunt à ferendo testimonio in causa Ecclesiæ suæ, siue rationabili causa, repellendi, c. cùm numerus, extr. eodem.

Episcopus ad dicendum testimonium citari non debet iure ciuili, idq; vt persona honoretur, & ne dignitas sacerdotij exempta confundatur, l. nec honore, C. de Episc. & cler. cùm auth. sed iudex.

Consensu litigantium quibusuis testibus iusiurandum remitti potest, c. tuis quæstionibus, extr. de testibus, & ibi glossa.

Iurabit testes, se nulla admixta falsitate aut mendacio, nec precio, nec amore, nec odio, nec timore, nec pro quoquam commodo testimonium dicturum, gloss. in c. fraternitatis, extr. eod.

De singulis circumstantijs testes per iudicem prudenter sunt inquirendi, videlicet de causis, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine, c. cùm causam, extr. de testi.

Oportet iudicantem cuncta rimari & ordinem rerum plena inquisitione discutere, 30. q. 5. secundùm gloss. in ver. ex tempore.

Si quis semel aut bis testes produxerit & testificata didicerit nulla postmodùm productione vtetur, etiamsi diuina iussio hoc præceperit, c. penul. ext. de testib.

Atte-

Attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem, seu directè contrarijs articulis alios, vel eosdem testes in principali causa producere, sic nec in appellationis causa licet, cùm vtrobiq; eadem subornationis causa sit timenda. Clem. 2. de testibus.

Vnius testis dictum non audietur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat, l. iurisiurandi, C. eod.

Testes adhibendi sunt, qui præponant veritatem gratiæ & potentiæ, l. eos testes, C. eod.

Omnibus in re propria dicendi testimonij facultatem iura submouerunt, l. omnibus, C. eod.

Testis ratione testimonij subijcitur iurisdictioni eius iudicis, apud quem testimonium perhibet, tametsi alioqui præscriptione fori sit tutus, l. nullum, C. eod.

In probatione facienda testibus æquè creditur vt instrumentis, l. in exercendis, C. de fide instr.

Testimoniorum vsus ad eruẽdam veritatem inductus est, & ideò testes adhibentur, vt veritati testimoniorum perhibeant pro vtraq; parte & probatio rerum gestarum salua sit testibus adhibitis, l. curent, eod.

Testes contrarij, sibi inuicem fidem derogant, c. in nostra, extr. eod.

Vnicus testis ad cumulandam probationem vel iuramenti dilationem, in supplementum probationis impetrandam proficit, c fin. extr. de iureiur.

DE TESTIBVS COGENdis, vel non.

Titulus XXI.

CVM publicè interſit, reuelata veritate, vnicuiq; ius ſuum conſeruari, teſtes à litigatoribus nominati, etiam inuiti, quandoq; euocantur, & ad dicendum teſtimonium pœnalibus mandatis per iudicem ordinarium, vel eius commiſſarium compelli poſſunt: maximè, ſi nullo excuſationis priuilegio ſint muniti, & ſe, gratia, timore, vel odio, ferendo teſtimonio ſubtrahant, c. dilectorum, &, c. 1. ext. eod. An autem, in defectum aliorum teſtium, illi, qui excuſationis legibus merentur, inuiti ad teſtimonium dicendùm compellantur: Vt ſunt valetudinarius, ſenex, miles, publicanus, qui abeſt ex probabili & neceſſaria cauſa, & qui lege Iulia iudiciorum publicorum continentur, putà, gener, vitricus, ſobrinus, libertus, contra priuignum, ſobrinum, vel ſobrinam, & liberos eorum, patronum, aliqúe qui ratiõe ſuî vel cauſæ priuilegiati ſunt. Et licet ſint, qui eos inuitos, excepta cauſa matrimonij & hæreſeos, nõ cogi putent, quaſi hoc priuilegium eis à lege indultum, nuſquam inueniatur ademptum ſecundùm l. ſancimus, C. de teſt. Tamen conſentanius eſt, ſi res aliter probari non poſsit, præmiſſa monitione, etiam per Eccleſiaſticam cenſuram, in cauſa ciuili, vel criminis ciuiliter intẽtati eos compelli poſſe, c. cùm ſuper, extr. eod. c. peruenit ad nos, extr. eod.

Et

Et est ratio. Quia iudex, ad eliciendam veritatem, omnem lapidem (vt dicitur) mouere debet. Accedit, quòd veritatem occultans mortale peccatum committat. Non debet igitur prætextu alicuius priuilegij supprimi, cuius reuelata veritas, litigatorẽ, qui aliàs ius suũ deducere & probare non potest, in iudicio subleuaret, c. peruenit ad nos, extr. eod. 11. q. 3. c. quisquis, extr. de crimine falsi, c. 1. Panor. c. 1. extr. eod.

AXIOMATA.

Compelluntur testes, etiam in criminali, quos accusatus malitiosè accusatori subtraxit, c. peruenit ad audientiam, extr. eod.

Tam in causa ciuili, quàm criminali monendi & inducendi sunt testes ad testificandum, & si se odio, gratia, vel amore, subtraxerint; nec aliter veritas haberi possit, etiam per suspensionis, excommunicationis, & depositionis sententiam sunt compellendi, c. 1. c. 2. c. cùm contra, &, c. delictorum, extr. eod. c. peruenit ad nos, extr. eod.

Deficiente probatione multi admittuntur & coguntur, qui aliàs non cogerentur, c. quoties, &, c. tam literis, extr. de testib.

Qui veritatem occultat, mortale peccatum committit, c. quisquis, 11. q. 3.

Clerici ad dicendum testimonium, ne à diuinis auocentur, cogi non debent, possunt tamen in defectum probationum, & in rebus Ecclesiæ cogi, c. statuendum, 2. q. 6. c. cùm nuncius, extr. de testib.

DE FIDE INSTRVMENTORUM.

Titulus XXII.

Continuatio.

INstrumenti editio, modus est faciendæ fidei, & species instruendæ probationis, nõ tãtùm in actionibus, verumetiam exceptionibus, & replicationibus, quocunq; tempore ante conclusionem causæ fiat.

Vnde dicitur Instrumentum?

Instrumentum, dictum est, ab instruendo, quia instruit causam: sicuti documentum à docendo, quia docet, seu munimentum, à muniendo, quia munit producentem contra aduersarium, c. fin. extr. de dol. & contu. &, c. siquis de clericis, 11. q. 2. Et accipitur generaliter & propriè. Generaliter quidem instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui solet, & ideò tam testimonia, quàm personæ, quę testificãtur, instrumentorum loco habentur, c. peruenit, ad audientiam, extr. de test. cog. l. 1. ff. de fide instru. Propriè autem instrumentum dicitur scriptura ad memoriam alicuius rei confecta, Spec. tit. de instr. editione, §. 1.

Quotuplex Instrumentum?

Duplex, publicum & priuatum.

Quid

Quid est Publicum?

Publicum est solennis & ritè ordinata scriptura, per authenticæ personæ manum, publicè, causa memoriæ, facta, Specu. §. 1. eod. Vel dicitur scriptura publicam authoritatem obtinens. Et huius varia sunt genera. Primò enim publicum dicitur, quod per manum publicam scriptum est, per publicam manum notarius intelligitur, qui etiam publicus seruus dicitur, c. quanquam, extr. de vsuris, c. illud, extr. de præsump. 2. Quod sigillo authentico est roboratum, c. scripta, extr. eod. etiamsi sit à priuato scriptum, putà, sigillo Principis, Vniuersitatis, aut alicuius collegij. 3. Omnes scripturæ, qualescunq; etiam priuatæ, quarum publicatio magistratus authoritate interueniente contingit: vt cùm testamenta, vel codicilli, vel aliæ tabulæ authore iudice aperiuntur, c. 2. extr. de fide instr. l. publicari, C. de testib. 4. Quod in iudicio apud acta publica scribitur, c. quoniam, extr. de probat. 5. Dicitur publicum, quod habet subscriptionem trium, vel, iuxta canones, duorum viuentium testium, etiamsi sit per priuatam manum scriptum, c. 2. extr. de fide instrumen. c. 1. extr. de test. &, c. quoniam contra, extr. de probat. Sed mors testium vigorem istiusmodi instrumenti perimit, c. 2. extr. eodem. 6. Publicum dicitur, quod de archiuo publicè producitur, liber scilicet rationum vel alterius rei, cui fides adhibetur, si publicum testimonium iudicis, hoc ex archiuo publico esse, asseuerantis accedat,

c. ad

c. ad audientiam, extr. de præscrip. c. peruenit, 30. quæst. 1.

Quid est Priuatum?

Priuatum est, omne aliud instrumentum, à quocunq; sit scriptum, quod aliquo prædictorū modorum non est corroboratum. quorum tres species ponit Spec. tit. de instr. editione, §. nunc dicendum restat.

Quæ causa Efficiens?

Est lex, & consensus partium: hinc est, quòd instrumenta sint necessitatis, quæ lege fieri præcipiuntur, c. 1. ext. de censibus; & voluntatis, quę voluntate & consensu partiū, nulla impellente necessitate, conficiuntur, l. contractus, C. de fide instrum.

Quæ causa Procatarctica?

Est partium petitio, vel rogatio, persona autem ista, quæ instrumento conscribendo adhibetur, in illis actibus, qui vtriusque partium consensu perficiuntur; vt sunt venditiones, permutationes, transactiones, pignorationes, locationes, conductiones, &c. ab vtraque parte rogari debet. Si verò actus vnius tantùm partis desideret consensum, vnius tantum rogatio sufficit: vt sunt testamenta, codicilli, appellationes, protestationes, l. contractus, C. eod. Bal. in l. 2. C. de edendo.

Quæ est causa Instrumentalis?

Est notarius, vel alia publica persona. Solet enim magistratus de archiuo publico scripturam quandoq; transumere & conficere, Bald. in rub. C. eod.

C.eod.Solet etiam publicis scripturis conficiendis præfici persona publica,quæ, sicut iudex,habet ordinariam iudicandi potestatem; ita publicam potestatem scribendi obtinet, ita vt illi fides plena adhibeatur,Bal.d.loco,nec tamen hoc ipso notarius efficitur:is enim vel à Principe,vel Comite Palatino, cui hanc potestatem creandi notarios Princeps concessit,creatur. Et est actus summi imperij, quod genus magistratus municipales exercere absq; singulari Principis indultu non possunt.Ergo persona à iudice municipali constituta ad hoc, vt in archiuum publicum relata,vel aliàs apud acta notata,transumat, publicamq; scripturam conficiat, propriè notarium agere non dicitur. Quòd si autem magistratus, vel quiuis alius, putà, Comes vel Baro, &c. creandi notarios ex consuetudine actus vsurpet, eius instrumento tantùm intra territorium magistratui, à quo creatus est, subiectum, creditur: non autem extra.Licet notarius authoritate Papæ vel Imperatoris creatus,vbiq; locorum exercitium officij sui habeat, & instrumentum vbiuis locorum valiturum conficere possit,Bald.in addit.ad Spec.de instr. editione.

Quod Obiectum?

Omnes actus iudiciales, voluntarij inter viuos,& vltimæ voluntatis. Actus iudicialis sunt, citationes,dilationes,recusationes,exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones instrumẽtorum productiones,interlocutiones,appellationes,renunciationes, conclusiones.Statuit enim Innocen-

cētius III. in Cōcilio generali, vt Iudex tā in ordinario, q̄ extraordinario iudicio adhibeat publicā persōnā, vel duos viros idoneos, q̄ vniuersa iudicij acta, loca, tēpora & persōnas designando conscribant, atque super aliquibus propria instrumenta, quę hoc titulo explicantur, his actibus, confici possunt, c. quoniam, extr. de probat.

Voluntarij actus inter viuos sunt, venditiones, emptiones, locationes, cōductiones, permutationes, mutuum, pignorationes, emphyteusis, feudum, constitutio seruitutis tam realis quàm personalis, vt vsusfructus, vsus, habitatio, transactiones, arrharum datiōes, donationes, diuisiones, solutiones, acceptilatiōes, emancipationes, possessionum traditiones, manumissiones, & omnes alij actus, qui inter viuos celebrantur, & desuper instrumenta ad faciendam in omnem perpetuitatem fidem conficiuntur, l. contractus, c. eod.

Vltimæ voluntates, vt testamentum, codicillus, donatio, causa mortis, & cætera q̄ his æquiparātur, tot. tit. C. de test. ordinan. l. cùm de mortis, C. de donat. causa mortis. Et denique de omnibus, nisi vel lex, vel statutum obstat, instrumēta fidei faciendæ, & causæ instruendæ, vel facilioris probationis gratia, confici possunt, Bal. in rubri. nu. 17. C. eod.

Quæ est Forma conficiendi publici Instrumenti?

Instrumentum, secundùm Spec. duo continere debet, factum, & ipsam publicationem. Quod

ad

ad factum attinet, tenentur partes notario ad hoc rogato, qui, ratione officij sui, obstrictus est quasi condigno precio conductus in eo partibus præstita opera annuere, in scriptis & præsentia duorum vel trium testium facti speciem explicare, qua intellecta debitis solennibus obseruatis, in quibus ipsa publicatio consistit, desuper instrumentum conficiat notarius, Bald. in rub. C. de fide instrument. §. nos autem, in authent. de tabell. & Dd. in auth. si quis in aliquo, vbi gloss. C. de eden.

Sunt autem nouem regulariter, quæ publicationem faciunt, vt in auth. vt nomẽ Imp. præpo. §. 1. col. 5. scilicet, inuocatio nominis Domini, anni eiusdem, indictio, dies, contractus, nomen imperatoris, vel Papę, vel regis, locus, testes, nomen tabellionis vel notarij, & signum notarij. Non autem subscriptio vel subsignatio contrahentium vel testium. Ea enim, ad muniendam publici instrumenti fidem, non requiritur: cùm notarij, vt publicæ personæ subscriptio & signatio sufficiat. In instrumentis verò publicis, apud acta, vel à iudice confectis, nulla solennitas desideratur, cùm eam iudicis præsentia, & iudicij authoritas satis superqúe suppleat, l. omnium, C. de testib. & ibi Dd. Quod secus est in priuatis, quorũ validitas & robur ex subscriptione & sigillis partium & testium dependet. Panorm. & Inno. in c. 1. extr. de his quæ fiunt à præla. sine con. Cap. Notandum etiam, quòd, propter vetustatem, vel aliam iustam causam de instrumentis originalibus exempla solenniter sumi possunt

possunt. Solenniter autem sumi dicuntur, cùm coram ordinario iudice, vel ad hoc ab ipso specialiter delegato, ab eo, cuius interest, præsentantur; qui si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata compererit, per publicam personam illa præcipiat exemplari, eandem authoritatem per hoc cum originalibus habitura, c. fin. extr. de fide instrumentorum.

Quæ Forma exhibendi Instrumenta?

In exhibitione instrumentorum hoc obseruatur, vt ante, & post publicationem testium, quãdocunq; voluerit altera partium, aduersario ad hoc citato, possint exhiberi, vsq; ad conclusionem causæ, c. cùm dilectus, extr. de test. Verùm, postquam concluſum est, id est, renunciatum productioni instrumentorum, & alijs probationibus, induci non possunt: nisi noua oriantur capitula ex veteribus pendentia; in quibus possunt denouo instrumenta exhiberi, etiam in causa appellationis, sicut & testes noui recipi, c. fraternitatis, extr. de test. Vel, nisi talis esset persona, cui beneficium restitutionis in integrum indulgetur, potest tamen iudex terminum peremptorium ad exhibendum omnia instrumenta præstituere, vltra quam pars, nisi legitima ex causa, vltetiùs non auditur, l. 1. ff. de edend. & Spec. per tex. in d. c. cùm dilectus, tit. de instr. editione. An autem litigatoribus instrumenta sint edenda? Distinguitur. Aut instrumẽta sunt communia, aut propria: si communia, vtriq; parti, sunt edenda, c. G.

c.G.perpetuus Vicarius,extr.eod.Si propria,aut ijs partes vtuntur,aut non vtuntur:si vtuntur,& Actor vel Reus aliquod instrumentum in iudicio producat,quo aduersùs aduersarium vti velit illud aduersario edere cogitur,l.1.ff.de edē.Nā & Actor Reo & Reus Actori omnia,quibus in lite vsurus est, edere tenetur, secundùm gloss. in d. c. G. perpetuus vicarius, extr. eod. si autem partes non vtuntur & Actor à Reo edi instrumenta, ad intentionem suam probandam petierit repelletur. quia non ab aduersario, tela petere debet,sed à seipso accipere,sciturus,nō probata sua intentione, Reum absolutum iri, c.1. extr.de probat.l.qui accusare,C.de edendo.Pari ratione nec Reus ab Actore petere potest instrumētū, ad exceptionē suā fundandam,vel reconuentionem instituendam: nisi petitum instrumentum,quasi suum sit,l.non est nouum, &,l. fin.C. de edend.nec tertius quidam, penes quem instrumenta litigantibus ad instruendam causam vtilia esse dicuntur,exhibere tenetur,nisi ratione alicuius negotij partibus teneatur, putà tutelæ, negotiorum gestionis,& similium,Specul.tit.de instru.editio.§.videndum,num.18.

Quis Effectus & Finis?

Si publicum est instrumentum, plena fides rei gestę,super qua illud confectum est:solùm enim publico instrumentó & eius exemplo solenniter sumpto creditur:non autem priuato.Instrumenta enim domestica,seu priuata testatio,seu adnotatio,si non alijs quoq; adminiculis adiuuentur, ad probationem sola non sufficiunt,l. 1. instru-

menta, C. de probat. Nisi contra scribentem producantur, vel subscriptione testium, & contrahentium, vel iudiciaria cognitione sint cõfirmata Bal. in rub. nu. 3. eod. l. contractus, C. eod. Quòd si ex scriptura priuata cõuentus, illam neget à se scriptam, vel ad testes, vel ad literarum comparationes, erit confugiendum. Debent autem comparationes literarum non ex quibusuis scripturis, chyrographis, vel instrumentis, quæ non publicè sunt confecta, fieri, sed ex forẽsibus, vel publicis instrumẽtis, vel huiusmodi chyrographis, quæ ad minimum trium testium habent subscriptiones, præstito iuramento ab his, qui comparationem faciunt, quòd neq; lucri causa, neq; inimicitijs, vel gratia impulsi, ad comparationem faciendam procedant, vt omnis falsitatis suspicio euitetur, l. comparationes, C. de fide instr. Debetq; instrumentum, vt fidem faciat reiq; gestæ probationi, sufficiat, nõ esse cancellatum, abolitum, continere lituras, vel quacunq; suę formæ parte vitiatum, neq; huic contrarium aliud produci. Scripturæ enim diuersæ fidem sibi derogantes, ab vna eademq; parte probatæ nihil firmitatis habent, l. scripturæ, C. eod. & imputet sibi proferens tales, cùm in ipsius fuerit potestate quam voluerat non proferre: nihil igitur probabit, c. imputari, extr. eod. cùm contraria allegans non sit audiendus.

Quanta autem fides instrumentis in causis decidendis adhibeatur? Respondet Speculator, tit. de inst. edit. num. 8. quanta duobus vel tribus testibus. parem enim vim habent in exercendis litibus instrumenta & testes, l. in exercendis, C. eod.

eod.c.cùm Iohannes,§.porrò,ext.eod. Quod verum est, quo ad iustam probationem, ad quam faciendam, alterutrum sufficit,aut idonei testes, aut non suspectum instrumentum, scilicet,vbi sine contradictione proferatur. Nam etiam contra instrumentum quantumcunq; publicũ testes admittuntur, prout expressè habetur in c.cùm Ioannes,extr.eod.&,c.ad audientiam,ext.de prę-scrip. Quid igitur iuris,si testes instrumẽto repugnant,an testibus,vel instrumento,credendũ sit? Mynsi.in obser.39.cent.4. ita putat distinguendũ: Si testes cõtradixerint scripturę,ad quam ipsi fuerunt,propter fidem,adhibiti, tunc testes scripturæ præferri debent. cùm tota authoritas tabularum ex testium comprobatione depẽdeat, c. tertio loco,extr.de probat. Secundò:si testes cõtradicant instrumẽto,ad cuius fidem confirmandã non fuerunt producti;tunc rẽfert, an producantur ad probandam falsitatẽ instrumenti, q; nõ simul cũ attestationibus,sed seorsim profertur ad probandũ aliquid. hoc casu parib. testibus p̃ualet scriptura:putà,si tres dicant,instrumentũ falsum,nõ audientur,quia & in tabulis instrumentorũ duo testes vnà cũ notario,q; tertio, adhiberi solẽt.Ni igitur quatuor aut q̃nq; boni viri attestẽtur falsitatẽ,instrumẽto stabitur, d. c. cũ Ioãnes.

An verò de falsitate non principaliter tractetur,neq; accusando, neq; excipiendo, sed vnà ad probãdam intentionem exhibeantur instrumentum & testes, qui examinati, repugnent instrumento? Hac specie nulla regula tradi potest, sed iudex ex qualitate causæ æstimare debet, quid horum magis ipsum sequi oporteat.

Nam quædam per teſtes meliùs probantur, vt conſanguinitas, adulterium: quædam verò commodiùs per inſtrumẽta, veluti acta iudiciorum, res antiquitùs geſtæ.

Quæ Cognata?

Monumenta publica, libri ciuitatum, monaſteriorum, collegiorum, teſtes, præſumptio iuris, aliæ probationum ſpecies.

Quæ Pugnantia?

Sunt omnia ea, quibus inſtrumentum impugnari poteſt: vel, quæ ratione cauſarum, vel formæ, obijciuntur contra inſtrumentum. vt, ſi de re illicita & impermiſſa inſtrumentum factum fuerit, vel ab eo, qui non habet poteſtatem faciendi: vt, qui ſe notarium agit, cùm tamen nõ ſit, vel malè creatus, videlicet, ab eo, qui ius creandi non habet, ſi fuerit cancellatum, abolitum, habeat lituras, ſint ſigilla abraſa, vel ſculpturæ ſigilli deletæ, ſi falſum, ſi non omnes contineat ſolennitates, quæ publicationem efficiunt; vt quia omiſſa indictio, teſtes, nomen notarij, eiuſdem ſubſcriptio, & ſignum, & circumſtantiæ requiſitæ: ſi producantur plura inſtrumenta fidem ſibi derogantia, vel ſit illud quod producitur ſibi ipſi contrarium, ſi non debito tempore producatur, vel publicetur, & alia multa, quæ omnia hic recenſere, longum eſſet.

AXIOMATA.

Scripturæ contrariæ ab eodem productæ fidem non faci-

faciunt, c. imputari, extr. eod. l. scriptura, c. eod.

Vtriq; parti communia instrumenta sunt edenda, c. G perpetuus vicarius, extr. eod.

Instrumentum exemplatum per tabellionem authoritate Ordinarij, eandem vim habet cum originali, c. fin. extr. eod.

Post publicatas attestationes, vsque ad conclusionem in causa, possunt instrumenta produci, c. cùm dilectus, extr. eod.

Instrumentum, propter rasuram in loco non suspecto, non dicitur vitiosum, c. ex literis, extr. eod.

In exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumẽtorum, quàm depositiones testium, l. in exercendis, C. eod.

Testium vel instrumentorum receptio, potest ex causa committi iudici alterius territorij, l. iudices, C. eod.

Instrumenta domestica, seu priuata testatio, seu adnotatio, si non alijs quoq; adminiculis adiuuentur ad probationem sola non sufficiunt, l. instrumenta, C. de probat.

Rationes defuncti, quæ in bonis eius inueniuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis, sola non sufficiunt, l. rationes, C. de probat.

Instrumenta cuiuscunq; generis non definiunt negotium, nec obtinent vim definitiæ sententiæ, nec habent executionem paratam, sed tantùm probant rem gestam, Bal. Cons. 133. vol. 1.

DE PRAESVMPTIONIBVS.

Titulus XXIII.

Continuatio.

PRæsumptio, quasi legis opinio, nisi contrarium probetur, vel etiam quandoq; contraria probatione non admissa, probationem facit, & iudicem in formanda sententia instruit, c. literas, extr. de eo quod metus causa, & tot. tit. de præsump.

Quid est Præsumptio?

Alciatus in Tractatu, De præsump. ita definit. Vt sit probabilis coniectura, ex certo signo proueniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur.

Quotuplex Præsumptio?

Quidam triplicem statuunt, scilicet, præsumptionem iuris & de iure, præsumptionem iuris, & præsumptionem facti. Sed Specul. & Bal. in addit. tit. de præsump. quadruplicem ponunt, temerariam, probabilem, violentam, & necessariam. Quæ diuisio Canonibus magis videtur conuenire, c. adferte, c. literis, &, c. literas, extr. eod.

Quid est Temeraria?

Præsumptio temeraria est, vana quædam hominis opinio, ex causis vilibus & leuibus proficiscens: vt, quia videt quis adolescentem salutare aliquam, statim præsumit, ipsos in rebus illicitis cõuersari, cùm tamẽ dubia in meliorem partem

tem, sint interpretanda. Nec petulanti procacitatis lingua, in præiudicium alicuius bonæ famę siniſtrè diuulganda. Vnde, si presbyter amplexetur mulierem, præsumitur facere id causa benedicendi, vel ad pœnitentiam exhortandi, c. absit, 11. q. 3. c. in scripturis, dist. 96. Sed ab illa benedictione libera nos Domine, inquit Augustinus. Imò, ob fidem à clericis malè seruatam, hanc præsumptionem exoleuisse, nõ inconuenienter dici potest.

Quid est Probabilis?

Est verisimilis coniectura, ex certo signo proueniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur, Alc. in Tract. de præsump. Quæ aliquando iuuatur legibus, & tunc vim probationis habet, nisi contrarium probetur. Et dicitur probabilis: quia plurium hominũ opinione, ex multis causis & suspicionibus fama super his increscente collecta inducitur. probabile enim, secundùm Aristotelem est, quod omnibus aut pluribus, aut saltem sapientibus videtur, Bal. in addit. ad. Spe. tit. de præsump.

Quid est Violenta?

Violenta est, verisimilis probatio ex multis indicijs, vel ex vno multùm efficaci & veritati proximo collecta. vt, si quis fugiat cum gladio sanguinolento, præsumitur vulnerasse, si aliud non appareat. Item si quis inuentus sit nudus cum nuda, solus cum sola, in eodem lecto iacentes, secretis locis & latebris, præsumitur, quòd sint fornicati, c. literis, ext. eod. Item prę sumitur, quòd quis cognouerit mulierem, cum qua diu cohabitauerit, c. nec aliqua, 17. quæstio. 1. Item,

si quis ter denunciet alicui, ne cum vxore sua loquatur, & hoc non attento, postmodùm inueniat eum cum ea loquẽtem, potest eum tradere iudici puniendum. Quia violentissima, malæ & detestandæ couersationis, præsumptio est, auth. Vt liceat matri & auiæ, §. his quoq; collat. 8. Item cancellato chyrographo, præsumitur liberatio debitoris, l. si chyrographum, ff. de probat. Præsumitur vxor, quidquid habet, de bonis mariti acquisiuisse. Quilibet præsumitur bonus, idoneus, integræ famæ, &c. nisi contrarium probetur. Atqui hæ præsumptiones violentæ, etiam dicentur præsumptiones iuris: putà, quia ius præsumit aliquid, sed non statuit ius super præsumpto, igitur per contrariam probationem possunt extenuari tales præsumptiones, Bal. in l. si duo patroni, ff. de iureiur.

Quid est Præsumptio necessaria?

Præsumptio necessaria communiter vocatur iuris & de iure. Et definitur ab Alci. in tract. de præsump. in prin. quòd sit depositio legis aliquid præsumentis, super præsumpto, tanquam sibi comperto statuentis. Dicitur autem ideò iuris & de iure, quia ius vehementer præsumit sic esse, vel non esse, & propter talem præsumptionem ius statuit super ea. Verbi gratia: si is, qui cum virgine per verba de futuro contraxit, cognouerit eam postea, ius certè statuit contra huiusmodi matrimonium præsumptum probationem non admitti: Nam ex quo eam cognouit, intelligitur in eã consensisse, quãuis cum ea non contraxerit per verba, de præsenti, c. is qui, extr.

de

de sponſ. Idem eſt, ſi quę inuita viro tradita pòſt conſenſerit in carnalem copulam, vlteriùs non auditur, c. ſignificauit, extr. de eo qui dux. in matr. quam pol.

Traduntur & aliæ præſumptionum diuiſiones. Quòd ſcilicet alia ſit famæ, alia naturæ, alia iuris, alia iuris & de iure, alia facti, alia qualitatis, alia iudicis, ſeu contumaciæ hominis, alia facti precedentis vel ſubſequentis: quæ tamen omnes ſub quatuor recenſitis præſumptionum ſpeciebus, continentur.

Quæ eſt cauſa Efficiens?

Eſt ipſa lex & ratiocinatio hominis ex varijs coniecturis orta. coniecturæ autem ex diuerſis perſonarum, rerum, locorum, temporum, & factorum qualitatibus ſumuntur.

Quæ eſt Præſumptionum Cauſa ex qua?

Ex varijs cauſis præſumptiones proficiſcuntur, ſcilicet, ex perſona, loco, tempore, qualitate, fuga, fletu, negligentia, obſcuritate, euentu, quãtitate, taciturnitate ſequenti, inutilitate, familiaritate, dignitate, dilectione, ſocietate, frequentatione, & ætate, Bald. in addit. ad Spec. tit. de præſump. & Spec. eod. tit. §. præſumptio eſt.

Quod eſt Obiectum?

Res veriſimilis, inſtrumentorum ſolennitates, qualitates perſonarum, facta incerta. Nam quæ iuris ſunt, non præſumuntur: quia ius ſemper eſt certum, l. 2. ff. de iuris & facti ign. conſilia,

affectus, & signa tam necessaria quàm verisimilia.

Quæ Forma?

Forma præsumendi varia est. Aliam enim præsumptionem iure introductam lex iuris firmitate roborat, & pro veritate eam haberi, & quid contrà statuatur, præcipit: aliam, donec facti quæstio controuertatur, & contraria probatione eneruetur, suis viribus relinquit; non tamen super præsumpto ius statuit; Alia denique omni iuris adminiculo destituta, nuda hominis opinione, inducitur.

Quis Finis & Effectus?

Pro varietate præsumptionum, varij sunt effectus. Temeraria enim præsumptio nec semiplenæ probationi sufficit, nec mouere animum iudicantis debet, c. 1. 2. quæst. 1.. c. oues pastorem, 6. q. 1. c. si quid verò, dist. 86. c. licet Heli, ext. de simonia. Probabilis præsumptio, quæ lege iuuatur, vim habet probationis, nisi cõtrarium probetur. Sed quæ lege non iuuatur, sed tantùm in opinionibus hominum consistit, non probat per se, sed iuuat probationem sibi concordantem. Hoc est, licet per se iudicem non moueat ad pronunciandum, cum vno teste, vel, cum alia consimili præsumptione, plenam facit fidem, c. illud, ext. de præsumpt. c. item sæpè, 4. q. 3. &, c. si duo, 35. q. 6. Mouet etiam iudicem ad deferendum iuramentum ei, pro quo est præsumptio, non autem eius aduersario, l. in bonæ fidei, C. de reb. cred. Et ad imponendam purgationem infamato præsumpto, c. sicut consuetudo,

tudo,ext.de probat.c.presbyter,2.q.5.&,c.1.&,2. ext.de purg.canon. Contra eam autem probatio in contrariũ admittitur. Violenta pręsumptio, quæ ex verisimili probatione fit, diciturq; præsumptio iuris,onus probãdi in aduersariũ transfert, diciturq; actus à iure præsumptus, eo ipso probari,quòd non probetur contrariũ. Vnde ea liquidissima probatio vulgò appellatur, l. licet Imperator,ff.de leg.1.In criminib. tamẽ enormibus non nisi semiplenam probationẽ facit, quæ tantùm ad torturã, non aũt ad infligendã pœnã capitalem, nullo adiuncto alio adminiculo,sufficiens est:nec per præsumptiones condemnatur quis sine probationibus,quæ in criminalibus luce meridiana clariores desiderãtur, cùm satiꝰ sit, impunitũ relinqui facinus nocẽtis, quàm innocentem condemnare, l.absentem, ff. de pœnis, l. fin.C.de probat.c.literas,ext.eod.arg. c.nomine, 2.q.1.c.quia verisimile,ext.de præsumpt. Est & huius præsumptionis iuris effectus quòd aduersarium,qui contrarium probare nititur, duriore grauet probatione, adeò, vt nec ei semiplenè per vnũ testem vel alio modo probanti, in supplementum probationis,deferatur iuramẽtum, Mynsi.obser.68.cent.5. per text. in l. vlt. & ibi gl. & Bald.ff.de eo quod metus causa. Deniq; necessaria pręsumptio,quæ & iuris & de iure dicitur, plenã probationẽ facit, & pro veritate habetur, nec probationẽ in contrarium admittit, nisi per confessionem partis,restitutionem in integrũ,& alia,quæ Alc.in Tract.de præsump.& Felin.in c, quanto,ext.de pręsump.& Bald.in addit.ad Specul.remissiuè recensent, tit.de præsumpt.

Quæ

Quæ Cognata?

Omnes probationum ſpecies, & fictio iuris quæ nihil aliud eſt, quàm legis aduersùs veritatem, in re poſsibili, ex iuſta cauſa diſpoſitio. Dicuntur tamē. Quia fictio fit aduersùs veritatem præſumptio autē veritatē imitatur. Vnde dicitur lex falſum & certum fingit, ſed verum & verisimile præſumit, Alc. in tracta. de præſump. in princip.

Quæ Adiacentia?

Veritas, confirmatio legis, poſsibilitas, verisimilitudo.

Quæ Pugnantia?

Notorietas rei, veritas in contrarium probata, iuris diſpoſitio contraria, impoſsibilitas, certitudo facti. nam in claris & certis non eſt locus coniecturis, l. continuus, §. cùm ita, ff. de verb. oblig.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quilibet præſumitur bonus & idoneus, niſi contrarium probetur, c. dudum, &, c. cùm in iuuentute, extr. eodem.

Ex præteritis præſumitur circa futura, c. mandata, &, c. ſcribam, extr. eod.

Ex vicinitate præſumitur notitia facti loci vicini, c. quoſdam, &, c. quanto, extr. eod.

Qui ex duobus illatis alterum negat, reliquum affirmare præſumitur, c. nonne, extr. eod.

Quicunq; virtutibus ſtudet, cum modeſtia continentiæ,

tia, auditioni sapientum, obseruantiæ mandatorum Dei, maximè simplicitati & humilitati, is commendandus, c. ex studijs, extr. eod.

Conuersatio in adolescentia facit præsumptionem in senectute, d.c ex studijs, extr. eod.

Præsumptio veritati cedit, præsumptio autem iuris & de iure ipsa veritas esse censetur, l. nuptura filio, ff. de iure dot. l. antiquæ, C. ad S.C. Velleia.

Stante probatione pro aliquo, aduersarius, qui contrarium probare nititur duriori probatione grauatur, adeò, vt nec ei semiplenè probanti in defectum probationis iuramẽtum deferatur, c. quia verisimile, extr. eod. Mynsi. obser. 68. cent. 5.

Sicut manifestè nocens: ita & occultus pœnæ obnoxius est, c. sicut, extr. eod.

Præsumitur semper in benigniorem partem, inquam, ipsa naturæ ratio & affectio ducit, c. estote, extr. de reg. iur.

DE IVREIVRANDO.

Titulus XXIIII.

Continuatio.

IN probationum defectum, iusiurãdum, quod litium expediendarum maximum remedium esse dicitur, defertur, c. etsi Christus, §. Iacobus, extr. eod.

Quid

Quid est Iusiurandum?

Est assumptio nominis diuini, qua inuocatur Deus, vt dicti fidem attestetur, d.c.etsi Christus extr.eod.

Quot sunt eius partes?

Sunt duæ: Inuocatio diuini numinis, & imprecatio, qua iurans, se pœnis & diuinæ vindictæ deuouet, si verum non dicat.

Quæ est Iuramentorum diuisio?

Quòd iuramentorum aliud, sit promissoriũ, quod super futuro fit, quandocunq; videlicet, aliquid dandum vel non dandum, faciendũ, vel non faciendum, promittitur. vt si quis iurando promittit iudicio sisti, aut litem exequi, c.1.ext.de sequest.possess. Aliud assertoriũ, quo aliquid esse, vel fuisse asseritur. Quod plures habet species. Nam aliud dicitur de calũnia, aliud de veritate, aliud de malitia: item, aliud voluntarium, aliud necessarium, aliud iudiciale. Sed quia hæ postremæ iuramentorum species ad decidendas & finiendas lites proficiunt, & in defectum probationum proferuntur, hic potissimùm sunt explicandæ.

Quid est Iuramentum voluntarium?

Voluntarium iuramentum est, quod ex conuentione, per modum transactionis extra iudicium defertur, dictum à spontanea suscipiendi voluntate, l.iusiurandum, ff.eod.

Quid est Iudiciale?

Est, quod à parte parti, in iudicio defertur, c. fin.extr.eod. quod quidem Actor facere potest, etiam

etiamsi nihil præstiterit, aut probarit, Iason in l. admonendi, ff. eod.

Quid Necessarium?

Necessarium est, quod iudex ex officio, in defectum legitimarum probationum, vbi neq; nihil, neque plenè probatum est, alterutri litigatorum defert: dictum à necessitate præstãdi. Quia recusari, absque legitima causa, non potest, c. fin. extr. eod. l. generaliter, C. de rebus cred.

Quæ est causa Efficiens?

Præceptum iudicis, in supplementum vel defectum legitimarum probationũ, alterutri parti præstationem iuramenti deferentis, vel partium conuentio; qui dirimendę litis causa iuramentum sibijnuicem deferunt, & referunt, si probationibus, ad instruendam causam requisitis, sint destituti, l. 1. ff. eod.

Quod Obiectum, vel Materia circa quam?

Omnes lites & controuersiæ, in quibus litigantes probationibus sunt destituti: siue agatur de proprietate, siue de possessione, siue in personam, siue in rem. Non autem si res merè sit spiritualis, de qua controuersia est, vel actio famosa instituatur, vel criminaliter agatur; in quo genere causarum luce meridiana clariores desiderantur probationes, l. fin. C. de probat. c. fin. extr. eod. Specul. titul. de iuramenti delatione, §. quoniam, & Hostiens. tit. de assertorio iuramento, §. & super quibus, & Dd. in d. l. admonendi, ff. eod.

Quæ

Quæ Forma deferendi & præstandi Iuramentum?

Si voluntarium fuerit iuramentum, vt volu
tate eius, cum quo alicui negocium est, sponte
scipiatur, atq; ex vtriusq; voluntate, & quasi c
uentione susceptum inuocato diuino nomi
absq; potestate referendi præcisè præstetur. sic
ti enim ab initio, idipsum susc ipiendi, libera
facultas, ita post susceptionem illud præstandi
incumbit necessitas, l. sicut, C. de act. & oblig. &
l. iusiurandum, ff. eod. Si iudiciale, vt Actor, et
iamsi nihil prę stiterit, ante litis contestationem,
præstito de calumnia iuramento (si hoc petatur,
deferat Reo iusiurandum, qui remissione iura
iurandi non facta ipsum præstet, aut referat, a
soluat: siquidem, non subitò delatum iuramen
tum prę stare cogitur, sed referre, sicuti etiam a
uersarius contentus voluntate susc epti, iuris
rãdi delationem reuocare poterit, quo casu, pe
inde, acsi iuratum esset, habebitur, l. 4. & 5. ff. eod.

Quòd si necessarium: vt iudex, in ciuili
bus, & arduis, non merè spiritualibus vel fam
sis, nec criminalibus (nisi de pecuniaria pœna q
tur) vbi neq; nihil, neq; plenè probatum est, Re
quidem, si vel semiplenè probauit, vel eo nihi
probante, Actori, qui semiplenè probauit, vel
vtriusq; probationes sint pares, inspecta perso
narum qualitate, vt dignior & præstantior pra
feratur. vel si authoritate & dignitate pares, Reo,
cuius partes in sententia ferenda sunt fauorabi
liores, nisi causa Actoris fauorabilior sit, vel cau
sæ qua

ſæ qualitas aliud ſuadeat, ad petitionem partium ante concluſionem cauſę factã, in defectum vel ſupplementum probationum iuramentum ex officio deferat: & vt is, cui iuramentum hoc ſuppletorium à iudice delatum fuerit, abſque relatione præſtet, Dd. in l. admonendi, ff. eod. c. fin. extr. de purga. gloſ. in c. fin. extr. eod. Quare tradit Mynſingerus, in obſeruat. 68. centu. 1. Ad hoc, vt deferri poſsit iuramentum ſuppletorium, ſex coniunctim conſiderari. Adeò, vt vno ex his deficiente, delationi non ſit locus. 1. Quòd ſemiplenè probatum ſit, per vnũ teſtẽ omni exceptiõe maiorẽ, & quòd talis ſemiplena probatio verè, & non præſumptiuè, concludat. 2. Quòd ille, cui defertur, ſciat veriſimiliter veritatem per ſenſum corporeum. Et ideò non defertur hæredi, cùm veriſimiliter ignoret negotij veritatem. 3. Vt is, cui defertur, ſit honeſta perſona, & integræ vitæ. quia vili. & ſuſpecto de periurio, non defertur. 4. Quòd cauſa non ſit ardua, vel criminalis, ſed modica, & ciuilis. 5. Quòd talis ſemiplena probatio aliqua præſumptione dilui & eleuari non poſsit. 6. Quòd tale iuramentum fuerit à partibus petitum, antequam concluſum ſit in cauſa. Et nota hic, quòd licet in criminalibus non deferatur iuramentum in ſupplemẽtum probationis, hoc tamen verum eſt, ſi criminaliter agatur. Et in accuſatore, non autem in Reo veriſimilibus coniecturis & præſumptionibus grauato: hic enim ad oſtendendam ſuam innocentiam iuramento onerari poteſt, vbi agitur de pœna pecuniaria. Vnde in cauſa fractæ pacis iuramẽtum purgationis Reo, contra quem ſunt

ſuſpiciones, etiam abſque noua citatione & proceſſu deferri tradit Mynſing. in obſeruat. 87. centur. 2.

Eſt & vſitatum, vt mares per expreſsionem nominis diuini, erectis duobus digitis, ſuperioribus reliquis depreſsis, fœminæ autem, imposita manu dextera ſiniſtræ mãmillæ, in loco publico, coram iudice, iurent.

Quis Finis?

Ne, inopia probationum, alicui ius ſuum pereat, ſed iuramento in locum deficientis probationis ſuffecto, lites expediantur, teſte Caio, *qui in* l. 1. ff. eod. ait: maximum remedium expediendarum litium in vſum veniſſe iuriſiurandi religionem, qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex authoritate iudicis, deciduntur controuerſiæ. Hinc & Apoſtolus ait: Omnis controuerſiæ finem eſſe iuramentum, c. etſi Chriſtus, 3. Iacobus, extr. eod.

Qui Effectus?

Quòd iuramentum voluntarium & iudiciale ſpeciem tranſactionis contineant, maioremqúe habeant authoritatem, quàm res iudicata, cedantqúe loco ſolutionis: Adeò, vt cauſa iuriurando ex conſenſu vtriuſque partis, vel aduerſario inferente delato & præſtito, vel remiſſo, deciſa, nec periurij prætextu retractari poſſit; niſi hoc ſpecialiter lege excipiatur. Iuriſiurandi ènim contempti improba præſtatio diui-

nz

næ tantùm vltioni relinquitur. Et post præstitum iuramentum, amplius non quæritur: quia asseueratio iurisiurandi religione firmata, pro veritate habetur. Ideò ei, qui formiter, scilicet, causa adiecta, & expressione contractus, ex quo quid sibi deberi contendit, iurauit, datur actio in factum ex iureiurando, vt ex re iudicata, vel etiam vtilis ex contractu. licet, si informiter iurauerit, vna tantùm in factum iuratoria actio & exceptio iurisiurandi concedatur, Hostiens. titul. de iurament. asserto. §. & si quis, Zasius, tit. de actionibus, inst. l. 2. l. iusiurandum, l. nam postea, ff. eodem. l. 1. l. 2. &, l. actori, C. de reb. cred. necessarium autem iuramentum cùm non ex litigatorum pactione, sed authoritate iudicis, propter probationum inopiam, deferatur, vim non habet transactionis, vel rei iudicatæ, sed probationis.

Non tamen adeò, quin detecto periurio, vel nouis repertis instrumentis, retractari non possit, l. eum, &, l. admonendi, & ibi Dd. ff. eod. Sunt & alij iuramentorum effectus, qui in l. qui iurasse, ff. eod. & per Iason. in §. item si quis, inst. de actionib. recensentur.

Quæ Cognata?

Fidei promissio, quæ, quo ad promissiõis obseruationem, à iuramento non differt. Vtraq; enim paris est efficaciæ, sed tantùm quo ad pœnã, quæ non pariter fractione fidei atq; iuramento

incurritur did. Coauar. in 1. part. comment. in c quamuis, de pactis in 6. Imò, promissio sub fid & dignitate principali à Principe facta iuramen to solenniter præstito æquipollet, Mynsi. in ob seruat. 17. cent. 1. Affinia etiam sunt, res iudicat transactio, secundùm l. 2. ff. eod. & l. non minor rem, C. de transact.

Quæ Adiacentia?

Innocentius III. ex Hieremia propheta, c. 4. colligit, iuramentum tres habere comites, scilicet, veritatem, iudicium, & iustitiam. Veritas hic ex conscientia iurantis iudicatur. Si enim aliter sciat, quàm ore exprimit, in periurij crimen incidit. Iudicium intelligitur de discretione animi deliberatione, quæ in pupillis, furiosis, aliqua mente captis non est: igitur à iurisiurãdi præstatione repelluntur. Iustitia accipitur de rebus iustis, licitis, & honestis, extra quas iuramentum præstitum in temerariam & impiam degenerat promissionẽ, c. fin. 17. q. vlt. c. si quis, 13. q. 2. c. cùm quidam, ext. eod. Hostiens. hoc tit. §. quot comites, & Alc. c. cùm contingat, extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Periurium, mendacium, imbecillitas intellectus, minor ætas, furor, iniquitas, falsitas, dolus, metus, frequentia iurandi, turpitudo.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Regulariter in arbitrio iudicis est, vt Actore in probationibus deficiente, si reus grauatus sit verisimilibus con-

coniecturis, & præsumptionibus, quòd ad ostendendam suam innocentiam iuramento onerari possit, c. vlt. §. vlt. extr. eod. & Mynsing. obser. 89. cent. 2.

Iuramentum suppletorium non defertur, nisi semiplena probatio verè vel necessariò cõcludat, nec sufficit eã præsumptiuè concludere, Rom. cons. 91. num. 10.

Iuramentum litis decisorium à iudice delatum sine iusta causa recusari non potest, delatum verò à parte licitè retusatur, & refertur, excepta actione famosa, in qua Reo, referre non licet, c. iuramentum, extr. eod.

Actore nihil probante, Reus, etiamsi nihil præstiterit, obtinebit, præsumptione verò faciente pro Reo deferri potest ad ostendẽdam suam innocentiam: Nisi iudex in spectis personarum & causæ circumstantijs illud Actori videat deferendum, d. c. fin. § sanè, extr. eod.

Si mulier iurauit aliquem esse maritum, & succubuit, quia alias probationes non attulit, non datur, nec denegatur ei licentia cum alio contrahendi, c. mulieri, extr. eod.

Iuramentum præstitum super actu à lege infirmato, principaliter fauore iurantis, licet in consequentiam, in fauorem publicum, necessariò est obseruandum, si non vi, dolo, aut metu fuerit extortum, c. cùm contingat, eod. &, c. sicut, eod.

Non adstringitur quis iuramento adimplendo quod iurauit, si ab alia parte non impletur, cuius respectu præstitum est iuramentum, c. sicut, eod.

Sicut modico vino, propter frequentes infirmitates, vti licet, ita pro re vera, licita, & honesta, necessitate exi-

gente, potest securè iurari, c. etsi Christus, §. quemadmodum, extr. eod.

Quædam prohibentur, quia per se mala sunt: vt furtum, adulterium, &c. quædam verò prohibentur ex causa: non quia per se mala sunt, sed quia, si fiant, frequenter & multùm ex his mala sequuntur. Sic iuramentum per se quidem malum non est, cùm sit confirmatio veritatis, sed tamen prohibetur ex causa: quoniam exinde quenti & incauta iuratione periurium sæpè contingit, etsi Christus, extr. eod.

Ad iurandum non debet quenquam spontaneitas inducere, sed necessitas importuna trahere, d. c. Christus.

Quodlibet iuramentum tres comites habere debet, veritatem scilicet, iudicium & iustitiam, d. c. Christus, Iacobus, eodem.

Is, qui iurauit cum muliere contrahere, propter superuenientem fornicationem vel deformitatem, eam repellere potest, propter præcedentem non, c. quemadmodùm, eod.

Ex causa leui & temeraria, coniuges, etiam quoad thorum, & mutuam cohabitationem, se separare non possunt, etiam cum iuramenti interpositione, c. tua, eodem.

Omne iuramentum generaliter præstitum, intelligitur omni meliori modo, quo sustineri possit, c. ad nostram, eodem.

Ad liberationem à iuramento per metum extortum opus est Ecclesiastica absolutione, qua non secuta, seruat

dum est, si absq; interitu salutis æternæ seruari possit, c. si verò, &, c. verùm in ea, ext. eod.

Vasallus, qui iuramentum fidelitatis superiori prælato præstitit, successoribus iurare non cogitur, c. veritatis. eod.

Veritatis amica est simplicitas, d. c. veritatis, extr. eod.

Crimen ab eo, qui in dignitate constitutus est, tantò grauiùs est vindicandum, quantò maiore præeminet dignitate committens. Quia eius exemplo faciliùs alij poterunt ad similia prouocari, c. cùm quidam, extr. eod.

Periurus est, & ab Ecclesia remouendus, qui non necessitate, sed voluntate contra licitum iuramentum venit, c. querelam, eod.

Debitor, qui iurauit creditori nullum grauamen super re pignorata inferre, donec soluerit debitum, non auditur repetens pignus, & volens compensare fructus in sortem: sed debet priùs debitum integrum soluere, & postea rem cum fructibus inde perceptis exposcere, c. ad nostram, extr. eod.

Si obijciens exceptionem iurisiurandi, remissi, vel debiti, ex illa exceptione succumbat, nec plenè ante litis contestationem probarit, licet super hoc examinati fuerint testes, nihilominus post litis contestationem, iterum poterit opponi, testesq; rursus examinari & publicari super eadem, Mynsing. 14. obser. centur. 4.

DE EXCEPTIONIBVS.

Titulus XXV.

Continuatio.

ACtoris intentione fundata, solet quandoq; Reus conuentus exceptiones peremptorias, ad excludendum & perimendum id, quod ex narratione facti, & agendi iure Actor in libello concluſit, obijcere, l. 2. ff. de excep. & præscrip.

Quid est Exceptio?

Exceptio, ſecundùm Vlp. in l. 2. ff. eod. dicitur, quaſi quædam excluſio, quæ interponi actioni cuiuſq; rei ſolet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemúe, deductum eſt.

Quæ cauſa Efficiens?

Eſt ipſa lex, & alia omnia, quæ vicem legis habent. Vnde exceptiones à cauſa efficiente, diuidũtur in ciuiles & prætorias, teſtante Iuſtiniano, in §. alioqui, inſtit. de excep.

Quæ ſunt Exceptiones ciuiles & prætoriæ?

Exceptiones ciuiles dicuntur, quæ ex legibus, vel ex ijs, quæ vicem legis obtinent; vt ſunt, ſenatuſconſultum, plebiſcitum, conſuetudo, ſiue ſtatutum, & c. proficiſcuntur: vt exceptio Macedoniani, Velleiani ſenatuſconſulti, &c. Prætoriæ ſunt, quæ ex edictis, & ex ipſius prætoris iuriſdictione ſubſtantiam capiunt, d. §. alio-

alioqui. Quæ per multos Pandectarum libros ſparſim explicantur, vt exceptio doli, metus, pacti, conuenti, &c.

Quæ Matetia?

Materia circa quam exceptionum, eſt, actio de iure competens, vel nullo iure competens, ſed de facto tantùm intentata, Dd. in l. non exceptionibus, C. eod. Cuius contemplatione exceptiones diuiduntur in exceptiones peremptorias facti, ſiue intentionis, & exceptiones peremptorias iuris.

Quæ ſunt Exceptiones peremptoriæ intentionis?

Sunt, quæ intentionem Actoris experiuntis tantùm de facto; cùm ei nulla nunc competat actio; (ſiue anteà competierit ſiue non) perimũt. Nulla autẽ Actori competit actio, quando Reus, neque naturaliter, neque ciuiliter agenti obligatus eſt: vel ſaltem naturaliter, ex qua tamen non datur actio. Exceptionum peremptoriarum facti, ſiue intentionis enumerantur, rei iudicatæ, tranſactionis, & iuriſiurandi, c. 1. eod. tit. in 6.

Quid eſt Exceptio rei iudicatæ?

Exceptio rei iudicatæ eſt, quæ competit illi, pro quo anteà in eadem cauſa, ſuper qua nunc conuenitur, lata ſententia eſt, quæ tranſiuit in rem iudicatam. Ea enim, cùm, propter auctoritatem iudiciorum, habeatur pro veritate, tollit ciuilem obligationem, etiamſi fuerit iniqua, l. ingenuum, ff. de ſtat. hominũ. Agens igitur, quaſi actionis fundamento deſtitutus, ob ciuilis ob-

ligationis extinctionem, ab intentione, per h
ius exceptionis obiectionem, de facto repel
tur. intellige tamen de sententia cõdemnatori
quæ transiens in rem iudicatam, producit actio
nem iudicati in factum, l. actori, C de rebus
cred. ergo multò magis exceptionem produ
ei, pro quo sententia lata est. Vt autem hęc rei iu
dicatæ exceptio competat, tria coniunctim in
teruenire debent: 1. Vt sententia lata sit à iudice
competente, qui habuit ius iudicãdi, c. seculares,
de for. comp. in 6. 2. Vt sentẽtia sit lata, iuris ordi
ne seruato, c. cùm inter cæteras, ext. de sentent. &
re iudic. 3. Vt ab ea non fuerit infra decem dies
appellatum: vel appellatum quidem, sed insti-
tuta appellatio post elapsa fatalia, annum scili-
cet, vel biennium, prosequendæ appellationis pre-
fixum, & concessum: deferatur. Quæ si interue-
rint, tam in ciuilibus quàm criminalibus com-
petit rei iudicatæ exceptio, c. de his, extr. de accu-
sat. Excepta matrimonij causa, quæ nunquam in
rem iudicatam transit, quin, comperta veritate,
retractari possit, c. lator, extr. de sent. & re iud.

Quid est Exceptio transactionis?

Est, quæ competit contra eum, qui, super cau-
sa antea in iudicio, vel extra iudicium transacta
rursus de nouo litem exuscitat, & actionem in-
stituit, l. fratris, C. de transact. Lites enim, legiti-
mis transactionibus sopitæ, etiam Imperiali re-
scripto resuscitari non debẽt, l. causas, C. de trãs-
act. Pariter ad hanc exceptionem tria requiru
tur: 1. Vt fiat inter personas, quibus transigendi
facul-

facultas conceſſa eſt. quæ illæ perſonæ ſint, vid^e ſuprà, de trãſact. item vt fiat de rebus licitis & p̃- miſsis. 2. Vt fiat bona fide: quoniam replicatio doli, exceptionem tranſactionis dolo vel metu initæ elidit & enecat, leg. tres fratres, ff. de pactis. 3. Ne fiat poſt rẽ iudicatam: tranſactio enim poſt rem iudicatam celebrata, iure non ſubſiſtit: niſi negetur, vel ignorari poſsit, an iudicatũ ſit, l. poſt rem iudicatam, ff. de tranſact. Sciẽdum tamen, quòd iure ciuili interſit, an tranſactio per Aquilianam ſtipulationem, an per nudum pactum, facta ſit. Nam ſi per nudum pactum: exceptio trãſactiõis non dicitur exceptio intentionis, vel facti, ſed iuris. Ratio eſt. Quia Actori de iure adhuc competit prior actio, quam tranſactio per pactũ celebrata, penitus enecare non potuit. Cùm pactum ſit conuentio iuris gentium, quæ actionem iuris ciuilis nõ tollit, vt notãt Dd. in l. cùm proponas, §. de tranſ. Quòd ſi autem Aquiliana ſtipulatio addita fuerit, vel acceptilatio, quæ dicitur eſſe ciuilis ſolutio, perimens omnem obligationem, tunc hæc exceptio tranſactionis, \ intentionis & facti dicitur, quia hoc caſu Actor agens ad ea, quæ tranſactione ſunt ſopita, de facto experitur, ius tamen Canonum approbans nuda pacta ad conſtituendum actionis ius, hanc diſtinctionem celebratę tranſactionis per Aquilianam ſtipulationem & nudum pactum non curat neq; approbat, c. 1. extr. de litis conteſtat. vbi gloſſ. & Dd. in ver. finitæ,

Quid

Quid est Exceptio Iurisiurandi?

Iurisiurandi exceptio est, quæ datur con
eum, qui illius negotij, cuius controuersia
delati vel relati iurisiurãdi pręstatione sopita
transacta est, nouam quæstionem refricare
tendit. Iuramento enim, aduersario defer
vel referente, in iudicio, vel extra iudicium p
stito, tantùm quæritur an iuratum sit? nec a
quæstio admittitur, l. non erit, §. dato, ff. de
reiur. Quod intellige de iuramento voluntar
& iudiciali. Illa enim cùm ex conuentione pa
tium originem trahant, vim habent transac
nis, maioremq; auctoritatem, quàm res iudi
ta, l. 2. ff. de iureiur. Nec quid impedit, quo
nùs hæ duæ iuramentorum species, sicuti r
iudicata, & transactio ciuilem obligation
tollere, atque pari ratione exceptio ex illis p
ficiscens litis finitæ impediens litis ingress
intelligatur: eius enim gratia ex litigatorum p
ctione defertur, & præstatur iuramentum, ut
ti finis imponatur: ita vt non inscitè Innoc
tius III. in c. etsi Christus, §. Iacobus, extr.
iureiur. dixerit; Omnis controuersiæ finem
se iuramentum. Quod de iuramento necessari
iudicis auctoritate, in defectum vel supplem
tum probationum delato, accipi non potest:
lud enim vim decisionis vel transactionis no
habet, sed probationis, aduersùs quam in co
trarium admittitur probatio, l. admonendi, f
de iureiur. Et licet ex solo tali iuramento loc
probationis deficientis præstito feratur senten
tia, per lapsum fatalium, transiens in rem iudi
catam

catam,& posteà eandem controuersiam velit resuscitare aduersarius, nõ tam iurisiurãdi, quàm rei iudicatæ exceptione ab intentione sua remoueretur,&c.

Et hæ tres exceptiones, si in vim dilatoriæ, ante litis contestationem obijciantur & probentur, propriè litis finitæ, impedientes litis ingressum: Si autem in vim peremptoriæ, post litem contestatam, opponantur, peremptoriæ dicuntur. Nec alium tunc effectum, quàm aliæ peremptoriæ iuris, producunt, Canonistæ in c. exceptionem, extr. eod.

Quæ Exceptiones peremptoriæ iuris dicuntur?

Exceptiones peremptoriæ iuris dicũtur, quibus eliditur actio illius, cui competit quidem actio de iure, sed non cum effectu exactionis. Quod contingit, quando Reus non est naturaliter obligatus Actori, sed tantùm ciuiliter. Hoc enim casu, licet ciuilis obligatio pariat actionẽ, illa tamen per exceptionis obiectionem ita eneruatur, vt exigendi effectum habere non possit. Quarum quamplurimę recenseri possunt. Sunt enim rei iudicatæ, ex sententia, absolutoria, doli mali, quod metus causa, erroris, non numeratæ pecuniæ, pacti de non petendo,&c.

Quæ Exceptio rei iudicatæ dicitur peremptoria iuris?

Exceptio rei iudicatę dicitur peremptoria iuris, quæ manat ex sententia, quâ Reus conuentus liberatur definitiuè ab actione, eò quòd Actor intentionem suam probare non potuerit

rit.hoc enim casu,licet,ob iudiciorum author tatem,tollatur ciuilis obligatio,remanet tam ob consensum, quam victus sententiæ latæ pra bere non præsumitur,naturalis,ex qua,ob de ctum ptobationum, victo competit actio, qu contra reum denuò intentata, per exceptione rei iudicatæ eliditur. Sed quomodò ex naturali tãtùm obligatione dari potest actio, ciuili obligatione,quæ tantùm actionem producere dicitur,sublata? Respondet Bart.in l.Iulianus,ver.secundo, ff.de condict.indeb.quem sequuntur ibi Paul.Iaſ.& alij: Licet naturalis per se ad producendam actionem inefficax sit, ad cõseruandam tamen,ex coniunctione naturalis & ciuilis producta obligationem,proderit. Sicuti fœmella viro non mixta,licet non pariat, potest tamen ex coniunctione viri partum conceptum etiam absque viro conseruare.Ideò pari ratione hoc casu,naturali obligatione remanente tantùm,qua ciuili coniuncta fuit,ex coniunctione producta actio conseruari potuit: cui tamen exceptio rei iudicatæ,quę ob id nõ peremptoria facti,siue intẽtionis,sed iuris,dicitur,obstare potest.Tamen aduerte, quòd hoc verum sit, si ex illa causa,ex qua antea actum est,agatur,si autem ex alia causa,ad eandem rem, actio instituatur, non obstabit rei iudicatæ exceptio:illud enim canonicum est: Si, assignata remota causa, vel in rem, vel in personam,agens succubuit, non obesse rei iudicatæ exceptionem,quò minùs denuò ex alia causa rem eandem petat, l. de eo, ff. ad exhib.l. hæreditas,C.de petit.hæred. Quòd si agens actione

in

in rem remotam, non expreſſerit cauſam, ſed tantùm proximam, id eſt, dominium, omne ius ſuum in iudicium deduxiſſe videtur: ideò ſi reus abſoluatur obſtabit actori rei iudicatæ exceptio, l. & eandem, §. actiones, ff. de excep. rei iud. (Quæ verò ſit cauſa remota vel proxima in actione perſonali & reali? Vide latiùs ſuprà, titu. de libel. oblat.) Inquam, ſi Reus, Actore non probante, abſoluatur, obſtare eidem iterum agenti exceptionem rei iudicatæ peremptoriam iuris, non facti, niſi pronuntietur, ipſum quoque eſſe dominum. Hoc enim caſu, ſi Actor non appellet, præſumitur conſentire, vt penes Reum dominium permaneat: per quem conſenſum naturalis obligatio etiam tollitur, ita vt ne reliquiæ quidem prioris inſtitutæ actionis remanere videantur. Sed nónne pari ratione, ſi Reus ſimpliciter abſoluatur, videtur Actor in iudicatum conſentire non appellando? Reſpondeo, quòd ſic, quatenus tale iudicatum eſt: abſolutoria autem ſententia ſimplex non omninò adimit Actori ius ſuum, ſed ab impetitiõe liberat conuentum Reum. Ergo naturalis obligatio, quæ ſummæ æquitati ſubnixa eſt, adhuc durare intelligitur: ſubmouetur autem Actor denuò agens exceptione rei iudicatæ, quæ naturali obligationi ad authoritatem publicam, cui iudicia innituntur, in dubio prævalet.

Quid

Quid eſt Exceptio doli mali.

Exceptio doli mali eſt, ius, quo ſubmouet intentio eius, qui petit id, quod illi, ratione hibiti doli, promiſſum eſt. Promiſsio enim iuris vinculum contineat, ciuilem obligationem inducit: licet per adhibitionem doli, naralis obligatio impediatur: ideò actio ex obligatione proficiſcens, exceptione doli tur. Diſtingue tamen circa contractus. Aut lus dat cauſam cõtractui bonæ fidei, in qua citatus amoris inſtinctus, bonæ fidei exuberantia, ſummaq; æquitatis ratio, nihil fraudi mittit: Et tunc ipſo iure nullus eſt contra nec reſciſsione indiget, vt in ſocietatis & arbitrio rei vxoriæ, l. 3. ff. pro ſocio, mulier, §. ſi dos, ff. quod metus cauſa. Aut cauſam alijs contractibus bonæ fidei, & iuris, vel incidenter venit in contractum bonæ fidei vel ſtricti iuris: & contractus ipſo iure dem ſubſiſtit, ſed per exceptionem, vel actionem doli reſcinditur, l. 1. ff. de excep. doli, l. dolo, C. dolo, &, l. & eleganter, ff. de dolo. Licet contractus bonæ fidei, etiam ob dolum per actionem ex ipſius contractus natura proficiſcentem, ſcindatur, l. ſi dolo, l. dolus, C. de reſcind. ven. &, l. Iulianus, §. per contrarium, ff. de act. emt. & vend.

Quid eſt Exceptio, Quod metus cauſa?

Exceptio, quod metus cauſa, eſt, qua repellitur Actor petens quod metu extorſit, nondum fa-

facta traditione, l. si donationis, C. de his, quæ vi metusq; causa, &c. Metus enim, qui in constantem virum cadere potest: vt metus mortis, cruciatus corporis, capitalium minarum, potentiæ, &c. naturalem obligationem, ob defectum consensûs impedit: licet, ob aliqualē factæ promissioni accommodatum consensum, producat ciuilem, per hanc exceptionem, Quod metus causa, elidendam, l. fin. C. de his, quæ vi, metusq; causa, &c. l. si mulier, C. eod.

Quid est Exceptio erroris?

Exceptio erroris est, quæ datur illi, qui promisit, quod credidit se debere, cùm non deberet; obligatur enim ciuiliter, propter promissionē. Cùm autem error impediat consensum, naturalis obligatio, ad firmandum promissionis ius, produci non potuit, l. si per errorem, ff. de iurisdict. omnium iudicum.

Quid est Exceptio pacti, De non petendo?

Exceptio pacti, De non petendo, est, quę competit contra eum, qui, per pactum, se non petiturum promisit. Quæ ideò elidit actionem iuris, quia per pactum, De non petendo, eliditur tantùm naturalis obligatio, remanente ciuili. Sicuti enim nudum pactum non parit efficacem obligationem ad agendum, ita quoque, non potest eam tollere ipso iure, sed exceptionis æquitate, l. iuris gentium, ff. de pact. Fallit tamen in omnibus contractibus, qui consensu contrahuntur. Quia illæ obligationes, nudo con-

sensu, re integra, tolluntur. Secundò in actionibus famosis, ex maleficijs descendentibus: vt, furti, iniuriarum, & similium; illis enim casibus per pactum, obligationes & actiones tolluntur. Nota etiam, quòd hæc exceptio pacti, De non petendo, per aliud posterius pactum, De non petendo, elidatur: non quidem, ipso iure, sicuti stipulationes stipulationibus tolluntur, sed replicationis ope. in illis enim ius, in his factum, versatur, l. si vnus, §. pactus, ff. de pactis. Sunt & aliæ facti, & iuris, exceptiones: vtputà, præscriptionis, solutionis, acceptilationis, compensationis, deceptionis vltra dimidium, quæ suo loco explicantur.

Quæ Forma Exceptionum?

Forma exceptionum certa præscribi non potest: sufficit enim, simplici facti narratione, in scriptis, vel, sine scriptura, in iudicio, coram iudice, ante vel post litis contestationem, (prout obiectæ exceptionis conditio requirit) ipsum exceptionis ius explicare. Modus autem proponendi & tempus, quo opponi debeant, hic considerandæ sunt. Proponuntur enim quædam exceptiones in modum actionis: velut, simulationis contractus, non numeratæ pecuniæ, &c. Quæ & excipiendo, sicuti omnes aliæ exceptiones, opponi possunt. Et licet illæ ad certum tempus, infra quod obijciendæ, restringantur, sunt tamen, omnes penè exceptiones ex varijs causis proficiscen-

tes

tes perpetuæ : etiamsi actio, cui obijcitur, annalis sit. quia quæ annua sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum, l. quæsitum, ff. de peculio. Ratio est, quia Actori liberum est, quando suo iure vti velit; quod non conceditur Reo, qui de tempore, quo conueniri possit, incertus est, l. 5. §. vlt. ff. de doli except. Excipiuntur exceptiones dilatoriæ cum illis, quibus ipsa lex, & pactio hominis, vtendi modum & opponendi tempus, præscribunt. Nam licet pluribus vti exceptionibus de iure competentibus, & vna omissa, vel non probata, ad aliam redire nemo prohibeatur, l. nemo, ff. eod. Tamen non omnes vno tempore, vel ad vnum effectum proponuntur. Opponuntur enim in vim peremptoriæ: quædam post litis contestationem: quæ si ante litem contestatam obijcerentur, litis ingressum impedirent: vt sunt omnes exceptiones peremptoriæ facti, siue intentionis, vel litis finitæ. Quæ quidem si in vim dilatoriæ opponuntur, ante litis contestationem incontinenti probandæ sunt, vt litis ingressum impediant: Si verò in vim peremptoriæ, obijci post litis contestationem possunt, & probari, cùm aduersarius intentionem suam probando fundauit, l. fin. C. de except. & ibi Dd. Bald. in l. edicto, C. de edict. diui Adria. toll. &, cap. 1. extr. de litis contest. Exceptiones peremptoriæ iuris opponuntur, & probantur, ante sententiam, non autem post sententiam, l. peremptorias, C. sententiam rescindi nõ posse.

Ni, ex quodam priuilegio, hoc concedatur: vt si sententia contra minorem, militem, vel mulierem, esset lata, vel specialiter lege sancitum sit: vt de exceptione falsi procuratoris, nullitatis processûs, & similibus. Exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium opponitur: exceptio ex epistola diui Adriani, & excommunicationis ante, vel post litis contestationem. Dilatoriæ verò pleræque ante litem contestatam sunt opponendæ & probandæ, ad quas proponendas potest, imò debet, iudex terminum assignare, vltra quem excipere volens non auditur; nisi ante terminum de pluribus proponendis fuerit protestatus, vel aliqua forte de nouo competens sibi exorta fuerit, vel sibi eam faciat iuramento, se postmodùm ad illius notitiam peruenisse, c. pastoralis, extr. eod. Quod quidem verum est, non tantùm de dilatorijs iudicij, sed etiam de dilatorijs actionis, vel causæ, de qua agitur: vt est exceptio pacti, De non petendo intra certum tempus, exceptio executionis in personali, ante lapsum quatuor mensium, &c. Nam & hæ initiò ante litis contestationem opponi possunt, probari autem eas, priusquàm Actor intentionem suam fundauerit, non est necesse, l. exceptionem, C. de probat. & ibi Dd. Declinatoriæ denique exceptiones proponi debent initio litis, non modò ante litis contestationem, sed ante reliquas exceptiones, quæ ex varijs causis competere possunt: quoniam ijs omissis, si procedat Reus, in tale iudicium consensisse, & iudicem approbasse videtur. Quare & recusationis exceptio, qua iudex ob suspicionem

nem recusatur, primò omnium obijci debet, c. quoniam, extr. de probat. &, gloss. in c. 4. extr. eod.

Ex his omnibus patet, varias esse exceptionum diuisiones: Quædam enim sunt temporales, quædam perpetuæ: quædam reales, quędam personales, quædam transitoriæ, quædam non transitoriæ in hæredes, &c.

Quis Finis & Effectus?

Quòd exceptiones peremptorię facti in vim dilatoriarum obiectæ impediãt litis ingressum, post litem autem contestatam, in vim peremptoriarum oppositæ, perimant intentionẽ Actoris: Reliquæ omnes exceptiones vel perimant actionem, vel differant, vel mutent iudicium. Hinc generalis illa diuisio exceptionum, quam Caius in l. 3. ff. eo. ponit, desumitur: Quòd quędam exceptiones sint dilatoriæ, siue temporales: quædam peremptoriæ. Sed cùm de peremptorijs satis superq; dictum sit, nunc quid dilatorię? & ex quibus causis desumantur? videamus.

Quæ dilatoriæ Exceptiones dicuntur, & quotuplices?

Dilatoriæ exceptiones, dicuntur & temporales, quæ ad tempus tantùm nocẽt, & actionem in tempus differunt, l. 3. ff. eod. Et sunt duplices: quædam declinatoriæ iudicij, quædam dilatoriæ intentionis.

Quæ sunt declinatoriæ iudicij, & ex quibus causis colliguntur?

Declinatoriæ iudicij dicuntur, quæ, mutandi fori causa, obijciuntur & colliguntur, ex multis causis: 1. Ratione iudicis: quòd sit incompetens, suspectus, bannitus, infamis, furiosus, mutus, surdus, minor, mulier, hæreticus, Iudæus, Specul. in tit. de iudic. deleg. §. excipi potest. 2. Ex persona Actoris: vt, quia prodigus, furiosus, mutus, surdus, infans, minor, volens agere sine tutoris auctoritate, Specul. tit. de actore, qui plures ponit. 3. Ex persona Rei: vt, quia Doctor iuris, Medicus, artium liberalium professor: qui inuiti cogi non possunt ad iudicium, clericus conuentus coram laico, pater, patronus, consul, vel persona in dignitate constituta, & conuenitur absque venia iudicis, Specul. tit. de Reo. 4. Ex persona procuratoris, quòd sit mente captus, mutus, surdus, redemptor litium, accusatus de crimine, nec purgatus, minor, mulier, Specul. de procuratoribus. 5. Ex rescripto: vt, quia est falsum, surrepticium, cancellatum, rasum, Specul. tit. de rescript. qui multò plures ponit excipiendi causas. 6. Ex tempore: vt, quia citatus ad diem feriatam, vel tempore messis, vel vindemiarum, tot. tit. C. de ferijs. 7. Ex loco: vt, quia locus non est tutus, propter incursum hostium, vel latronum, vel grassantem pestem. 8. Ex causa: vt, quia quis conuenitur super pluribus actionibus personalibus coram diuersis iudicibus, c. dispendia, extr. de rescript. 9. Colligun-

tur

tur ex libello: vt, quia defectus est in solennitate, vel sit obscurus in personali, non expressa causa agendi, vel non concludat, tot. tit. de libel. oblat.

Quæ sunt Exceptiones dilatoriæ intentionis?

Sunt illæ, quæ differunt negotium, vel causam principalem in certum tempus, vel pro parte, vel in totum, differunt. Et hæ exceptiones etiam ex multis causis proficiscuntur. primò, ex legis dispositione: quando videlicet lex non statim, sed certo tempore solutionem fieri statuit: vt est in condemnato in actione personali, qui non tenetur iudicatum soluere, ante lapsum quatuor mensium, l. 2. ff. de re iud. Itẽ, quando vxor, vel eius hæredes soluto matrimonio, repetunt dotem, non tenetur maritus reddere ante annum à die soluti matrimonij computandum res mobiles, l. vnica, C. de rei vx. act. Huc quoque referendæ sunt exceptiones, quibus quidem se defendunt à solutione solidi: quales sunt dominus & pater, quando conueniũtur de peculio filij & serui. 2. Maritus quando vxor repetit dotem. 3. Parens & patronus, quando cõueniuntur à filijs & libertis. 4. Quando agit socius cum socio. 5. Si quis conuenitur ex sua donatione. 6. Is, qui cessit bonis. Nam illi omnes habent exceptionem, ex dispositione legis, qua se defendunt, ne teneantur soluere solidum, sed quantùm facere possunt. Et sic differtur solutio pro parte, l. sunt qui, ff. de re iudic. Spec. in tit, de excep. §. nunc videndum.

Secundò, oriuntur ex conuentione partium, vt si tibi promisi in diem, & tu petis statim, l. continuus, §. cùm ita, ff. de verb. oblig. Vel, quia ab initio purè obligatus eras, & postea feci tibi pactum, De non petendo, vsque ad certum tempus, l. 3. §. temporales, ff. eod.

Quæ Cognata?

Actio legis Diffamari, duplicatio, quadruplicatio, (quia excipiendo proponuntur) reconuentio.

Quæ Adiacentia?

Naturalis æquitas, cui exceptio, quæ speciem defensionis habet, subnixa est, protestationes, contestationes, exercitium de iure competentis exceptionis. Quia super ea si non legitimè proponatur, iudex cognoscere non solet?

Quæ Pugnantia?

Replicatio: quia sicuti exceptio actionem, ita replicatio exceptionem excludit: triplicatio, quintuplicatio; vltra tamen quadruplicationes in benè institutis iudicijs vnam exceptionem protendi non permittitur; statutum & consuetudo, quæ tales vel tales exceptiones proponi prohibent, pactum, De non petendo, aliæq; iure licitæ conuentiones partium, quibus exceptiones tolluntur: omnesq; exceptiones, quibus falsum, iniquum, & absurdum asseritur. Non enim hæ exceptiones sed allegationes illicitæ & improbę, dicendæ sunt.

AXIO-

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

De attentato post appellationem, etiam ab interlocutoria, non est necesse in rescripto facere mentionem, c. dilectæ, extr. eod.

Replicatio excludit exceptionem, c. dilecti, eod.

Excipiens non videtur fateri ea, quæ exceptione includuntur, c. cùm venerabilis, extr. eod.

Excommunicatus, excipere, appellare, & omnem defensionem facere potest, sed recõuenire non potest, c. cùm inter, extr. eod.

Iudex statuere debet terminum ad omnes dilatorias proponendas, post quem excipientem non audiet: nisi de ea proponenda fuerit protestatus, vel aliqua de nouo sibi competens exorta fuerit, vel is, qui voluerit eam opponere fidem faciat iuramento, se postmodùm ad illius notitiam peruenisse, c. pastoralis, extr. eod.

Periculosum est coram suspecto iudice litigare, c. cùm inter, extr. eod.

Iudicium non debet claudicare: nec Reus multoties condemnandus, d. c. cùm inter, eod.

Exceptio est conditio, quæ modò eximit Reum à damnatione, modò minuit damnationem, l. antepenult. ff. eodem.

Exceptiones peremptoriæ facti si in ingressu litis opponuntur, non ad meritа causæ, sed ad litis ingressum, impediunt litis contestationem.

Nemo prohibetur vti pluribus exceptionibus, quamuis diuersa sint: quare vna omissa, vel non probata, ad a-

liam redire potest, l. nemo, ff. eodem.

Non vtiq; existimatur confiteri de intentione adu-sarij, cum quo agitur, qui exceptione vtitur, l. non vtiq; ff. eod.

Omnes exceptiones, quæ Reo competunt fidei-quoq;, etiam inuito Reo, cõpetunt, l. omnes, & l. excep-ones, ff. eod.

Exceptiones quæ personæ cuiusq; cohærent, non tra-eunt ad hæredes, l. exceptiones, eod.

Replicatio est contraria exceptio, quasi exceptio exceptio, l. exceptio, eod.

Generaliter in præiudicijs Actoris partes sustinet habet intentionem secundùm id, quod intendit, l. gene-liter, eod.

Exceptiones opponuntur, aut quia factum sit, quod fieri oportet, aut quia factum sit, quod fieri non opor-aut quia factum non sit, quod fieri oportuit, l. excep-nes, eod.

Rei iudicatæ exceptio non obstat quin instrumenti fal-sitas probari possit, l. qui ad gentis, eod.

Ea quæ sunt ad agendum annua, vel tempora-lia, ad excipiendum perpetua, l. 4. C. qui admitti, &c.

Non tenetur Reus suam exceptionem probare, ni-Actor suam intentionem impleuerit, vel eam confes-fuerit Reus, l. exceptionem, C. de probat.

Agere etiam is videtur, qui exceptione vtitur; ut Reus in exceptione Actor est, l. 1. ff. eod.

DISCORD. IVRIS CIVILIS ET PONT.

Legistæ peremptoriæ obiectu litem putant contestat-Bal. l. 1. C. de litis contest. Canonistæ negant, nisi inficia-

do conteſtetur, c. 2. extr. de litis conteſt.

Exceptionem temporalem, vt eſt exceptio non numeratæ pecuniæ, perpetuam eſſe ex æquitate putant Canoniſtæ, Dyn. c locupletari, in 6 de reg. iuris. Leges negant.

DE PRAESCRIPTIONIBVS.

Titulus XXVI.

Continuatio.

LIcet præſcriptiones, pro exceptionib. in vim dilatoriarũ obiectis promiſcuè vſurpentur, eſt tamẽ prę̃ſcriptio exceptio cauſam ex tempore trahens, qui Actoris intẽtio quandoq; perimitur.

Quid eſt Præſcriptio?

Præſcriptio eſt, ius quoddam ex tempore continuæ poſſeſsionis rerum mobilium & immobilium, aliquando dominij vtilis, aliquando actionis vtilis, aliquando legitimæ exceptionis cauſam tribuens, 16. q. 3. Hoſtienſ. tit. de præſcrip. rerum immobilium. Vel: præſcriptio eſt ius quoddam ex tempore congruens, legum authoritate vim capiens negligentibus pœnam inferens, & finem litibus imponens: quæ duæ definitiones à fine & effectu ſunt deſumptæ, Panor. & Ioannes And. in c. poſſeſſor, de reg. iur. in 6.

Quotuplex Præſcriptio?

Prę̃ſcriptionũ alia, tẽporalis, alia perpetua eſt. Tẽporales p̃ſcriptiones à varietate materiarũ variæ deſumũtur, & dicũtur, vel horarũ, vel menſiũ, vel annorũ, longior tamen 25. annos nõ tranſcendit: quas vide in Hoſtienſ. §. quot ſunt eius ſpecies, tit. de præſcrip. Perpetuarum alia, eſt 30.

vel

vel 40.annorum,16.q.3.§.poteſt, c. ſanctimonialis,12.q.1.quibus omnes actiones, item pignus tertio quodam poſſeſſum,res furtiuæ,de iure ciuili,& de iure Canonico Eccleſiæ priuilegia præſcribuntur,l.omnes,C.de præſcrip.30.vel 40.anno.c.ſi de terra,&,c.accedentibus, extr.de priuil. & exceſſ.&c. Et hæ præſcriptiones dicuntur longiſsimi tẽporis.Dicitur etiã preſcriptio tãti temporis,cuius initij memoria non extat, perpetua qua imperium,iuriſdictio, vectigalia, ius colligendi pædagia,& alia regalia præſcribuntur,c. ſuper quibuſdam, extr.de verb. ſig. & ibi Canoniſtæ.Etiam ſeruitutes cauſam diſcontinuam habentes,c.quæ ſine facto hominis non conſiſtunt. Perpetua etiam dicitur præſcriptio 100.annorũ, quæ ſpecialiter ſoli Romanæ Eccleſiæ concẽſa eſt,ab Innocẽtio III.qui aſſerit,in iuribus ad Romanam Eccleſiam ſpectantibus currere ſolam centenariam præſcriptionem,c.ad audientiam,ext. eod. Quod ita accipiendum eſt,ſi priuatus contra Romanam Eccleſiam in aliquod præſcribere præſumat, aliàs enim Eccleſia contra priuilegia alterius Eccleſiæ 30.vel 40.annorum ſpatio præſcribit,d.c.de terra,&,c.accedentibus,extr.de priuileg.& exceſſ.

Quæ eſt cauſa Efficiens?

Eſt lex ciuilis cauſam fundatam habens in iure naturali, iubente humanam ſocietatem in tuto eſſe conſtituendam,& conſeruandam:quod fieri non poſſet, ſi non certi fines litium ſopiendarum eſſent cõſtituti.Inquit enim Caius in l.1. ff. de vſucap. bono publico vſucapionem eſſe introductam,ne ſcilicet quarundam rerum diu,

&

& ferè semper incerta dominia essent, cùm sufficeret dominis ad inquirẽdas res suas statuti temporis spacium. Et licet textus loquatnr de vsucapione, quæ propriè rerum mobilium est: tamen cùm, generaliter accepto vocabulo vsucapionis, præscriptionem etiam contineat, dubium non est, quin relata in tit. De vsucap. ad præscriptionem, nisi eius naturæ repugnent, transferri possint, &c.

Quod Obiectum?

Res mobiles, immobiles, corporales & incorporales: vt sunt iurisdictiões, iura seruitutũ, actiones, aliaq; q̃ vel iure, vel corpore consistũt; nisi humanis vsibus & cõmercio sint exẽpta: vt sunt res sacræ, religiosæ, sanctæ, liber homo, spiritualia, c. causam, extr. eod. glos. in c. 2. ad verb. iura, extr. de reb. Eccles. non alienand. l. ait prætor, §. 1. ff. de iure dot. Aduerte tamen, quòd hoc obtineat, si præscriptionis vocabulum generaliter accipiatur, & ratione effectus: vt propter rem mobilem præscriptam, vel res incorporales longissimo tempore, & cuius initij memoria non extat quasi possessas, competat præscriptionis exceptio, iuri tamen offerendi, luendi, & alijs, quæ sunt meræ facultatis ne quidem triginta annis præscribitur, Mynsinger. obser. 16. cent. 1.

Quæ Forma?

Vt præscribens rem, quæ præscribi & possideri possit, bona fide iusto titulo per continuationem temporis lege definiti suo nomine possideat. Ex quibus apparet, quæ ad præscriptionem in-

inducendam requirantur, requiritur enim p
mò, vt res præscribi possit. 2. Bona fides. 3. Ti
lus. 4. Continuatio possessionis per tempus
ge definitum. 5. Vt possessio, non alieno, sed s
nomine, contingat.

Quæ res dicitur Præscriptibilis?

Res præscriptibilis dicitur, quæ non est cõm
cio & humanis vsibus exempta, & quæ possid
potest, vel quæ nõ est vitiosa. Nam quæ possid
non possunt, non præscribũtur, cùm præscriptio
absq; possessione non inducatur, c. sine possessio
ne, in 6. tit. de reg. iur. Non aũt possidentur, quib.
impossibilitas vel iuris vel facti obstat. Impossi-
bilitas facti, est in illis rebus, q̃ per rerũ naturam
non existunt; vel existunt quidem, sed in dom
nium nostrum adduci non possunt: vt sunt
quæ mari sunt demersæ, & similes. Iuris impossi-
bilitas, possessioni obstare dicitur, si res vetitis
gibus possideatur; quæ enim legibus prohibi
sunt, illa nos non posse, existimandum est: Ver
res sacræ, sanctæ, religiosæ possidẽtur; in his e
nim fauor religionis iuris impossibilitaté, quo
ad possessionem, inducit; quod tamen intellig
quo ad laicos. Quoniam clerici, sicuti eas possi-
dere, ita præscribere possunt, c. causam, extr. eod.
& per totum, 16. q. 3. Res autem furtiuæ &
possessæ licet possideantur, tamẽ, ob vitium fu
ti, vel violentiæ, quo affectæ sint, non præscribi
tur, nisi longissimi temporis vsu illud purgati
fuerit. quod quidem iure ciuili statuitur, iure au
tem Canonico possessor rei alienæ sibi conscius
nunquam præscribet, c. fin. extr. de præscrip.

Quid

Quid bona Fides?

Bona fides est, vt glos. notat in c. si diligenti, extr. eod. credulitas, qua quis putat tradentem esse dominum, vel habere ius distrahendi, licet erret in facto. Cui opponitur mala fides: quam dicitur ille habere qui scit, eum, à quo rem comparet dominum non fuisse, vel eius distrahendę potestatem non habere: vel alienationem & possessionem legibus esse prohibitam, Dyn. c. possessor in 6. de regu. iur. Quo autem tempore bona fides ad præscriptionem requiratur, quæritur. Et distinguendum est inter ius ciuile & Pontificium. Ius enim ciuile possessionem bona fide inceptã, licet postea mala fides superueniat, vel eius qui incepit, vel vniuersalis successoris sufficientem ad inducendam præscriptionem constituit. Quod quidem verum est in successore vniuersali, & hærede & bonorum possessore: non autem successore singulari vt venditore emptore, permutatore, donatore & donatario, &c. inter eos enim, licet continuatio temporum ad complendam præscriptionem proficiat, tamen vtriusq; bona fides requiritur. Ratio diuersitatis fundatur in fictione iuris: qua vniuersalis successor eadem persona cum defuncto reputatur, quæ fictio in singulari successione locum sibi non vendicat. Exempli gratia, Titius prædium à Seio, quem putat verum esse dominum, soluto iusto precio, comparat, (Ecce bona fides) Titius moritur post præscriptionis inceptionẽ elapso triennio, relicto hærede Caio, qui venditorẽ prædij distracti dominum non esse, scit, (Ecce mala fide

fides in ſucceſſore vniuerſali) adita hæreditate prædium per ſeptennij ſpacium poſsidet: an tempora, ſcilicet triennium defuncti, & ſeptennium hæredis, ad conſtituendum tempus præſcriptionis inducendæ definitum continuentur? nec obſit tanto tempore hæredis mala fides præſcriptionis vigori? Leges ciuiles continuari tempora nec malam fidem poſtea ſuperuenientem impedimento præſcriptioni eſſe, ſtatuunt: initium enim præſcriptionis inſpicitur quod ſi mala fide careat, præſcriptionem inducit, ſi verò non careat, & defunctus notitiam rei alienæ habuerit, vel contra leges, & dolo malo, ſciens rem comparauerit, hæredis etiam bona fides ad implendam malè captam præſcriptionem, non proficit: niſi à ſe præſcriptio incepta & legitimo tẽpore completa fuerit. Si verò Titius, poſt triennium adita ſuperſtes prædium vendat, Titij bona fides emptori ad perficiẽdam præſcriptionem nihil prodeſt: Niſi & is rem alienã eſſe ignoret, & ſic bonã fidem habeat. hoc enim caſu continuatio temporum & poſſeſsionum acceſsio fiet, proficietq; triennalis poſſeſsio ad præſcriptionis inductionẽ ipſi emptori, §. inter venditorem, inſt. de vſuca. & longi temp. præſcrip. &, §. diutina, eod.

Ius autem Canonicum in poſſeſſore quolibet tempore bonam fidem requirit, donec præſcriptio compleatur. Et ideò quocunq; tempore mala fides ſuperueniat, ante completam præſcriptionem, interrumpitur præſcriptio. Quod etiam in huiuſmodi cauſis decidendis obſeruari debet: dubium enim non eſt, quòd quiuis, qui ſciens rẽ alienam poſsidet, ſe peccatis aggrauet, cùm non tan-

tantùm furta, direptiones, & alia, quæ damno proximi cedunt, lex diuina prohibeat, sed etiam aliena restituenda præcipiat, possessor igitur malæ fidei, iuxta Bonifacij VIII. regulam, nullo vnquam tempore præscribit, c. possessor, de reg. iu. in 6. l. veniens, &, c. si diligenti, extr. de præscriptionibus. Quod & Innocentius III. tam in Canonica, quàm ciuili præscriptione statuit, c. fin. extr. eod.

Quid est Titulus?

Sola bona fides non sufficit ad præscriptionẽ, sed requiritur etiam iustus titulus, quia, sicuti ex temporis tractu non tollitur, ita etiam non constituitur aliquod ius, l. obligationum, ff. de act. & oblig. c. dudum, extr. de decimis. est autem titulus causa, seu modus ad transferendum dominium habilis. Quorum quòsdam iure gentium, quosdam iure ciuili introductos docet Iustinianus in §. singulorum, inst. de rerum diuisione: vt sunt, pro derelicto, pro suo, pro soluto, pro emptore, pro trãsacto, pro hærede, pro donato, pro legato, pro dote. Titulũ, pro suo, Vlpianus generalem constituitin l. 1. ff. pro suo: Paulus autem specialem, l. 2. ff. pro suo. Generalis est qui cum omnibus alijs iuris ciuilis titulis concurrit: Nam qui, pro emptore legato, donato vel alio titulo possidet, pro suo, etiam possidet, d. l. 1. Specialis autem titulus pro suo dicitur, iuris gentium modus, quo possidemus omnia, quæ mari, terra, cælo capimus, aut quę alluitione fluminum, nostra fiũt: item, quæ ex rebus alieno nomine possessis nata possidemus; & quotiescunque alius titulus

deficit, pro suo quis possidere dicitur: quare pe
tum hæreditariæ aut emptæ ancillæ, simili
fructus rei emptæ, aut donatæ, Pro suo possi
ri dicuntur, d.l.2.ff.pro suo. Quia in illis ali
titulus possidendi non habetur. Titulus, Pro
relicto dicitur, quando res mea ab alio, qui
debatur dominus, possidetur: eaq; ab ipso p
sessore, Pro derelicto, habita à tertio, qui ipse
credebat esse dominum, possideatur, qui ea
Pro derelicto, iuris titulo acquirere potest,
iamsi, à quo derelicta sit ignoret. Res enim, p
derelicto, habita, statim domini esse desinit, d
cupantis fit, si eam apprehendat, quia ijsdem
dis res desinunt esse nostræ, quibus acqui
tur, l.1.&, l.id quod, ff. Pro derelicto. Qu
tem non apprehendatur, nullius esse
Nam, licet iuxta opinionem Iuliani, quæ
li sententiæ prævaluit, res, Pro derelicto, h
ta desinat omittentis esse: non tamen alteri
nisi possessa fuerit, l. Pro derelicto, ff. eodem.
tulus, Pro soluto, proficit præscriptioni
cendæ, cùm vterq;, & soluens, & is cui solu
iusto errore ducti, putant debitum esse, cùm
men non sit, & hoc verum, siue causa debiti
ue non sit, vel sua res ex nulla, vel aliena ex
causa, præcedente, credente eo qui accipit tra
tem rei alienæ & traditæ esse dominum, tra
tur, tamen ex causa emptionis tradens rem,
emptio nulla præcesserit, non inducitur v
pio. Ratio diuersitatis est: quia in alijs contra
bus vnum tantùm tempus, scilicet solutionis,
traditionis, inspicitur, sed in emptione duo te

pora, videlicet contractûs & solutionis, attenduntur, l. pro emptore, ff. pro emptore: vt igitur accipiens rem traditam ex causa emptionis vsucapiat, non tantùm possessionem bona fide adeptus, sed etiam bona fide emisse debuit. Titulus, Pro emptore, iusta dicitur præscriptiõis causa, si emptio rei alienæ in rei veritate & traditio celebrata sit: vel cum eo, qui rem suam ius distrahendi non habet, l. 2. ff. Pro emptore. Ad hunc titulum requiruntur: 1. Conuentio contrahentium. 2. Vt sit conuentio pura, non conditionalis. 3. Vt res vendita, sit tradita. 4. Vt precium sit solutum. 5. Vt emptor vtroq; tempore, & conuentionis & traditionis habeat fidem bonam, d. l. 2. ff. pro emptore. Titulo, Pro transacto, vsucapitur res, quæ relinquenti actionem & recedenti à lite, transactionis causa, à non domino putante se dominum, traditur. Nec enim hoc titulo vsucapitur id, super quo trãsigitur, i. res de qua litigabatur, sed id, propter quod transigitur, i. res, propter quam à lite receditur, l. si pro fundo, C. de transs. Pro donato, inquit Paulus, is vsucapit, cui donationis causa res tradita est: nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet: si igitur donationis causa venditio fiat, non pro emptore, sed pro donato, res tradita, vsucapitur, leg. 1. & l. fin. ff. Pro donato. Idem Paulus, Pro legato, vsucapi ait, si res aliena legata sit, aut testatoris quidem sit, sed adempta codicillis ignoratur: vel si in nomine erit dubitatio: veluti si Titio legatum sit, cùm sint duo Titij, & alter eorum de se cogitatum existi-

mauerit, vel si is, cui tradita res est, mortuũ esse testatorem putauerit: his enim casibus probabilis error, & putatiuus titulus iustam dat vsucapiẽdi causam, l. pro legato, & l. si is, ff. pro legato. Pro dote, vsucapio locum habet inter eos, inter quos est matrimonium. si enim sponso aliquid datum sit, nuptijs nondum solutis, nõ pro dote, sed, pro suo, vsucapiet. Et contingit, quando res aliena bona fide in dotem datur, l. 1. &, l. duæ filiæ, ff. pro dote. Pro hærede, vsucapit is, qui verè hæres est, & qui testamenti factionem habet. Quando videlicet hæres rem alienam in hæreditate defuncti inuentam, post aditam hæreditatem, legitimo tempore possideat, putás, ipsam fuisse defuncti: vel etsi sciat dummodò initium præscriptionis bona fide non caruerit: quia superueniens mala fides hæredis legitimæ incepæ præscriptionis cursum non impedit, de iure ciuili, toto tit. pro hærede, & pro posses.

Quæ possessionis Continuatio requiratur?

In præscriptione longi temporis, continuari possessionem oportet inter præsentes decennio, inter absentes autem vicennio: in longissimi temporis præscriptionibus, 30. vel 40. annis continuari possessionem, nec naturaliter vel ciuiliter interrumpi, necesse est. Naturaliter interrumpi dicitur possessio, vt quia possidere possessor desijt, vel quia aliquid ex substantialibus vsucapionũ ei interuertitur: ciuilis autem interruptio fit per citationẽ solennẽ, denunciationem, vel litis con-

conteſtationem, l. moræ, C. de rei vind. Continuare poſſeſsionem non ſemper vna eademqúe perſona dicitur, ſed fit quandoq; poſſeſionum & temporum diuerſarum perſonarum coniũctio, quæ ad conſtituendum præſcriptionis ius proficit. Sic continuatur tempus teſtatoris in hæreditatem & hæredem, hæredis in legatarium, venditoris in emptorem, donatoris in donatarium, l. hæres, l. nunquam, ff. Pro ſuo, l. 2. ff. Pro empt. Exempli gratia ſi donator rem immobilem, inter prę ſentes quinquennio bona fide poſſediſſet, eamq; in donatarium, donationis titulo, tranſtuliſſet, hic donatarius in poſſeſsione rei immobilis donatæ & traditæ, bona fide per quinquennium perſeuerans, tutò contra dominum vindicantem ipſam rem præſcriptionis iure ſe defendit. poſſeſsio enim donatoris eius poſſeſsioni ad perficiendam præſcriptionem accedit.

Quis Finis?

Gaius Iur. Con. in l. 1. ff. de vſucap. bono publico introductam eſſe aſſerit, ne ſcilicet, quarundam rerum diù, & ferè ſemper, incerta dominia eſſent: cùm ſufficeret dominis, ad inquirendas res ſuas, ſtatuti temporis ſpacium. Neracius finem clariùs expreſsit in l. fin. ff. Pro ſuo. ait enim, vſucapionem eſſe introductam, vt aliquis ſit litium finis, quod fieri non poſſet, ſi cuilibet de poſſeſsionibus alterius controuerſias mouere, quocunque tempore, concederetur.

Quis Effectus?

Effectus vſucapionis rerum mobilium eſt,

adiectio directi dominij, & directa rei vindicatio, pro re vsucapta recuperanda, & exceptio præscriptionis.

Effectus autem præscriptionis rerum immobilium est, adiectio vtilis dominij Publiciana actio & exceptio: quia lex vtilẽ actionem dat ei, contra quem longi temporis præscriptio inducta est, l. si duo, §. Iulianus ait, ff. de iureiur. Ergo naturali ratione dominium directum penes dominum permanere videtur, cuius contemplatione ei datur actio, quam tamen præscriptionis exceptio elidit. Hinc patet, præscriptionis exceptionem non esse peremptoriam facti, i. quæ ante litis contestationem obiecta impediat litis ingressum: petit enim præscribenti contra eum, qui de iure experitur, vel cui de iure competit actio, absque tamen effectu exactionis. Nec obstat, si dicatur, præscriptionem introductam vt sit litium finis, d. l. fin. ff. pro suo: ergo præscriptionẽ esse litis finitæ? Hinc. n. nõ sequitur, esse peremptoriam facti, quia etiam exceptiones peremptoriæ iuris, dicuntur esse litis finitæ, cùm ipsam actionem permant: Neque tamen ob id, ad impediendum litis ingressum, ante contestatam litem opponuntur, & peremptoriæ exceptiones facti sunt. Ad dijudicandam enim & discernendam peremptoriam iuris, & facti, ius ipsum Actoris experiuntis inspiciendum est. Qui si actionem in iure fundatam intentet, quæ exceptionis ope elidi possit, hæc Reo competens exceptio peremptoria iuris dicetur, eritq; post litem contestatam objcienda, &, cùm Actor intentionẽ suam fundauerit, probanda, l. peremptorias, C. sententiam rescindi nõ

posse,

posse. Si verò Actori, nulla sibi de iure competēt actione experietur, exceptio contra ipsum obiecta ante litis contestationem, & probata peremptoria, facti erit, & litis ingressum impediet, Dd. in c. exceptionem, extr. de except. Qualis non est exceptio præscriptionis: ea enim contra Actorem, cui de iure vtilis actio, ad repetendam rem suam competit, obijcitur. quare post litis contestationem obijcienda, & cùm Actor de iure suo probauerit probanda erit, per l. emptor, C. de p̄scrip. long. temp. Itē est in vsucapionibus rerum mobilium. Quia licet, per vsucapionem dominij directi adiectio contingat, intelligitur tamē hoc legis authoritate, licet naturali ratione penes dominum dominium permaneat. In præscriptionibus autem 30. vel 40. annorum, vel etiam longioris temporis, exceptio præscriptionis dicitur exceptio facti: quia tāto tempore dubium non est, quin omnis actio, tam realis, quàm personalis, in odium negligentis penitus tollatur, l. sicut, & l. omnes, C. de præscrip. 30. vel 40. annorum.

Quæ Cognata?

Præscriptioni affinia sunt, omnes iuris ciuilis modi, quibus sigillatim rerum dominia acquirimus; vt legatum, donatio, &c.

Quæ Adiacentia?

Possessio, sine qua præscriptio non procedit, titulus, bona fides, quæ de iure Canonico ad omnem præscriptionem requiritur, Dd. in c. fin. extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Mala fides, possessionis interruptio, siue ciuilis, siue naturalis, reale, vel personale vitium, quod præscriptionem impedit, causæ falsitas, error, iuris ignorantia, cõtrarium statutum, quod prohibet præscriptionem, & pactum. Quia per conuentionem derogari potest præscriptioni quod verum est de præscrip. 30. vel 40. annorũ non autem immemoriali, absq; tali pacto iuri offerendi, luendi, & alijs, quæ sunt meræ facultatis, ne quidem triginta annis præscribitur, Mynsi. obser. 16. cent. 1.

AXIOMATA.

Possessor malæ fidei non præscribit: licet iure ciuili fecus; præscribit enim 30 annis, c. vigilanti, ext eod. & al.

Nec constitutio, nec consuetudo, quæ absq; peccato potest obseruari, valet, c. fin. extr. eod.

In præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides & iustus titulus requiritur, c. si diligenti, extr. eod.

In iuribus ad Romanam Ecclesiam spectantibus currit sola præscriptio centenaria, c. ad audientiam, & c. cùm vobis, extr. eod.

Laici spiritualia non possidere, ergo nec præscribere, quia præscriptio absq; possessione, non procedit, c. cum sit extr. eod.

Præscriptiones in fauorem possidentis, & odium negligentis domini, nec tanto tempore rem suam repetentis introducta est.

DE SENTENTIA ET re iudicata.

Titulus XXVII.

Continuatio.

CVM iurgantium controuersias celeri sententia terminari, æquitati & iuris rigori conueniat, c. 2. extr. eod. debet iudex iure Actoris & Rei cognito, & habita cum peritis consultatione, ad sententiæ pronuntiationem procedere.

Quid est Sententia?

Sententia est, iudicialis diffinitio, controuersiæ finem imponens, condemnationem, vel absolutionem continens, c. ei qui, 2. quæst. 6.

Quotuplex Sententia?

Duplex interlocutoria & diffinitiua. Interlocutoria est, quę inter principium causę, & finem, fertur, non super principali, sed super incidentibus quæstionibus, vel emergentibus: putà, si iudex super libello ferendo, vel corrigendo, dilatione danda, vel deneganda, similibusq; exceptionibus pronunciat, c. significantibus, extr. de offic. deleg. Quam nec in scriptis ferri oportet, & ante diffinitiuam sententiam, quandocunq; iudex reuocare poterit, l. quod iussu, ff. de re iudic. Specul. tit. de sententijs, §. iusta, versic. quid de. Diffinitiua autem est, quę condemnando, vel absoluendo

soluendo principalem definit quæstionem: nec valebit, nisi absolutionem, vel cõdemnationem contineat, §. diffinitiua, 1. quæst. 2. &, c. illa, ext. de accusat.

Quæ causa Efficiens?

Est iudex competens, qui iurisdictionem habet in quæstione proposita: siquidem sententia à non competente iudice lata, ipso iure non valet, c. at si clerici, extr. de iud. &, c. ad audientiam nostram, extr. de consuetud. Intantùm vt nec iudex competens alteri prolationem verborum committere possit, d. c. ad audientiam nostram: nisi iudex sit illustris, authen. vt ab illust. col. §. sancimus. Et si sint plures iudices omnes simul sententiam ferre debent, nisi per contumaciam quis sit absens: valet enim tunc sententia præsentium, c. prudentiam, §. adijciamus, extr. de off. deleg. vel nisi vnus de mandato aliorum pronunciet: vel nisi in commissione contineatur, quòd vnus possit, sine alio, procedere, l. si tres, ff. de arb. Spec. hoc tit.

Quæ causa Impulsiua?

Ipsa æquitas, vt ait Gregorius in c. iurgantium, extr. eod. Iurgantium controuersias celeri sententia terminare & æquitati conuenit & rigori.

Quæ causa Procatarctica?

Instantia partium, si conclusione causæ facta sententiam ferri per iudicem petant.

Quæ

Quæ Materia?

Sunt omnes res, siue mobiles, siue immobiles, corporales, siue incorporales, de quibus iudicialis controuersia, vel lis, esse potest.

Quæ Forma?

Forma iudicandi vel ferendi sententiam, ex requisitis, quæ ad legitimæ sententiæ vigorem desiderantur intelligi poterit. Primò enim, vt sententia lata valeat, requiritur, vt lis sit contestata, confessiones, probationes, allegationes auditæ, omniaq; causæ merita diligenter inuestigata & cognita, Clemen. pastoralis, de sen. & re iud. 2. Vt conclusio in causa vtrinq; per litigatores sit facta, c. nullum, c. iudicantem, 30. quæst. 3. 3. Vt causa ex actitatis in iudicio sit benè discussa, & à Iurisperitis deliberata, Specu. hoc tit. 4. Vt ab ipso iudice competente, c. at si clerici, extr. de iudicijs. 5. Vt loco consueto, l. 2. C. de sententijs ex breuiculo recitandis. 6. Non die feriato, & noctu, l. 5. C. quomodò & quando, iud. sententiam ferre debet, Dd. in l. non minorem, C. de transs. 7. Iudice pro tribunali sedente, §. sedebunt, authen. de iudicijs. 8. Vt fiat in scriptis, l. 2. & 3. C. de sententijs ex breui. reci. 9. Citatis ad hoc litigatoribus, vel tribus edictis, vel vno peremptorio, quod tamen trium edictorum tempus in se integrumq; spacium comprehendat, c. 1. extr. de caus. pos. & prop. Lanfr. in c. quoniã, verb. citationes, nu. 7. de probat, &, c. cùm olim, ext. de test. 10. Vt sit certa, tot. tit. quæ sine certa quan. proferũtur. Quanquam certam sententiæ causam exprimi non sit necesse, c. sicut, extr. eodem. 11. Vt sit conformis libello, Auctor cons. 249. in quæst

num

num. 2. 12. Vt fiat ſecundùm allegata & proba-
ta: non autem priuatam & erroneam iudicis
conſcientiam, c. ſi ſacerdos, extr. de offic. iudic.
ordin. 13. Secundùm conſuetudinem, leges, &
conſtitutiones, l. cùm prolatis, C. eod. Guido
pa. in procæ. deciſ. circa finem. Et denique, vt
illa ſex contineat, de quibus per Specul. hoc tit.
1. Nomen iudicis, an ſit Delegatus vel Ordina-
rius? 2. Nomina litigatorum. 3. Tenorem pe-
titionis in iudicio porrectæ. 4. Subſtantiã pro-
ceſſus cauſæ, putà litis conteſt. iuramenti præ-
ſtationem, & ſimilia. 5. Quòd fiat mentio, par-
tes eſſe preſentes, vel per contumaciam abſentes.
Vltimò, quòd contineat condemnationem, vel
abſolutionem, pronunciationem, & alia, quæ
videbuntur iudici optima.

Quis Finis?

Vt lites finiantur, d. c. 2. extr. eod.

Qui Effectus?

Primò, quòd iudex, poſt pronunciationem,
reuocare ſententiam non poſsit: quia ſemel bo-
nè vel malè officio ſuo functus eſt, l. iudex, ff. de
re iudic. & toto tit. in authen. de appellat. &
tra quæ temp. Sed cùm durat adhuc officium,
retractare ſententiã poterit, vt in interlocu-
ria, vel cùm ſententia eſt ipſo iure nulla, l. quod
iuſsit, ff. eod. l. ſi qui, C. de adult. & ibi Dd.

2. Quòd non reſcindatur, prætextu inſtru-
mentorum poſteà repertorum, c. inter monaſte-
rium, &, c. ſuborta, extr. de re iudic. Vel ratione
calculi, l. 2. C. de re iud. niſi error calculi in ſen-
tentia

tentia exprimatur, l. 1. ff. quæ sententiæ sine appel. rescindantur.

3. Quòd sententia post decem dies, si ab ea non fuerit appellatum, transeat in rem iudicatam, tot. tit. in authent. de appellat. & intra quæ, &c. Sententia enim differt à re iudicata, vt causa ab effectu, siquidem sententiam dicit iudex: at verò ex sententia nascitur res iudicata, quemadmodùm obligatio ex contractu, perindeq; propter auctoritatem iudicis, vt veritas habetur: vnde Vlpianus in l. res iudicata, ff. de reg. iu. rem iudicatam pro veritate accipi, asserit. Nam siue benè siue malè iudicatum sit, publica tamen iudiciorum auctoritas, ad se iuris præsumptionē rapit, adeò vt non ampliùs quæratur de iure Actoris aut Rei, sed de eò tantùm, quod est iudicatum, sicut in iureiurando, & transactione, quæ & ipsa iudicati vim habent.

4. Sententia ius facit inter partes, inter quos est lata, etiamsi lata sit contra ius litigatoris, l. ingenuum, ff. de sta. hominum. Alijs autem, qūi vicem Rei vel Actoris, in iudicio non subierunt, sententia non præiudicat, vnde stricti iuris esse dicitur, l. sæpè, ff. eod. &, Bart. in l. 2. §. item, nu. 5. ff. si quis in ius vocat.

5. Vigore illius iuris, per sententiam constituti, non tantùm Reo, pro quo sententia lata est, exceptio litis finitæ, si conueniatur, competit, c. 1. extr. de litis contest. Sed etiam actio iudicati vel in factum, vt sententiæ satisfiat, litigatoribus conceditur, l. actori, C. de reb. cred. &, l. miles, ff. eod.

6. Potestas implorandi officium iudicis, ad man-

mandandam executioni sententiam, per iudiciario processu seruato latam. Iudicis officio petenda est sententiæ executio. Et nec ctione in factum ex re iudicatą descendente ne libello: quia executio ipsa in facto consist à diuo Pio, ff. de re iud. & probat Speculator titul. de sententiæ execut. Sic in Camera fu summaria propositio, & petitio, pro faciend ecutione: quia executionis processus summa esse, & proinde maturè expediri debet: de sim ci igitur & plano, absque libello & litis cont tione proceditur, Dd. in l. à diuo, ff. de re iud notat And. Geyl. obseruat. 113. lib. 1. pract. obs uat. nec per exceptionem requirentem alium indaginem executio suspenditur, l. 3. §. ibiq ad exhib. Excipitur tamen vnus casus, vbi lus admittitur, & lis super eo contestatur, tà, si tertius interueniat, & executionem pro intersse impugnet, Dd. in c. cùm super, extr. & l. sæpè, ff. eod. Est autem in personali act regulariter, post quatuor menses, sententia ex tioni mandanda, c. quærenti, extr. de offic. de & c. quo ad consultationem, extr. eod. Quos men quadrimestre tempus nonnunquam pe narum locorumq; qualitate, & circunstantijs consideratis arctari extendiq; poterit, d. c. ad consultationem, &, l. 2. ff. eod. hoc modo primò capiantur bona mobilia & se mouentia quæ sunt: secundò, immobilia: tertiò, perue tur ad nomina siue iura, id est, ad ea, quæ ei de tur, dum tamen sint liquida & confessa. Et si recusetmanu militari cogitur & proceditur notatur in l. à diuo Pio, ff. eod. &, l. qui restitue

ff.de rei vindicat. in reali autem actione, si nõ est appellatum à sententia, nec restitutio postulata, si res illa, in qua cõdemnatio facta est, sit præsens, sentẽtia permissionem in possessionẽ rei sibi adiudicatæ executioni mãdanda est, statim post decendium, i. decẽ dierum spaciũ: quia hoc temporis tractu, transit sentẽtia in rem iudicatã, c. cùm Bertold., ext. eod. c. cùm dilecti, ext. de elect. &, c. significauerũt, ext. de testib. Sed Cameræ Imperialis iudex, sententiam, q̃ transiuit in rem iudicatã, per viam executorialium & mandatorũ executorialium exequitur. Quæ sine clausula iustificatoria decernuntur, cum termino sex septimanarũ, & trium dierum, & annexa citatione ad decendiũ de paritione, vel vidẽdum, se declarari in pœnam executorialium, aut allegandum causas, cur talis declaratio fieri non debeat: & sic in effectu habẽt clausulam iustificatoriam. Quod fit ea ratione: quia sunt quædam exceptiones, quibus, etiam post sententiæ pronunciationem, obiectis, impeditur executio, de quibus per Specul. in tit. de excep. & replicat. §. dicto, num. 14. Inter executoriales autem & mandata executorialia hoc interest. Quòd executoriales decernantur, quoties executio sententiæ immediatè ad Cameram spectat, vt putà, si sententia à qua in Camera confirmata sit, si pronunciatum sit in causa appellationis, benè iudicatum, malè appelllatum: quo casu ex recepta & cõmuni doctorũ opiniõe, executio tam causæ principalis, q̃ expensarũ omniũ instantiarũ ad cõfirmantẽ nõ ad iudicẽ à quo pertinet, l. p̃cipim⁹, §. in his, C. de appel. Felin. in c. pastoralis, ext. de off. iud. deleg. Mandatũ verò executoriale.

riale tunc demum conceditur, quando executio sententiæ ad iudicem aquo spectat: veluti, si iudex appellationis pronuntiat appellationem desertam, vel rigore priuilegij, aut ex alia causa non deuolutam. Quo casu ex prima sententia actio tantùm oritur, & ideò iudici aquo executio competit. Franc. in c. ex ratione. ext. eod.

Quomodo Sententiæ, per iudicem Ecclesiasticum latæ, executio fit?

Iudex Ecclesiasticus, pro executione suæ sententiæ, suspendendo, deponendo, excommunicando, & degradãdo, procedere potest, pro conditione & statu personæ victæ. Nam si clericus sit, summa, qua potest coërcere pœna, est, cum excommunicatione degradatio: sin laicus excommunicatio. Quòd si autem victus Ecclesiasticas censuras faciat nihili, easq; obstinatè & præfracta fronte contemnat, nolitq; sententiæ contra se latæ, parere: tunc, imploratio brachij secularis, omnium vltimum, adeoq; extremum remedium esse debet, per tex. in c. ab homine, ext. de iud. Hoc enim Canonicum est, iudicem Ecclesiasticum, si pro executione suæ sententiæ, omnia fecit quæ facere potuit, brachium seculare inuocare, adeoq; iudicem secularem, si auxilium deneget, excommunicare posse, per text. c. 1. ext. de offic. iudic. ord. & Dd. in c. quoniam, extr. de offic. iud. &, c. statuimus, extr. de malef. Vna enim iurisdictio per aliam adiuuanda est: ob id etiam iudex Ecclesiasticus, seculari iudici, postulante necessitate, contra clericum contumacem, officium suum impartiri debet, d. c. 1. c. quo-

c.quoniam, &, c. ſtatuimus. Quando autẽ brachium ſeculare contra clericos inuocari poſsit, vide c.princeps,23.q.5.&,c. perpendimus, extr. de ſent.excom. & de modo procedendi,Panor. in d. c.1.ext.de offic.iud.ord.

In Camera quando iudex Eccleſiaſticus implorat brachium ſeculare: hoc eſt Cæſaris, contra partem victam & contumacem, mandata executorialia,ſine clauſula,ſub pecuniaria,rarò banni,pœna,decernuntur. Et propter annexam citationem, ad docendum de paritione, legitimæ exceptiones, contra inuocationem brachij & obtenta mandata executorialia in termino reproductionis admittũtur, prę ſertim litiſpendentiæ,& nullitatis, videlicet, à ſententia iudicis Eccleſiaſtici. Cuius executio petitur, ritè & debito tempore appellatum,& proinde pendente appellatione, nihil innouandum eſſe, vel per Eccleſiaſticum iudicem nulliter proceſſum & iudicatum. De qua nullitate,iudex ſecularis,antequam ad pœnam procedat, primùm cognoſcere debet,vt docet Panor.in d.c.1.ext.de offic. iud.ord.num.10.

Quæ Cognata?

Tranſactio,iuſiurandum:quæ non minorem̃ authoritatem, quàm res iudicatæ habent,l.non minorem,C.de tranſact,& l.2.ff.de iureiur. Differunt tamen, vt per Alciatum, in d. l. non minorem.

Quæ Pugnantia?

Omnes exceptiones peremptoriæ, quæ poſt

sententiam contra executionem obijci possunt, de quib. Specul. tit. de excep. & replicat. §. dicto, nũ. 14. Vbi nouem recensẽt casus, in quibus exceptio peremptoria executionem remoratur, pugnant etiam nullitas & iniquitas velata sententiæ. Quia iniquitas manifesta ipso iure nullam reddit sententiam, c. inter cæteras, ext. eod. & imo di quibus sententia, ob iniquitatem rescinditur nõ autem ob nullitatem. quia quod nullum est, rescissione non indiget, l. 1. ff. quando prouo. nõ est necesse.

Qui sunt modi rescindendæ Sententiæ iniquæ?

Primò, Appellatio. 2. Restitutio in integrũ. 3. Supplicatio contra sententiam. 4. Querela falsi, Innoc. & Hostiens. in c. præsentia, extr. de renunc. c. sicut, eod. c. cùm ad sedem, extr. de restitut. spoliat.

Quibus committitur nullitas Sententiæ?

Primò, ratione personæ iudicantis. Vt puta, quia non fuit competens iudex, vel excommunicatus, seruus, vel mulier, l. 1. C. de arb. l. cùm præter, ff. de iud. adeò, vt etiam hæc sententia litigatoribus confirmari non possit, vt sententia l. si expressim, ff. de appellat. Si tamen confirmatur, ratione pacti, efficaciam obtinebit, vt traditur in l. 2. C. communia vtriusq; iud.

Secundò: si aduersùs absentem, non per contumaciam scilicet: denunciationibus ex more nequaquam conuentum sententia proferatur. re-

regulariter enim partes ad audiendam sententiã diffinitiuã, de iure communi, citari debent, & ferenda sentẽtia est, partibus verè, vel per interpretationem præsentibus, adeo vsq; adeo nulla est, vt etiã, pro absente parte, non valeat, nec rei iudicatæ firmitatem obtineat, l. ea quæ, C. quomodò & quan. iud. & gloss. ibid. in ver. aduersùs, Dd. & glos. in Clem. pastoralis, de re iud. Per interpretationẽ pars præsens esse dicitur, si sit verè vel fictè contumax, glo. in l. ex consensu, §. fin. ff. de appellat. Tamen si contrarium statuto vel consuetudine obtentũ sit, quòd scilicet, absentibus partibus, procuratore pro ijs in iudicio agente legitimè constituto sententia feratur, sententia subsistit: nec, ob omissam citationẽ ad partes, infirmari potest. Citatio enim ad audiendam sententiã, post cõclusionem causæ, est iuris positiui, nec defensionem partibus tollit: ideo potest ea iure statuti vel consuetudinis omitti, per tex. in c. in causis, in fin. de re iud. & Iason in l. 1. nu. 8. ff. de constitut. Hinc in iudicio Cameræ Imperialis, citatio, ad audiendã sententiam, tam in diffinitiuis, q̃ interlocutorijs, non requiritur: verùm sufficit, partes semel ad totã causam legitimè & perẽptoriè citatas fuisse: quemadmodum etiã mandata procuratorum ibi, ad vnicum actũ non admittũtur, sed ad totã causam exhibẽda sunt. proinde facta hinc inde cõclusione, absq; noua citatione, sentẽtia in causa principali diffinitiuè, vel super articulo concluso interlocutoriè profertur. Quæ tamẽ limitatio nõ procedit, si alterutra pars, post conclusionem causæ vitam cum morte cõmutet; eo enim casu hæres eius, nõ quidẽ ad reassumẽdã

cauſam, ſed audiendam ſententiam, parte hoc petente, & mortẽ aduerſarij in iudicio allegante citatur, id ſi factum non ſit, diffinitiuè, abſq; citatione hæredum pronunciatur: quia de morte partis iudici conſtare debet, vt iudici, hoc eſt, ex allegatione iudiciali, Guid. deciſ. 86. nu. 2. Quando verò poſt publicatã demum ſententiã mors partis in iudicio allegatur, ſentẽtia per interlocutoriam in hæredes transfertur. Quòd ſi ante concluſionem, in cauſa altera partiũ in fata concedat, tunc, implorato iudicis officio, citatio ad reaſſumendam cauſam, in eo ſtatu, in quo relicta eſt, contra hæredes decernitur; etiamſi procurator defuncti, lite iam conteſtata, dominus litis factus ſit. Et hæc ita in iudicio Camerælmperialis obſeruari, notat Mynſing. obſer. 71. centur. 3. & obſer. 85. cẽt. 1. & Andreas Geyl lib. 1. obſeruat. 100. pract. obſer. Ex his omnibus patet, regulam iuris communis eſſe, Quòd ſententia, præſentibus partibus, ijs citatis, vel per contumaciã abſentibus, ferenda ſit. Quæ regula fallit tribus caſibus: 1. Si ſententia interlocutoria in fauorem abſentis lata, vel contra eum prolata morici præiudicij ſit. quo caſu valet ſententia interlocutoria, abſq; citatione partis publicata, l. Ille à quo, ff. ad Senatuſconſ. Trebell. Secùs, ſi magni abſenti grauamen adferret: quia tunc cauſæ cognitione, & ex conſequenti, partis citatione opus foret, l. à procedente, C. de dilat. 2. Fallit, ſi iure ſtatuti vel conſuetudinis contrariũ obſeruetur, Afflict. deciſ. 238. 3. Si generalis citatio facta ſit per edictum, non tunc debet pronunciari definitiuè, niſi præmiſſa ſpeciali citatione,

ad

ad audiendam sententiam, Dd. & Imo. in c. consuluit, ext. de offic. deleg. c. auditis, de procurat. Abb. in c. fin. de dilat. & probatur l. consentaneum, C. quomodò & quando iud. Mynsing. obser. 71. cent. 3.

Tertiò: dicitur sententia nulla, si feratur aduersùs absentem infirmitate detentum, l. quæsitum, ff. de re iud. & ibidem Paulus de Castro. Cæterùm, si iudex ignoraret impedimentum, ficq; ad sententiam procederet, tunc quidem valeret sententia, sed absens restitui, saltem ad appellandum, vel alia causa reponi posset, l. fin. ff. de in integ. restit. Et quod de infirmitatis impedimento dictum est, ad alia omnia impedimenta, quæ in l. 2. §. quod diximus, ff. si quis caut. recensentur, extendi debet. Cuiusmodi sunt, vis hostium, locus pestilētiæ, impetus fluminis, & si q̃ sunt similia. Sed quid, si Reus alleget, se impeditum, aduersarius autē neget, cui incūbit probatio? Respondetur: probationem præstatione iuramenti, per eum, cui iudex hoc detulit, fieri posse, in deferendo autem iuramento attēditur qualitas personæ, quantitas causæ, an sit magna vel moderata, & aliæ conditiones & circunstantiæ, quæ arbitrio iudicis, vt admittat iuramentum vel non, relinquenda sunt. quod & in Camera Imperiali obseruatum, testatur Mynsing. obser. 57. cent. 4.

Quartò: si contra mortuum lata sit sententia, l. penult. ff. de sentent. quæ appella. rescind. Quid, si pro mortuo lata sit? Et Dd. communiori calculo sententiam etiam pro mortuo prolatam non valere, pariter nec decretum in eius fa-

uorem interpositum, tradunt in l. in summa, §. vlt. ff. de re iud. & ibi Paul. & per tex. in l. qua de re, §. cùm absentem, ff. de iud. Vbi dicitur, adeò sententiam non valere, quòd nec contra defensorem, nec cõtra hæredem defuncti operabitur. In Camera autem Imperiali sententia pro mortuo lata non est nulla, sed pro firma: contrà §. vlt. d. l. in summa, habetur: Et si de morte eius, pro quo lata est, deinde constet, transfertur in ipsius hæredes, Mynsi. obseruat. 85. centur. 1.

Quintò: nullitas sententiæ etiam committitur iure ciuili, si, procuratore in causa existente, contra dominum feratur sententia; iure enim communi sententia in procuratorem necessariò ferenda est, quando scilicet iudicium agitatum est cum procuratore legitimè constituto, absente domino, l. 1. C. de sentent. & interlocutionibus omnium iud. & glos. in c. querelam, extr. de elect. & Inno. & Panor. nu. 50. ibid. Ratio. Quia initium obligationis ex procuratoris persona sumitur, cum eo in iudicio quasi contrahitur, ipsoq; per litis contestationem dominus litis efficitur, ideoq; meritò verba sentẽtiæ in personam suam concipi debent, l. 3. §. idem scribit, ff. de procurat. &, c. 1. §. 1. extr. eod. in 6. Sed iure Canonico legalis illa subtilitas non attenditur, & sententia concepta etiam in ipsum dominum, tenet, per tex. in c. licet, extr. de procurat. glos. singularis in c. suscitata, in verbo, monasterium, extr. de in integ. restit. & pleniùs per glos. & Ioan. And. in d. c. querelam, ext. de electionib. Quod & in Camerę Imperialis supremo iudicio obseruatur. Quia ibi causæ aliter nõ agitantur, q̃ per procuratores,

&

& tamen sententiæ concipiuntur in personam domini, indistinctè, siue dominus nunq̃ in iudicio præsens fuisset, siue initio litis comparuisset, litemq; contestatus esset, tradit. And. Geyl, in suis pract. obseruat. obser. 111. lib. 1.

Sextò: nulla dicitur sententia, si feratur, post lapsum instantiæ. Labitur autem instantia, de iure ciuili, in causis ciuilibus triẽnio, & in criminalibus biennio, tex. est in l. properãdum, C. de iud. & ibi Dd. De iure aũt Canonum instantia triennio vel biennio, sub distinctione, posita non perit, sed perpetuò durat, per tex. in c. venerabilis, &, c. vltim. extr. de iud. Abb. & Dd. ibidem, & Bal. cons. 217. vol. 3. vbi allegat authen. sed lis, C. de tempo. appellat. Quod & in consistorio Imperialis Cameræ approbatur, licet Matth. de afflict. decis. 283. post num. 4. contrarium referat, velitq; dispositionem d. l. properandum, habere etiam locum in consistorio Principis, per gloss. in nouel. vt spons. larg. §. hoc quoq;, & nouel. de appel lat. §. ad hæc. Cuius tamen opinionem Camera, vsusq; fori frequens non admittit, &c. vt notat Mynsi. obser. 48. centur. 2.

Septimò: si sententia feratur, post propositam suspecti iudicis recusationem: vt habetur in c. suspicionis, ext. de off. delegat. & traditur de hoc inf. de recusationibus.

Octauò: si sententia sit lata, in causa, in qua interuenit falsus procurator, c. in nostra præsentia, extr. de procur. Sed an dominus per falsum procuratorem gesta rata habere possit? Et regulariter per dominum talia gesta, siue in commodũ, siue in præiudicium suum, ratificari posse, tradit

Bal. in l. licet, C. de procurat. & in addit. ad de-
cis. cap. Tholos. 221. Licet in auditorio principis
facta per falsum procuratorem, ratificatione nō
conualescant, iuxta Bal. l. ni falsus procurator,
vers. secundò præmitte, C. de fur. & ser. corrup.
Mynsing. obseruat. 44. cent. 1.

Nonò: si feratur sententia super alio, quàm quod fuerit petitum, c. in nostra præsentia, ext. de procurat. Sententia enim debet conformis esse libelllo: nec aliud continere, quàm fuerit petitum, l. vt fundus, ff. communi diuid. Multæ tamen sunt factorum species, in quibus toleratur libelli, siue petitionis, & sententiæ discrepantia. Primùm enim Princeps & Summus Pōtifex in sententijs suis petitionem litigantium egredi possunt, c. 2. ext. de restit. spoliat. lib. 6. Deinde in criminalibus conclusione opus nō est: & si conclusio fiat, adhuc tamen iudex, cognita qualitate delicti & personarū, plus minusq; condemnandi liberam potestatem habet, Bart. in l. quid ergo, §. pœna, ff. de his qui not. infam. Denique potest iudex, & in ciuilibus causis, quo ad qualitates, tempora, modos, loca, nō sequi petitionem libelli. Quare eleganter Baldus, sufficere ait, si sententia cum libello conueniat in re, causa, & actione, l. 1. C. si plures vna sent. &c.

Decimò: si sententia pronuncietur contra solitum ordinem iudiciorum: Vtpotè, non obito libello, nec lite contestata, nec alijs solennitatibus obseruatis, l. prolatã, C. de sentent. & interloc. Princeps tamen potest habere ratũ processum, ratione ordinis omissi, quãdo merita sunt benè tractata, iuxta Panor. in c. cùm olim, ext. de re iud.

re iudic.!&, c.ad petit.extr.de accusat.Et consuetudine potest etiam induci,vt per simplicem facti narrationem, ac responsionem inducatur litis contestatio,idem Panor.in c.in causis,extr.de re iud.& testatur Guid.pap.decis.369.& traditur in ordinat.Cameræ, part.3.tit.34.

Vndecimò:si lata sit tempore nocturno,c.cõsuluit,ext.de off.iud.deleg.

Duodecimò:si sententia non contineat expressam condemnationem,vel absolutionem,vel æquipollens, l. quid tamen, §. Pomponius,ff.de arb.Vel si non contineat certam quãtitatem, vel rem,in qua condemnatio fit per se,vel per relationem ad aliud,l.ait prætor,ff.de re iud.

Decimotertiò: si fit lata contra ius scriptum expresso errore in sententia, l.2. C. quando prouoca.non est necesse.Potest tamen iudex, ex magna & euidenti causa transgredi leges & statuta, nec tenetur illam causam in sententia exprimere,dummodò ex actis adparere possit,eam iustã fuisse,quæ iudicem,ad sic pronunciandum,mouerit:aliàs sententia possit nullitatis argui, tanquam lata contra ius constitutionis, & per expressum iuris errorem,per l.1.ff.quæ senten.sine appellat.rescind.& Panorm.in c.super his, extr. de accusat.& tradit Mynsing.obseruat.54.centu. 2.&,obser.82.cent.4.

Decimoquartò:sententia dicitur nulla,si venalis feratur à iudice corrupto,l.venales, C.quãdo prouocare non est necesse. His igitur nullitatum alijsq; peremptorijs exceptionibus,quæ iuxta opinionem Speculat. post sententiam, ad impediendam executionem, obijci possunt,op-

positis; sententia non transit in rem iudicatam. An autem in causa executionis super propositis exceptionibus, nouus processus requiratur, hoc est: an opus sit nouo libello, & noua litis contestatione? vide Dd. in l. properandum, C. de iud. Qui communiter distinguunt, vtrùm agatur actione iudicati, siue in factum ex re iudicata, an verò officio iudicis. vt primo casu libello & litis contestatione opus sit, altero verò non, sed per nudum iudicis officium, vt executionem faciat, exceptionibus non obstãtibus, procedi possit, Bart. in l. intra, num. 1. ff. de re iud. & Ang. in repetit. l. 1. C. de iud.

Qua pœna Iudex perperam iudicans puniatur? Et quis dicitur, iudicando litem suam facere?

Si Iudex pretio deprauatus, aut gratia, perperam iudicauerit, non solùm tenetur parti in-sæ in solidum, ad veram litis æstimationem, sed etiam infamia notatur, l. filiusfamiliàs, ff. de iudic. & leg. fin. C. de pœna iudic. male iudic. At si iudex perperam iudicat, per imprudentiam, videtur quasi ex maleficio teneri in factum actione, sed inquantùm de ea re æquum regioni iudicantis visum fuerit, pœnam sustinebit, l. fin. ff. de varijs & extraord. cog. Sicque non in solidum veram litis æstimationem præstabit. Et iudex, qui per dolum malè iu-

di-

dicauit, non tantùm facit litem suam, sed etiam tenetur lege Cornelia, de fal. Iudex verò litem suam facere videtur, quum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Dolo autem malo hoc facere intelligitur, si euidens arguatur eius vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes, vt veram æstimationem litis præstare cogatur, d.l. filiusfamiliàs, ff. de iudic. Recentiore quoque iure Nouellarum cauetur, iudicem pretio, aut promissione iudicantem, si causa sit ciuilis, condemnari in triplum dati, & in duplum promissi, amissa, in qua constitutus est, dignitate. Si verò sit criminalis, confiscatis omnibus bonis, in exilium mitti, in authen. vt litigan. iu. in exordin. titu. coll. ix. §. si quis autem. Iure autem Canonico, qui in grauamen partis alterius in iudicio aliquid iniustè fecerit, per gratiam, vel per sordes, siue Ordinarius siue Delegatus sit, ab executione officij per annum suspenditur, c. cupientes, §. cæterùm, de elect. in 6. c. 2. distinct. 55. &, c. quæsiuit, extr. de verbor. signif. & ad æstimationem litis parti, quam læserit, nihilominùs condemnatur. Quòd si, suspensione durante, diuinis se ingesserit, irregularitatem incurrit, qua non, nisi per Pontificem liberari poterit, alijsque pœnis coërcetur. Quia non tantùm malè iudicando contra debitum officium facit, verumetiam, DEVM, iustitiam, & humanam naturam lædit, cap. 1. extrà, de crimin. fal. &, c. ad Apostolicæ, eodem titulo in 6. Denique lege

duo-

duodecim tabularum capite mulctabatur, i
dex arbiterue iure datus, qui, ob rem dicendam
pecuniam accepisse conuincebatur. Cuius m
minit Gellius, lib. 20. noct. attica. cap. 1. De po
na iudicis per sordes corrupti iudicantis ita d
stinguit Menoch. lib. 2. cent. 4. casu 342. inquien
iudex, qui corruptus per sordes iudicauit, si
causa criminali, pro grauitate causæ, etiam u
que ad mortem, iudicis arbitrio, punitur: con
scantur etiam eius bona, notatur infamia, & di
gnitate, nobilitateque priuatur, si verò in causa
ciuili iudicauit, si rectè, solùm tenetur restitue
re, quod accepit, l. 2. §. vltim. ff. de cond. ob turp.
causam: si verò iniquè, litis æstimationem ei so
soluit, l. filiusfamilias, §. vltim. ff. de iud. & l. vl-
tim. C. de pœna iud. qui malè iud. Ergasiscum
verò in triplum condemnatur, d. auth. nouo ti
re, C. de pœna iud, &c. Et alia etiam pœna iudi-
cantis arbitrio punitur, institut. de obligat. ex
quasi delicto.

AXIOMATA ET SENTENTIÆ

Iudex Ecclesiasticus, pro executione suæ sententiæ, brachium seculare inuocare, adeoq; iudicem secularem, si auxilium petitum deneget, excommunicare teste, c. 1. extr. de offi. iudic. ord. & c. statuimus, extr. de maled.

Vna iurisdictio per aliam adiuuanda est, c. quoniam extr. de off. iud. ord.

Iudex Ecclesiasticus, seculari iudici, postulante ut

capi

testate, contra clericum contumacem, officium suum impertiri debet, glos. in c. 1. extr. de off. iud. ord.

Implorato brachio seculari, iudex secularis primùm de nullitatis exceptione obiecta cognoscere debet, antequam ad pœnam procedat, Panorm. in d. c. 1. extr. de off. iud. ord.

Omnis exceptio, quæ post sententiam, sed non contra sententiam opponitur: hoc est, quæ non repugnat sententiæ, executionem impedire poterit, l. 1. C. de re iudic.

De iure communi sententia in procuratorem necessariò ferenda est: quando, videlicet, iudicium agitatum est cum procuratore legitimè constituto, absente domino, gloss. in c. querelam, extr. de elect. Ratio est. Quia initium obligationis ex procuratoris persona sumitur, cum eo in iudicio quasi contrahitur, ipsé q3 per litis contestationem dominus litis efficitur, ideo q3 meritò verba sententiæ in personam suam concipi debent, c. 1 §. 1. eod. tit. in 6.

Quamuis sententia indiuidua sit, ita vt pro parte valere nequeat tamen iudex sententiam separabilia & diuersa continentem capitula, partim confirmare, partim reformare potest, etiamsi hoc à parte nec allegatum, nec petitum sit, c. Raynutius &, c. Raynaldus, extr. de testa.

Tot censentur esse sententiæ, quot sunt capitula & diuersæ species, Felin. in c. cùm Iohannes, extr. de fide instrum.

Quando libellus vnum factum, quod separationem non recipit, continet, tunc sententia, super illo facto lata, refor-

reformari non poterit, sed in totum aut confirmari, aut retractari debet; cùm sit indiuidua: secus si plura facti vel plura capitula libellus contineat, Panor. in d. c. Raynutius, extr. de testa.

Quando sententia, à qua reformatur, expensæ compensantur, eò quòd vterq; victus & victor sit, Innoc. ne finem litibus, ext. de dolo & contuma.

In causa matrimoniali & criminali sententia necessariò in principalem, & non in procuratorem, ferenda est, gloss. in c. querelam, ex de elect.

Duobus iudicibus diuersas sententias proferentibus, si ex iurisdictione ordinaria processerint, tenet prima, pro Actore sententia: nisi in causa fauorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata: si verò ex delegata potestate, vtraq; pendet sententia ex arbitrio delegantis. Quòd si ex compromisso, neutra debet habere vigorem, c. fin. ext. eod.

Quamuis regulariter alijs non noceat, res inter alios iudicata, ei tamen, qui cùm sibi primùm de ea re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere, actionem qui passus est, eum à quo causam habuit, expensis præiudicium generatum, c. quamuis, ext. eod.

Secunda sententia in diuersa instantia contra primam lata tenet mero iure, nec debet infringi, etiamsi iniusta, ex quo ab ea non fuerit appellatum, c. inter monasterium, extr. eod.

Si citatus ad sententiam, ex legitima causa iudici ignota, non comparuit, tenet sententia, eo absente, lata, nec retractatur, eo probante legitimam absentiæ causam, secùm Bertholdus, extr. eod.

Ab

Ab executione sententiæ non appellatur, nisi in executione modus excedatur, c. quod ad cõsultationẽ, ext. eod.

Quadrimestre tempus, quod à lege datur condemnatis in actione personali, potest à iudice, ex causa arctari, & sponte arctatum terminum recipiens, non potest post decendium appellare, d. c. quod ad consultationem, eod.

Si sententia præcipit aliquid fieri ad certum terminum, tempus decendij ad appellandum currit à tempore sententiæ, non aũt à die finiti termini, d. c. quod ad, &c.

Valet sententia contra ius litigatoris lata, si ab ea non fuerit appellatum, c. cùm inter, extr. eod.

Sententia iniqua, retractatur per Superiorem, licet causa fuerit appellata remota commissa: si autem continet manifestam iniquitatem, est nulla, c. cùm inter, extr. eod.

Sententia lata contra mãtrimonium nunquam trãsit in rem iudicatam: vnde quandocunq; reuocatur, cùm cõstat de errore, c. lator, extr. eod.

DE APPELLATIONIBVS, Recusationibus & Relationibus.

Titulus XXVIII.

Continuatio.

NE iniquo iudicio, per imperitiam, aut etiam malitiam iudicis, ius suum cuiquam per iniuriam eripiatur, inuentum est appellationis beneficium: quo ad superiorem magistratum, causa iterum

co-

cognoscenda, intra decem dies, defertur.

Quid est Appellatio?

Appellatio, secundùm Azonem, est, à minori iudice, per inuocationem maioris iudicis, prætextu iniquitatis primæ latæ sententiæ, recessus l. præfecti, ff. de minorib.

Quotuplex Appellatio?

Duplex, iudicialis & extraiudicialis, Iudicialis est, quæ, à sententia in iudicio pronunciata, fieri contingit. Extraiudicialis autē dicitur, quæ non à sententia, sed ab actibus & decretis extraiudicialibus, interponitur, l. 1. §. solent, ff. quando appellat.

Quæ causa Efficiens?

Est ius gentium. Nam ad hoc, quòd totus processus iudiciarius ex iure gentium originem traxisse dicitur; vt notant Dd. in l. ex hoc iure. ff. de iustitia & iure; testatur etiam Vlpianus in l. 1. ff. eod. appellationem antiquissimo vsu esse introductam, eumque vsum esse frequentem & ad corrigendam iudicantium iniquitatem, & imperitiam, necessarium. Propinqua causa est, quæuis persona, quæ in iudicio per iudicem grauatur, nec appellare prohibetur. Omnis enim per iniquam sententiam iudicis oppressus, seu iniustè grauatus, quicunque sit, appellandi habet facultatem, c. omnis oppressus, 2. quæst. 6. & c. vt debitus honor, extr. eod. Siue is, qui condemnatur, principalis litigator sit, siue non: dummodò interfit eius, sententiam retractari, vel ei

man-

mandatum sit, vel is alienum negotium gerat, c. non solet, 2. quæst. 6. c. cùm inter, extr. de elect. Vnde, procurator, tutor, fideiussor, legatarius, & venditor qui de euictione tenetur, appellare non prohibentur, l. tutor, l. ab executione, ff. eodem, & Speculat. in §. quis possit, eod. titu. An autem tertius, pro suo interesse, appellare possit à sententia inter alios lata? Et, ad explicationem huius quæstionis, tres casus distinguendos putat Andr. Geyl, in suis pract. obseruat. obser. 122. Primus: si ab alio interpositam appellationem prosequi velit; & tunc admittendus est ad prosecutionem, etiamsi ipse non appellauerit, l. à sententia, §. idem rescripsit, ff. de appellat. c. cùm super, extr. de offic. deleg. Panorm. in c. cùm super, nu. 4. & num. 27. extr. de re iud. Ratio. Quia, per appellationem principalis, iam suspensa est sententia, & omnibus, quibus grauamen illatum est, via aperta: ita vt non sit opus alia appellatione, Bald. in §. hodiè, num. 6. C. de appellat. Secundus: si alterius appellationi, pro suo interesse, adhærere velit: quo casu necesse est, vt intra decendium ratam habeat appellationem per alium interpositam: appellare quidem intra decendium non tenetur interueniens, sed tamen, intra illud tempus alterius appellationi adhærere, & interpositam appellationem ratam habere debet, c. vt circa, de elect. in 6. & text. in c. non solet, 2. quæst. 6. Tertius casus est, si ipse, pro suo interesse, à sententia contra principalem lata, principaliter appellet: & tunc requiritur, vt non tantùm intra decendium appellationem interpo-

nat, sed etiam nuncupatim grauamina, & causas exprimat, cur sua interfit, appellare à tali sententia. idq; procedit, etiamsi à diffinitiua contra alium lata appelletur: tametsi aliàs in appellatione à diffinitiua, causæ expressio necessaria non sit. Ratio differentiæ est. Quia, vbi appellatio interponitur contra regulas iuris, propter præsumptionem doli, non aliter admittenda est, quàm si expressa causa iustificetur: sed appellatio tertij fit contra regulas iuris; quia regulariter non licet appellare à sententia inter alios lata, ergo admitti non debet, nisi expressa causa, per text. in d. c. non solet, c. cùm super, numer. 5. Felin. ibid. num. 1. & Innocentius in c. veniens, extrà, de testibus. An autem victoria tertij, appellantis pro suo interesse, prosit principali iam antea victo? Dicendum regulariter, quòd sic, per l. 1. & l. 2. C. si vnus ex pluribus, &, c. vna sententia, extr. de appellat.

Ex his patet, appellationem domini, siue vel principaliter, vel in consequentiam & aliquo modo interfit, recipi, prodesseq́ue subdito, contra quos principaliter actum fuit, etiam non appellantibus: potissimùm, si subditi à domini priuilegijs noluerint se separari. Hoc enim tactum est, quòd vnius appellatio prosit alijs non appellantibus, quando videlicet causa est communis, & vna eademq; omnium defensio, text. tu. C. si vnus ex pluribus, l. si qui separatim, ff. ff. de appellat. & notat Andr. Geyl obseruat. 121. pract. obseruat. prohibetur autem appellare con-

tumax. ex vera enim contumacia oritur duplex exceptio, scilicet declinatoria, & peremptoria: quas appellatus contumaci obijcere potest, vt pulchrè tradit Bald. in l. diffamari, C. de inge. manu. num. 7. cum gloss. in Clemen. vnica. de dolo & contum. prohibentur etiam, homicida, veneficus, adulter, manifestam violentiam inferens, insignis latro, concitator seditionis, dux factionis, raptor virginum, si sint argumentis superati, testibus conuicti, &c. Et alij, quos notat Speculat. lib. 2. par. 3. §. quis possit, hoc titulo.

Quæ Materia?

Quoduis grauamen, tam in causa ciuili, quàm criminali. In criminalibus quidem, non tantùm condemnatus de crimine capitali, sed etiam quilibet extraneus, etiam inuito condemnato, admittitur ad appellandum, pro eo, per text. in l. non tantùm, ff. eod. & l. eos. §. super his, C. eod. Et hoc ratione humanitatis, cùm sit proximus: quia consors naturæ, c. charitas est, distinct. 2. de pœnitent. Excipiuntur casus in l. 2. & l. addictos, C. de appellat. recip. Quotiens enim lex in facinorosos, ob manifesti criminis atrocitatem, statim sententiam exequendam præcipit, toties appellationis beneficium denegatur, c. ei qui, §. sunt etiam, extr. eodem. Inueterata tamen per Germaniam consuetudine receptum est, *in* causis criminalibus illicitas esse appellationes: quam consuetudinem approbat etiam ordinatio Cameræ, part. 2. titul. 28. expressè

prohibens, ne recipiantur cauſę criminales
viam appellationis in Camera. Excipiun
duo caſus. Primò: niſi ex commutatione i
per gratiam facta, mulcta ſucceſsit, in locum
næ corporalis, à qua appelletur. Nam à m
appellari poſſe, crebriori calculo obtinuit, r
dit Mynſing. obſeruat. 43. centur. 3. & obſe
41. centur. 4. Secundò: niſi ſuper nullitate c
criminalis agatur. Si enim in criminali cauſa
principaliter à nullitate proceſſus appelle
qúe docere velit; vt quia non citatus, & inc
ſus condemnatus, vel aliàs contra naturalem
tionem & æquitatem, aduersùs ipſum
ſum fuerit, aut iudicatum; id ipſi per
dum eſt. Quod in reo accuſato, vel in
non etiam in accuſatore, qui putet, accu
null iter abſolutum fuiſſe, procedit. Niſi
ipſi ex proceſſu vel ſententia pœna
& corporalis immineret, notat. Mynſi
ſeruat. 42. centur. 4. Proinde in ciuilibus
ſis iure ciuili tantùm à ſententia diffi
quæ poſt litis conteſtationem fertur, a
tio conceditur: non autem ab inter
ria, niſi vim habeat diffinitiuæ, vel tal
men contineat, quod per appellationem
nitiua reparari non poſsit, l. ante diffi
C. quorum appellat. non recip. & Bart
poſt ſententiam, C. de ſenten. & interlocut.
prolixè in l. ante ſententiam, num. 12. &
ff. de appel. recip. Vbi tradit hanc regulam,
quando per appellationem à diffinitiua no
teſt reparari grauamen perfectè, quin al

præiudicium faciat, quòd tunc posſit ab omni interlocutoria appellari, quod & vſus fori, & Cameræ ordinatio approbat, par. 2. titu. 29. §. 4. & titul. 28. §. fin. Mynſing. obſeruat. 43. centur. 4. Et latiùs, quæ ſint interlocutoriæ, à quibus appellatio conceditur? vide Bartol. in d. l. ante ſententiam, & Guid. pap. deciſ. 75. cum Philip. Franc. in c. cùm ceſſante, extr. de appellat. Sententiæ autem vim diffinitiuæ habentes, quomodò ab alijs diſcernantur, regulentur, & cognoſcantur? vide Felin. in rub. extr. de re iudic. Hæ enim, non ſolùm quo ad formam & effectum interponendæ appellationis, ſed etiam, quo ad alios iuris effectus, veræ diffinitiuæ, per omnia, æquiparantur. Tales ſunt: ſententia competentiæ, abſolutionis abinſtantia, vel obſeruatione iudicij, deſertionis, reuocationis, attentatorum, de procedendo, vel non procedendo in cauſa, item, exceptionem peremptoriam obſtare, vel non, probatum eſſe, vel non: & ſi quæ ſunt ſimiles. Licet enim ſequatur & ſperetur aliquando aliqua diffinitiua: tamen hæ feruntur ſuper eo, in quo pendet victoria cauſæ; differunt enim vel parant præiudicium ſuper toto negotio, vel ſuper aliquo fundamento principali & ſubſtantiali ipſius negotij, Mynſing. obſeruat. 88. cent. 3. explicat etiam And. Geyl. obſer. 130. lib. 1. pract. obſeruat.

Denique, de iure Canonico à quolibet grauamine, & omni interlocutoria ſententia, per quã alteruter litigatorum grauatur, etiam ante litis conteſtationem appellare permittitur, c. ſuper eo, eod. Felin. ad rub. extr. de ſentent. & re iudic.

num. 1. c. 1. &, c. cùm Romana, extr. eod. &, c. non ita, 2. q. 6. Quod tamen (vt dictum est) vsus fori, ad obuiandum multorum malitijs & calumnijs, non probauit.

Quæ Forma interponendæ Appellationis?

Regulariter, ab inferiore ad superiorem iudicem, gradatim, nullo omisso medio, instituitur appellatio. Et hoc quidem, si sententia definitiua fuerit, à qua appellatur incontinenti, apud acta illius iudicis, à quo prouocatur, viua voce, per verbum, Appello: ex interuallo verò, vel in scriptis, intra decendium, c. ex parte, extr. eod. Si autem interlocutoria, tantùm in scriptis, grauaminibus nuncupatim insertis, intra decem dies, à tempore latæ sententiæ computandos, c. significauerunt, extr. de re iud. c. quod ad consultationem, extr. de confir. vtili & inutili, c. bona &, c. anteriorum, 2. q. 6.

Iustificantur autem appellationum formalia, ex requisitis appellationum. Requiritur ad formam appellationis primò: Vt appellatio gradatim fiat, non omisso medio: & hoc procedit iure ciuili, l. Imperatores, ff. de appellat. quod & in terris imperij obseruatur, Ordinat. part. 1. titul. 29. §. 1. Non autem iure Canonico. volunt enim Canones ad Summum Pontificem, omissis medijs, posse appellari, c. Metropolitanum, 2. quæst. 7. & Imol. in d. l. Imperatores, c. ad Romanam, 2. quæst. 6. &, c. si duobus, extr. eodem.

Re-

Rationem illam asſignant. Quia Pontifex eſt Ordinarius ſingulorum, c. cùm nobis, extr. de elect. Imperator autem, qui, licet dominus mundi ſit, l. deprecatio, ff. ad l. Rhod. de iact. & omnes prouinciæ ſub eo ſint, c. Adrianus, 63. diſtin. & omnes nationes, c. hoc ſi quis, 11. quæſtio. 1. & omnes Principes, c. in apibus, 7. quæſt. 1. excepto Rege Franciæ, c. per venerabilem, extr. qui filij ſint leg. & omnia in eius poteſtate ſint ſita, c. quo iure, 8. diſtinct. &, c. futuram, 12. quæſtion. 1. non tamen patitur in præiudicium inferiorum Ordinariorum, & in damnum, & laborem inæſtimabilem litigatorum, ad ſe, omiſsis medijs, appellari. Quòd ſi fiat remittit appellantem ad iudicem competentem, l. Imperatores, ff. eodem. Licet enim Princeps legibus non adſtringatur, viuere tamen ſecundùm legem debet, c. propoſuit, extr. de conceſſ. præbend. tunc enim iura ſua ſeruantur, quando ipſe illis reuerentiam exhibet, c. iuſtum, diſtinct. 9. Duo tamen caſus excipiuntur, quibus, omiſſo medio, ad Superiorem appellatio inſtitui, iure ciuili permittitur. Primò: Si intermedius iudex palam & euidenter denegaſſet iuſtitiam, Mynſing. obſeruat. 55. centu. 3. Secundò: Si medius iudex, ratione ſuſpicionis ex communicationis, vel alterius cuiuſdam impedimenti, ſit inhabilis, Abb. & alij in c. dilecti, extr. de appell. Quod etiam probat Ordinatio Cameræ in 2. part. tit. 29. in princip. & notat Mynſing. obſeruat. 66. centur. 1. His caſibus exceptis, ſi ab ordinario iudice appelletur, appellatio

gradatim facienda est : nisi quòd Canones ad Papam, omissis medijs, appellari velint. Quid à Delegato appelletur? Et distinguitur. Aut delegatus est ad vniuersitatem causarum, vt est vicarius Episcopi, & Officialis, qui ordinarius censetur, tunc appellatur ad Archiepiscopum, ad quem ab Episcopo appellatur : quia vnum & idem consistorium censetur Officialis & Episcopi, c. Romana, extr. eod. Vel ad vnam causam, quæ aut à Principe, & tunc ad ipsum Principem appellatur, c. super quæstionum, extr. de offi. delegat. aut ab alio inferiore ordinario: & tunc etiam ad eundem ordinarium appellandum, c. cum speciali, extr. eod. Si verò à subdelegato Principis, putà, cùm delegatus Principis subdelegat. subdistingue. Nam talis aut subdelegauit totam causam, & tunc tantùm ad Principem appellatur. Aut aliquid de iurisdictione sibi retinuit: & tunc, vel est remota appellatio in rescripto, & non potest appellari ad Pontificem, sed ad Delegatum tantùm, qui eum subdelegauit: & si fiat appellatio, non valebit, imò remittetur ad Delegatum. & est speciale hoc casu, vt, omissis mediis ad Papam appellari non possit, Specul. in §. nunc tractemus, num. 3. hoc tit. si verò non sit remota appellatio, cõmuniter tenetur, quòd ad Delegatum, vel ad Papam, omisso delegato, appelletur. Speculat. d. loco.

Et sciendum, quòd à sententia Commissariorum Cæsaris, vigore ordinationis, part. 1. tit. 6. immediatè ad Cameram appellari possit. Non autem hoc obtinet in Commissarijs, qui ad instantiam partium, etiam priuatorum ho-

mi-

minum, per meram delegationem à Cæsare dati sunt: hic enim casus in ordinatione non est expressus: igitur dispositioni iuris communis relinquitur, l.si cùm dotem, ff.sol.matrim. Iuris autem est, quòd à Delegato ad delegantem, vel eius successorem, in officio, appellandum sit, l. Papinianus, §. hæc si appellatio, C. de appellat. Salicetus, num.4. l.vnica, C.qui pro sua iurisdict.&,c.super quæstionum, §. porrò, &,§. fin.cum glos.ibidem,extr.de offi.deleg. Tali igitur casu appellatio ad Imperatorem, tanquam delegantem, deuoluitur, Andr. Geyl, obseruat. 121.lib.1.pract.obseruat.

Secundò requiritur,vt,si appellatio à sententia diffinitiua interponatur viua voce incontinenti,vel intra decem dies, absque vlla necessitate exprimendæ iustæ causæ in scriptis:Si verò ab interlocutoria, intrà decendium in scriptis, grauaminibus nuncupatim insertis,appelletur, l.2.ff.eod. Bart.& Ang.in l.litigatoribus,C.eod. Diuersitatis ratio est. Quia, ab interlocutorijs, iure ciuili non appellatur, nisi iusta appellandi causa subsit, quæ in instrumento appellationis per Notarium confecto in specie exprimi debet, vt iudex ad quem, statim dignoscere possit, iusta nec ne? sit apppellatio interposita,c.cordi nobis,de appell. in 6.Clem. appellanti,eod.tit.Huius ratio est. Quia in interlocutorijs appellatio ex prioribus, siue ijsdem actis, vel causis iustificari debet,glos.in c.cùm in ecclesia, &c. vt debitus, ext.eod. Regula enim & beneficium l. per hanc, ff. de temp. appell. scilicet: Non deducta deducam: non probata probabo; non habet lo-

cum in simplici interlocutoria, d.c.cordi, & Bartol. in d.l. per hanc. Appellatio autem à diffinitiua, ex alijs etiam, quàm quæ instrumento inserta sunt, argumentis, rectè approbatur, Bart. in l. si mater, §. fin. ff. de execut. rei iud. Quòd si tamen consuetudine receptum sit, vt viua voce ab interlocutoria appellari possit, hæc, quasi iuri ciuili consentanea, valet, Angel. consil. 267. Est enim solennitas appellandi iuris potitiui. ac proinde contrario iure, putà consuetudine, vel statuto tolli potest, quod etiam Camera approbat, tradit Andr. Geyl, obser. 30. lib. 1. pract. obser. Sed, an interlocutoria vim diffinitiuæ habens, diffinitiuam, vel interlocutoriam simplicem irreparabile damnum continentem, in hoc sequatur? Et suprà tractatum est, ipsam non tantùm quò ad formam, sed etiam, quò ad iuris effectus diffinitiuè comparari: paria enim sunt, diffinitiuam sententiam esse, & habere vim diffinitiuæ, gloss. in cap. de elect. in 6. & Alex. consil. 182. num. 1. volum. 6. Quemadmodùm igitur à diffinitiua incontinenti, viua voce, ex interuallo verò in scriptis, sine expressione grauaminum, appellari debet: ita quoque, ab interlocutoria vim diffinitiuæ habente, appellari potest, tradit. Franc. in d.c. non solùm, num. 3. & d.c. vt debitus, num. 3. & ordinat. Par. 2. tit. 29. §. 3. Præterea, sicut diffinitiua reuocari non potest: ita nec interlocutoria habens vim diffinitiuæ, ita glos. in d.c. fin. de elect. in 6. &c.

Requiritur igitur tertiò, vt si ab interlocutoria simplici appelle tur, instrumento appellationis

nis iusta causa grauaminis, vel illati, vel cominati exprimatur, c. vt debitus, &, c. interposita, extr. eod. Nam ad iustificandam appellationem huiusmodi grauaminis deductio iure ciuili fieri debet, quod in diffinitiua reparari non possit, iuxta l. ante sententiæ, vbi Salicet. & Dd. C. quando appell. non recip. Licet Canones in grauamine multùm non discernant, cùm à quouis appellari possit, c. 1. &, c. cùm sit Romana, ext. eo.

Quartum requisitum est, vt appellationis instrumentū per publicū Notariū rectè sit confectum. Cuius rectitudo consistit in forma & materia. Forma instrumenti appellationis est, vt contineat nomen eius, qui appellat, nomen eorum, aduersùs quos appellatur, & nomen iudicis ad quem: denique à qua cuiúsve iudicis sententia, l. 1. ff. eod. Materia consideratur in deductione grauaminis, vel simpliciter interpositæ appellationis, quæ schedula appellationis continetur: debetq; illa schedula instrumento Notarij inseri: nec sufficit attestatio Notarij in instrumento appellationis coram eo factæ, sine insertione schedulæ, Mynsing. obseruat. 45. centu. 4. Spectat & hoc ad Materiam ex qua, quod ex constitutione Diui Imperatoris Maximiliani I. Anno 1512. in Comitijs Colonienſibus promulgata, instrumenta Notariorum ex membrana confici debent, non ex papyro, nisi aliter consuetudine receptum sit, vt notat Andr. Geyl obseruat. 119. lib. 1. pract. obserat. & Mynsing. obser. 80. cent. 1. Panor. in c. cùm dilecti, extr. de confirmatione vtili & inutili.

Quin-

Quintò requiritur obseruatio fataliũ. Quæ in quadruplici sunt differentia: quædam enim ad interponendam appellationem: quædam ad discedendum à iudice aquo: quædam ad præsentãdam appellationẽ coram iudice ad quem: quædam ad prosequendam appellationem, spectant. Fatalia interponendæ appellationis decem dierum à tempore sententiæ latæ computandorum spatio continentur. vniformiter, nim hoc tempus decendij locum habet in omni appellatiõe, siue ab actu iudiciali, siue extraiudiciali interposita fit, per c. cõcertationi antiquæ, eod. lib. 6. Currit̃q; (etiam non obstante compromisso, aut pacto partium,) à tempore latæ sententię, facta computatione, de momento ad momentum, auth. hodiè, C. eo. &, c. quò ad consultationem, ext. de re iud. Consultum igitur traditur, vt Notarius in instrumento appellationis apponat, non solùm diem, sed etiam horam diei appellationis, ad hoc, vt ritè cognoscatur an decendium effluxum sit. Nam prima dies appellationis nõ computatur tota, sed momentum, hora, & punctus, illius diei, qui ad determinũ diem eiusdem puncti referri debet. Vndecimare potest, quòd decima dies in vndecimam desinat, Felin. d. c. quò ad consultationem, num. 2. & docet Andr. Geyl obser. 139. lib. 1. pract. obser. Debet̃q; tempus interpositæ appellationis accuratè notari: quia interposita appellatio nõ præsumitur facta, nisi probetur, nec possit iudex appellationis procedere & inhibere, priusquam de hoc ei fides fiat, in tantùm, vt si processerit & sententiam tulerit, non probato appellatio-

lationis interpositæ decendio, si postea, post decimum diem, appellatum esse, compertum fiat, sententia pronunciata nullius sit momenti. Et est ratio. Quia deficit iurisdictio, propter desertionem, Clem. si appellationem, de appell. & notat Mynsing. obser. 11. cent. 3. Felinus tamen, in d. c. quòad consultationem, ad hoc, vt currat tempus decendij, duo necessaria esse tradit: 1. Quòd victus sciat, sententiam esse latam. 2. Vt sciat contra se, & ad suum prę iudicium, esse prolatam. Est enim illud tempus à principio vtile, & in progressu continuum: vnde non currit, nisi à tempore scientiæ, d. c. concertationi, &, d. authen. hodiè. idq; etiam in hærede appellãtis obtinet: quia hæredi non currit tempus interponendæ, vel prosequendæ appellãtionis, nisi à die notitiæ, siue defunctus appellauerit, siue ante appellationem in fata concesserit, per text. in l. fin. C. si penden. appell. Quæ tamen ita intelligenda sunt, si dominus procuratorem apud acta non habuerit, aliàs procurator apud acta tam ab interlocutoria, quàm diffinitiua appellare tenetur, l. inuitus, C. de procurat. & ibi glos. Aut saltem intra decendiũ domino nõ solùm ignoranti, sed etiam scienti denunciare debet, sententiam contra ipsum latam, text. in c. non iniustè, extr. de procur. glos. & Panor. ibidem, alterutrum si factum non sit, sententia transit in rem iudicatam, & negligentia procuratoris nocet domino, si sit soluendo: sin minùs consulitur ei beneficio restitutionis in integrum, Bald. in l. ab eo, num. 6. C. quomodò & quando, &c. & Andr. Geyl, obser. 45. lib. 1. pract. obser. Fatalia, ad rece-

recedendum à iudice, aquo consumuntur tri-
ginta dierũ spacio, quo appellans à iudice aquo
apostolos petere tenetur. Iure enim communi
non petẽs apostolos, intra triginta dies à tempo-
re latæ sentẽtię numerandos, appellationem de-
serit, c. ab eo, de appell. lib. 6. Bart. in l. eos, §. apo-
stolos, C. eod. & est tex. in Clem. 2. eod. tit. Sunt
hi dies continui, per glos. in c. non solùm, vel
dicendum, de appell. lib. 6. Petendi igitur sunt
non semel, sed instanter, & sępiùs, c. quamuis, in
Clem. de appell. & si iudex eos non det, de dili-
gentia protestandum est. Quòd si autem appel-
lans apostolos petere neglexerit, vel in termino,
quem ei iudex eorum accipiendorum causa sta-
tuerit, non comparuerit, appellationi renun-
ciâsse videtur, d. Clem. quamuis, nisi iustum im-
pedimentum doceatur. Verùm ex nouella ordi-
natione Cameræ Imperialis in 2. par. tit. 30. apo-
stolorum requisitio prorsus necessaria non est,
sed relinquitur arbitrio appellãtis, num eos pe-
tere velit, Mynsing. obser. 84. cent. 1. & obser. 5.
cent. 4. Tempus præsentandæ appellationis ci-
citur terminus legis vel hominis, intra quam si
pars condemnata, corã iudice ad quem appella-
tionem non prẹsentet, vel compareat, prior sen-
tentia transit in rem iudicatam, tex. est in c. per-
sonas, ext. eo. & glos. in l. præsens, C. de appell. &
c. sæpè, ext. de appel. Et dicitur vel terminus le-
gis, quia lex, vel statutum, certum præsentandæ
appellationis tempus præscribit, vel hominis,
quod iudex personæ, causæq; circũstantijs per-
pẽsis statuit: vterq; est eiusdẽ effectus, nisi quòd
terminus legis à iudice aquo minui, nõ prorо-
gari,

gari, posit, c. ad hęc quoniam, ext. eod. gl. in d. c. cùm sit Romana: hominis verò ab ipso iudice a quo intra tempus à se præscriptũ rectè prorogatur, Franc. in c. personas, ext. eo. Hoc tamẽ And. Geyl obser. 140. lib. 1. pract. obser. ita accipiendũ putat, vt prorogatio hominis, nõ extẽdatur, vltra terminũ legis, idq; ex ordinatione Cameræ, quo appellantibus sex menses ad introducendã appellationẽ conceduntur, perspicuũ esse dicit, tit. 30. §. 1. &, §. 5. par. 2. Terminus enim ordinationis est legis, seu iuris, quia à lege Imperij statutus, intra illũ (si à iudice à quo nõ sit breuior assignatus, quod fieri potest) citatio in Camera extrahi, & ante eius finẽ reproduci debet, id nisi fiat, appellatio deserta efficitur, & super desertione ex officio pronũciatur. Et notandũ, quòd huiusmodi fatalia præsentãdæ vel introducendæ appellationis, non à die latæ sententiæ, sed à tempore interpositæ appellationis currere incipiant, possintq; cõpromisso, vel expresso partiũ cõsensu prorogari, auth. ei qui, C. eod. auth. si tamen, C. de temp. appel. Clem. sicut, eod. & Clem. quamdiù, eod. Deniq; fatalia prosequendę appellationis, sunt anni spaciũ de iure cõmuni, & exiusta & legitima causa bienniũ, à tẽpore interpositę appellationis numerandũ, intra quod, nisi prosequatur appellãs appellationẽ iudicialẽ, vel extra iudicialem, siue ab interlocutoria, siue diffinitiua institutã, appellatio pronũciatur deserta, & per remissionem causæ ad iudicẽ, à quo sententia prior confirmatur, & legitimũ sortitur effectum, auth. ei qui, C. de temp. appell. Notat tamen And. Geyl obser. 141. lib. 1. pract. obser. in

iudi-

iudicio Cameræ Imperialis regulariter fatal
appellationis prosequendæ, propter causarū
multitudinem, non currere, sed tantùm fatal
interponendæ & introducendæ appellationē
si tamen huiusmodi tempora prosequendæ a
pellationis, coram inferioribus iudicibus n
sint seruata, appellationē in Camera, tanqu
desertam, non recipi, sed ad iudicem aquo,
executione remitti; iudicari enim in Cam
secundùm ius commune, etiam quò ad solē
tates coram iudicibus inferioribus non fata
tas: tametsi vbiq; ferè locorum in iudicio
rum fatalium nulla habeatur ratio.

Sextò: requiritur, vt causa talis sit, qua
appellationis viam ad Superiorem deuolu
sit, non ex minimis, in quibus, ob malitiam
uersarij, & inanem sumptuum faciendorum
xationem, appellatio prohibetur, arg. c. a
riorum, 2. quæst. 6. In Camera autem Imp
li appellationes non recipiuntur, si summa
pellationis sit infra 50. florenos Rhenenses
disponente ordinatione, tit. 28. §. 4. par. 2
summa postea in Comitijs Spirensibus a
1570. fol. 19. ad 150. florenos extensa e
obtinet in summis priuilegiorum, de non
lando, statibus & ciuitatibus concessorum
appellatio non deuoluitur ad Cameram, si
ma non sit priuilegio conformis, d. tit. 2
in fi. Nec appellatur in causa criminale, vbi
ctum notorium vertitur, vt notatur in l. 1
quorum appellat. non recip. Ratio. Quia ap
latio nō debet esse iniquitatis præsidium, c.
sit Romana, extr. de appellat. vel si res dila

hem non patitur, putà, ne testamentum aperiatur, vel, ne scriptus hæres in possessionem mittatur, vel, ne frumentum in subsidium militiæ transmittatur, &c.

Septimò: vt appellans talis sit, quòd appellare possit: non contumax, vel is, quem perpetua lex, ob scelus, vel notorium delictũ, statim promeritis pœnis subijci iubet, vt suprà.

Octauò requiritur: vt iudex à quo appellatur, inferior sit, à quo appellari possit: vt sunt tam Ordinarij, quàm delegati, 2. quæst. 6. c. secundò requiris, &, c. Romana, iuncto, c. cùm sit Romana, extr. eod. A principe igitur, id est, à Papa, vel Imperatore, non appellatur, d. c. anteriorũ, 2. quæst. 6. c. cuncta, &, c. per principalẽ, 11. quæst. 3. Neque à præfecto prætorio, l. 1. C. de sentent. præfect. prætor. Neque à sententia arbitri, ad quem, per compromissum itum est, c. omnis oppressus, 2. quæst. 6. l. episcopale, C. de episcopali aud. vel à iudicibus, quos communis partium consensus elegit, c. à iudicibus, 2. quæst. 6.

Quis finis interponendæ Appellationis?

Vt non deducta & probata deducãtur & probentur, l. per hanc, C. de temp. appel. l. eos, §. 1. C. eod. Nõ autem instituitur appellatio, vt aduersarius multis sumptibus diu multumq; vexetur, §. 1. auth. de ijs qui ingred. ad appel. Quia appellationis beneficium, non ad defensionẽ iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum est, tex. in c. cùm speciali, §. porrò, ext. de appel. &, c. ad nostram, vbi glos. eod. tit. Finis etiam

appellationis interpositę proprius est, vt iudicá tium imperitia, & sententiæ iniquitas corrigatur, licet ipso facto comperiatur, nonnunquam benè latas sentẽtias per appellationem in peius reformari, vt ait Vlpianus in l. 1. ff. eod.

Qui Effectus?

Primus effectus est. Quòd appellatio causam reducit ad tempus litis contestatæ. Quare exceptiones peremptoriæ, quæ non ad impedienci litis ingressum, sed in vim peremptoriarũ, post litis contestationem, opponuntur, in causa appellationis rectè proponuntur: non autem illæ, quæ ante litem contestatam proponi necesse est, vt dilatorię, Alc. in l. 3. C. de eden. eadem ratione, & articulos nouos proponere, non tamen prioribus directò contrarios, probationesqúe vt in priori instantia facere, & non allegata allegare, non probata probare licet, Clem. fin. de testi. c. quoniam, extr. vt lite non contest. Articulus enim in prima instantia omissus, in causa appellationis redintegrari, & probari potest; dũmodò nouus ille articulus à veteribus dependeat, & talis sit, in quo sentẽtia, à qua, faceret præiudicium, & pareret exceptionẽ rei iudicatæ, Bart. & Alb. in l. per hanc, C. de temp. appellat. & Ordinar. par. 3. tit. 33. §. 1. &, §. 3.

Alter effectus est. Quòd, secudùm communem Doctorum opinionem, appellatio, quo ad præsentem causæ statum, planè extinguat pronunciatum, licet quo ad futurum statum, & litis exitum suspendat tantùm, per tex. in l. 1. §. fi. ff. ad S. C. Turpilli. & gloss. in . venientes, extr. de

de iureiurando, Felin. in c. pastoralis, num. 14. extr. de off. deleg. Cùm igitur per appellationē interpositam suspendatur sententia, ea pendente, nihil innouari, sed omnia in eo statu, quo tēpore interpositæ appellationis erant, permanere debent, ita vt si à diffinitiua sententia vel interlocutoria vim diffinitiuæ habente appellatū sit, iudex appellationis statim cum citatione inhibitionem decernere possit. Non autem, si ab interlocutoria simplici, appellabili tamen. Et ratio est. Quia ei de veritate grauaminis primùm constare oportet, vtrùm causa sit deuoluta nec ne? quandiu enim cognoscit: an appellatio sit recipienda? an causa sit deuoluta? inhibere non debet, Henning. in sua pract. par. 3. tit. 30. Dd. in c. non solùm, &, c. Romana, eo. in 6. Quæ ratio cessat, quando à diffinitiua, vel interlocutoria diffinitiuæ vim habente appellatur. Quia appellatio à diffinitiua, vel interlocutoria vim diffinitiuæ habente (vt in primo effectu dixi) statim deuoluit causam ad iudicē appellationis, & reducit ad eum statum, in quo erat causa principalis, post litis contestationem, per text. in l. ita demum, & ibidem Bart. & Bald. C. de procur. Marant. distinct. 6. num. 16. An autem iūdex appellationis innouata ante inhibitionem reuocare possit? Et pari ferè distinctione explicat hanc quæstionem, Bonifacius VIII. c. non solùm, de appellat. in 6. inquiens: Non solùm innouata post appellationem à diffinitiua sententia interiectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus iura post sententiam prohibent appellare) ante omnia, per appellationis

iudicem penitus reuocari: sed etiam ea omnia, quę medio tempore inter sententiam & appellationem (quæ postmodùm intra decendium interponitur ab eadē) cōtingit innouari: ac si post appellationem eandem innouata fuissent. Si verò ante diffinitiuam ab interlocutoria appellatum sit, illa quæ post appellationem interpositā ante diffinitiuam sententiam innouantur, donec appellationis causam veram esse constiterit per iudicem appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam, ex probabili causa fore ad se negotium deuolutum) inhibeat canonicè iudici (à quo appellatum extitit) ne procedat: tunc enim quicquid post inhibitionem huiusmodi fuerit innouatum (licet causa eadem nō sit vera) per eundem appellationis iudicem, ante omnia, in statum pristinum reducendum est, & traditur in c. ex parte, ext. eo. Notat etiam Specul. §. nouissimè, num. 7. eod. tit. cassus 16. quibus, pendente appellatione, innouari permittitur. Quos ibi videre licet.

Tertius effectus est. Quòd appellans, per appellationem interpositam, statim eximatur à iurisdictione iudicis à quo, censeaturq; iudex incompetens, potissimùm si appellationi interpositæ detulerit. Nam is iudex deferendo appellationi iurisdictionē quodammodò à se abdicat, c. cùm appellationibus, de appellat. in 6. transfertq; eam, super quo appellatum est, ad eum, ad quem fertur, appellatum esse, c. pastoralis, extr. eod. c. per tuas, extr. de sent. excom. &, c. ad reprimendam, extr. de offic. ord. Quod tamen non ita accipiendum est, quòd per hoc iudi-

iudici à quo iurisdictio in appellantem penitus adimatur. Cùm etiamnum appellantem, si delinquat, notoriè punire, & appellationẽ propriam prosequi negligentem distringere possit, c.reprehensibilis, c.consuluit, &, c. proposuit, ext.eod. Siquidem, aut appellans à prosequutione appellationis desistit, & appellato in expensas legitimas condemnatur, d.c. reprehensibilis, ext.eod. Aut appellatus non prosequitur appellationem, & contra eum, vt contumacem, proceditur, c.sæpè contingit, ext.eod. Aut vterque prosequutionem appellationis negligit: quo casu prioris iudicis sententia, cui litigatores postea parere tenentur, ob desertionem appellationis interpositæ, in rem iudicatam trãsit, d.c. reprehensibilis. Ne tamen quis, prætextu grauaminis nullibi existentis, à iusta sententia, temerè appellare audeat, iure ciuili pœna 50. librarum auri, cum existimationis iactura in temerè prouocantes statuta est, l. eos, C.eod. l.à proconsulibus, C. eod. & l.5. C. quorum appellat. non recip. Sed hæc pœna, cùm quorundam appellantium facultatibus par non sit, &, ex consequenti: iuxta illud: (Qui non habet in ære, luat in corpore) in corporalem pœnam transmutetur, per Canones mitigata est. Nam appellantium temeritatem expensarum solummodò damno puniunt, d. c. reprehensibilis, ext.eod.c.1.de elect. in 6. Abb. in c.inter cætera, ext.de appell. Quod ita intelligendum est, si de temeritate appellantis indubitatò constet. appellans enim, qui in prima instãtia obtinuit, etiamsi in appellationis causa succumbit, non

tamen est in expensis condemnandus. quod in
procedit, si ex nouis probationibus & actitat
succumbat: secus si ex eisdem, seu prioribus a
ctis, iuxta glos. in c. ignorantia, de regu. iur. in 6.
Imol. & Hostiens. in c. finē litibus, extr. de dolo
& cōtu. & tradit Mynsing. obseruat. 89. cēt. 1.

Quæ Affinia?

Recusatio, relatio, in integrum restitutio, sup
plicatio, reuisio.

Quid est Recusatio?

Alterum membrum huius tituli est: de Recu
sationibus. parificantur enim recusatio & appel
latio, c. super, extr. eod. Et sicuti per appellatio
nem receditur ab audientia iudicis, ita etiam
per recusationem, c. secundò requiris, extr. eod.
&, c. quòd suspecti, 3. q. 5. Est autem recusatio,
vt definit Speculator in §. recusatio, tit. de recu
sat. iurisdictionis vel audientiæ, causa suspicio
nis, proposita declinatio, c. quòd suspecti, 3. q.
5. &, c. suspicionis, extr. de off. deleg.

Quæ causa Efficiens?

Ipsa lex, quæ non vult iustitiam à personis su
spectis administrari, magno partis detrimento,
l. apertissimi, C. de iudicijs.

Quod Obiectum?

Iudex ordinarius, & Delegatus. Quia iure Ca
nonico, tam Ordinarius, quàm Delegatus, ob su
spicionem, recusari possunt. De Ordinario pa
tet ex c. si quis contra, extr. de foro comp. c. pla
cuit, 2. quæst. 6. c. peruenit, 11. q. 1. &, c. cùm spe
cialis, extr. de appellat. De Delegato autem ex
pressum

pressum est in c.suspicionis,extr.de off.deleg. & c.postremò,extr.de appellat.nisi sit datus ad petitionẽ partis. Quia is,qui ipsum petijt, nequit eum recusare,c.inducię,§.offeratur,3.quæst.3.& c.cùm olim,extr.de off.deleg.nisi ex noua causa suspicio oriatur,c. insinuantem,extr. de off. deleg.Iure autem ciuili tantùm Delegatus, non autem Ordinarius regulariter recusari potest: ad eum effectum, vt remoueatur tanquam suspectus:sed si aliqua suspicionis subsit causa,adiunctus ei dandus est,cõmuniter Dd.in auth.si verò contigerit,C.de iud.& gloss.in l.apertissimi, C. de iud.

Quæ Forma?

Vt, ante litis contestationem, intra tempus deliberationis:scilicet,viginti dierum, libellus recusationis,in quo sufficiens suspicionis causa scripta sit,iudici ordinario, vel Delegato,porrigatur,eligantur{q}, per litigatores arbitri, qui de suspicionis causa cognoscant, qua coram arbitris probata,negocium cuidam personæ idoneę decidendum committatur, vel non probata ad iudicem recusatum remittatur, c. cùm speciali, extr.eod.& l.fin.C.de iud. Primò enim requiritur,vt recusationis exceptio in scriptis proponatur,ante litis contestationem,tam iure ciuili, vt in dict.l.apertissimi, quàm iure Canonico, vt in c. inter monasterium, extr. de re iudic. Est enim illa exceptio dilatoria, ergo ante litem contestatam obijcienda,imò ante omnes dilationes. Quia si opponitur alia dilatoria, censetur prouocari iudex, vt super ea pronunciet,

nunciet, & sic inducitur consensus in iudicem, vt non possit recusari postea, Lanfran. in c. quoniam, extr. de probat. Quod ita procedit, nisi ex noua causa, post litis contestationem, suspicio oriatur, ob quam exceptio recusatoria opponenda foret, c. insinuantem, extr. de offic. deleg. tunc enim, in quacunque parte litis, obijci poterit, etiam post conclusionem causæ, si post superuenit, iuxta Feli. in d. c. insinuantem. Qui casu, is, qui, ob suspicionem, iudicem, quem antea approbasse videtur, recusare contendit, iurisiurandi religione affirmare tenetur, eam de nouo ad eius notitiam peruenisse, c. pastoralis, extr. de except. Nam & in Camera, post litis contestationem, recipiendam talem recusationis exceptionem non esse, communi suffragio obtinuit, nisi notoriè & euidenter constet iudici, eam de nouo superuenisse, Mynsing. obseruat. 59. cent. 4. Secundò requiritur, vt recusatio non verbis, sed scripto fiat. Quia huiusmodi recusatio interlocutoriæ comparatur, à qua in scriptis appellandum est, ita tenet Angel. Fulg. & Salic. in l. fin. C. de iud. debet. recusationis libellus, iudici præsenti exhiberi, d. l. apertissimi, C. de iudic. in verb. libello recusationis porrecto. Cuius forma est, vt contineat: quis, quem, in qua causa, quare recusat, & nomen arbitri, qui ad cognoscendam suspicionis causam eligitur, Specula. in §. qualiter autem, hoc tit. Tertiò requiritur, de iure Canonico, vt causa suspicionis iusta libello recusatorio inseratur, quæ corã arbitris postea electis probetur. Causæ iustæ sunt: quia iudex, mari-

maritus, pater, vel patronus aduersarij est, pecunia interueniente corruptus, nimis fauens propter propinquitatem, inimicus, quia recusantẽ priuato vel euidenti odio prosequitur, vel quia fuit aduocatus vel procurator eiusdem causæ, vel quia est imperitus iuris, vel habet assessorem suspectum, Hostiens. in §. quæ sint iustæ causæ, de offi. deleg. &, §. ex quibus causis, tit. de recusat. & Specul. §. causa recusationis, de recusat. Illud singulariter notandũ, q̃ omnes causæ, q̃ repellũt testẽ, tanq̃ suspectũ, multò magis iudicem repellunt: imò minor suspicio sufficit in iudice, q̃ teste, quia facilius est, alium inuenire iudicẽ q̃ alium testem: & quandoq; victoria totius causæ in vnico teste, propter alia quædam adminicula, consistit, gloss. in c. cùm R. Canonicus, extr. de offi. delegati. Quartò requiritur, de iure Canonico, vt à litigatoribus, arbitri, qui de causa suspicionis cognoscant eligantur, qua probata, causa principalis alij iudici committatur, vel nõ probata ad iudicem recusatum, remittatur, c. cùm speciali, &, c. secundò requiris, extr. eod. Sic enim ait Innocen. III. in c. cùm speciali, extr. eod. Cùm aliquis iudicem proponit se habere suspectum, suspicionis causam coram eodem allegare tenetur. Sed partes, vt in aliquos non valdè remotos conueniant, per eundem iudicem debent cogi: coram quibus si causa suspicionis intra terminum competentem probata non fuerit, tunc demum authoritate sua iudex vtetur. Quòd si coram ipsis causa suspicionis probata fuerit, causæ cognitioni supersedere tenebitur recusatus, & de recusatoris cõsensu, vel negotium alicui idoneæ

neæ personæ decidendum committit, vel a Superiorem remittit. Sed ius ciuile hos duos postremos effectus non approbat. Eo enim non causa suspicionis in libello recusationis expr menda non est, sed sufficit suspicionis allegat in genere secundùm formulam recusandi, qu tradit glos. in d.l. apertissimi, in verbo, libel quam sequitur Bal. ibidem, num. 7. Iason, & al alij. Sufficit igitur, dicere, se habere iudicem suspectum; licet iuramentum præstare teneatur recusans, se non calumniandi animo recusare. Nam hoc iuramentum loco probationis est, cùm quilibet præsumatur memor esse debitor suæ, & proinde arbitri à partibus electi, secundùm ius ciuile, omisso articulo suspicionis, in causa principali cognoscunt; quia cùm causa libello non sit inserenda, ex consequenti nec probanda est, d.l. fin. C. de iud. prout tenet etiam Ang. in d.l. apertissimi, & Bal. in l. 1. §. 1. ff. à quib. appell. non licet. In hoc tamen quid consuetudine obseruetur attendendum est, vt tradit Myns. sing. obser. 63. cen. 3. & Andr. Geyl, &c.

Quis Finis?

Vt iudex, ob suspicionem, remoueatur: ipsa nanque ratio dictat, vt ait Cælestinus, suspectos & inimicos iudices esse nõ debere, dicendò requiris, extr. eod.

Quis Effectus?

Primus est. Quòd eoipso, quòd iusta suspicionis causa proponitur recusati iudicis iurisdictio fit suspensa, c. super eo, extr. eod. Alter est

effectus est. Quòd, probata causa suspicionis, intantùm expiret, & extinguatur recusati iurisdictio, vt in causa principali procedere non possit, &, si ad vlteriora processerit, processus sit ipso iure nullus, d.c.secundò requiris, extr. eod. An autem hoc casu arbitri in causa principali procedant, vel alij iudices sint eligendi? Et distinguitur inter ius ciuile & Canonicum. Nam iure ciuili, arbiter de cognoscenda suspicione electus, in recusati iudicis delegati (iure enim ciuili Ordinarius propriè non recusatur) locum succedit, & tanquam delegatus ab eo, qui recusatum delegauerit de causa principali post factam suspicionis probationem cognoscit, d.l.apertissimi, & arg. c. dispendia, ext. de rescrip. sicut cùm pronunciatur, quod appellatio ab interlocutoria sit iusta: quia tunc deuoluitur negotium principale ad iudicem appellationis: appellationibus enim ab interlocutorijs recusationes iure ciuili comparãtur, Cast. in d.l.apertissimi. Verùm iure Canonico, arbitri tantùm de causa suspicionis cognoscunt. Qua probata, iudex recusatus, potest de recusatoris assensu committere personæ neutri parti suspectæ causam: seu cogere partes ad eligendum arbitros, quibus ipse vices suas committat ac deleget, & hi tanquam delegati eius vice de principali causa cognoscant, vel causam ad Superiorẽ remittere potest, d.c.cùm speciali, ext. eod.c.cùm te, extr.de off.dele.c.peruenit, 11.q.1. &c.placuit, 2.quæst.6.

Quid

Quid Relatio?

Relationis tractatio ad tertiam huius tit. partem spectat: conuenit cum appellatione in effectu. Quòd sicuti instituta appellatione, ita etiam facta relatione ad Superiorem, nihil innouari debet. Et dicitur relatio, iudicis de iure dubitantis ad Principem missa consultatio, c. inuestigasti, extr. eod. &, c. si quid in ecclesia, 2. q. 7.

Quæ causa Efficiens?

Iudex competens, qui, ob difficultatem, vel ambiguitatem iuris, de causa dubitat. Nam in factorum perplexitate non est recepta relatio, l. 4. &, l. 2. C. de relat.

Quæ Materia?

Ipsum ius, non autem factum, tam in causa ciuili, quàm criminali, auth. collat. 6. de iud. §. fin. & l. eum, ff. de iudic. Relatio enim locum habet: 1. Vbi in controuerso casu nullum ius est expressum. 2. Vbi quidem expressum est, sed de eius intellectu dubitetur, propter diuersas interpretum sententias. 3. Vbi tanta est iurium contrarietas, ob quam iudex in diuersas sententias anceps distrahatur, c. pastoralis, extr. de fide instr. c. literas, extr. de restit. spol.

Quæ Forma?

Formam ponit Speculator in §. qualiter, tit. de relationibus, & Impp. Theodo. & Valent. in l. fin. C. de precibus Imperatori offerendis: scilicet vt iudex ante sententiam diffinitiuam, examinato diligẽter articulo, super quo fieri debet re-

latio

latio, partibus præsentib. dicat, se super ea dubitare, & velle Principẽ cõsulere: demũ cõficiat libellũ Principi mittendũ, in quo cõtineatur processus, corã eo habitus, & dubitationis articulus, rationesq; partium, & iura quæ ipsum perplexũ reddant. Quo facto, ipsum consultationis exemplum partibus legendum, vel edendum, vt si fortè relatio minùs plena videatur, vel aliter scriptum, quàm actum sit, opponere suas rationes, & refutatorios libellos Principi offerre possint, c. cùm inter[1], extr. de elect. Tunc enim relationibus plena fides & veritas inest, cùm vel allegationibus partes repelluntur, vel partium approbantur assensu, l. 1. & l. 2. C. de relat.

Quis Finis?

Vt, ambiguitate iuris, per Superiorem declarata, iudex rectè quæstionem definire, & sententiam iuri & æquitati consentaneam ferre sciat, d. c. intimasti, extr. de appellat.

Quis Effectus Relationis?

Effectus relationis est, vt causa, vel etiam consultatione pendente, nihil debeat innouari, vel de causæ meritis inquiri, vel aliquid fieri, aliàs irritum id habetur, c. licet, extr. de off. leg. c. bonæ, 2. ext. de post. prælat. c. nomen, 2. q. 1. &, c. denique, 6. q. 3. Notandum etiam. Quamuis relatio fuerit per iudicem approbata, tamen, priusquã facta sit, potest ea commissa de partium consensu in causa procedi, c. significantibus, extr. de off. deleg.

Quid

Quid est Supplicatio?

Sicut appellatio ad corrigendam Inferioris sententiam interponitur: ita supplicatio ad mitigandam sententiæ seueritatem, illorum, à quibus propter dignitatis sublimitatem appellari non licet, fieri contingat. Est autem supplicatio nihil aliud, quàm veniæ proprij erroris petitio, vel ipsius Superioris benignitatis imploratio, l. præfecti, ff. de minor.

Quæ causa Efficiens?

Est lex ipsa, permittens in certis casibus Principi preces offerre, tot. tit. C. de precibus Imp. off. & tit. C. vt lite penden. vel post prouoca.

Quod Obiectum?

Sententia, à qua appellatio non conceditur vt est sententia Præfecti prætorio, Imperatoris vel Papæ, c. ex literis, extr. de restitut. in integrum, & c. cũ causam, extr. de re iud. Aliàs. n. lite pendente, vel post prouocationem, aut diffinitiuam sententiam nemini licet supplicare, d. tit. vt lite pendẽte, &c. Nisi vel actorum communium, vel pronũciationis editio denegetur, l. supplicare, d. tit. vt lite pendente. An autem possit supplicari ad Episcopum à sentẽtia Vicarij? Et quidem possit, supplicatione largè sumpta, vt scilicet comprehẽdat beneficium restitutionis in integrũ; quod cõceditur minori, vel maiori, ex causa, nam cum ipse Vicarius Episcopi possit aduersùs suam sententiam restituere in integrum, non est mirum, si Episcopꝰ aditus restituere possit, aduersùs eãdem sui Vicarij sententiam, cùm vna eademq; vtriusque censeatur iurisdictio, iuxta Panor. & alios,

lios, in c.ex literis,extr.de restitut.in integ.

Quæ Materia?

Causa tam criminalis quàm ciuilis. Nam super criminis pœna,venia potest per supplicationem impetrari,l.rescripta,C.de precib.Imp. off. &,c.quæ est,25.quæst.2.huius autem supplicationis basis & fundamentum sumitur,non ex sentẽtiæ iniquitate, quæ non cadit in tam sublimes personas;à quibus appellandi facultas non permittitur;sed ex petitione veniæ proprij erroris, vel aduersarij circũuentionis allegatione,l. præfecti, ff.de minorib. In causa autem ciuili, post pronunciationem reuisio omnium actorum oblatis Principi precibus,peti potest,si condemnatus prolata sententia cõtra æquitatem & ius scriptum se grauari arbitretur, pendente verò lite supplicatio facilè non recipitur,nisi supplicetur pro eo,quod graui partis aduersæ dispendio nõ cedat,vt pro dilatoria exceptione, non peremptoria.id enim quod totius negotij cognitionem tollit, & vires principalis negotij exhaurit per rescriptum non conceditur,l.quoties,C. de precib.Imp.off.c.ex insinuatione,extr.de procurat. &,c.1.extr.de dol.& contum.

Quæ Forma?

In causa criminali,forma est,vt supplicatio libello cõpræhensa,in qua suppressa causa supplicandi extrinseca, error proprij facti, vel dolus, & circumuentio aduersarij prætendatur, cum imploratiõe benignitatis Principi offeratur, ꝑfitq; petẽti,nec alij obsit,c.nec damnosa,25.quæst. 2.&,l.2.C.de precib.Imp. &c. Forma in causa ciuili est, si condẽnatus iniquè condemnationem

factam putet, vt intra decem dies reuisionem i
ctorum, & totius causæ petat, quibus elapsis, ha
bet biennium ad supplicandum Principi: quod
biennium computatur, ex quo Imperator in co
gnitione præfecti successit, l. 1. C. de senten. præ
præto. & auth. quæ supplicatio, C. de precibus
Imper. offer. quod iure communi obtinet. Qui
autem in Camera? vide infrà: De reuisionibus.

Qui Effectus?

Effectus supplicationis est: quia, si Princeps
rescribit ad supplicationē, obtinet vicē litis con
testatæ; quantū adhoc, vt perpetuetur vsq; ad
annos, vel, secūdùm alios, vsq; ad 40. tot. in quā
do libel. Princ. datꝰ litis cōtest. faciat, &, l. fi. C. de
annali excep. transitq; ad hæredes, & cōtra hæ
des, l. 1. C. quando libel. l. constitutionibus, ff. de
act. & oblig. c. circa mediū, §. potest, 16. q. 3. Obiid
ptoriæ aliæq; temporales actiones, per oblatas
Principi preces, & ad eas rescriptionem, perpe
tuantur, l. temporales, C. quando libel. prin. da.

Alter effectus est, cōmodum fideiussionis præ
standę. Supplicatio enim non habet hunc effectū
instar appellationis, vt, pendente rescripto, ad
supplicationem nihil innouetur. Quandoquidem, si intra decem dies supplicetur, potest sen
tentia executioni mandari: ita tamen, si victus
satis dederit de restituenda re, si sententia fuerit
iustè resoluta. Si autem non supplicauerit intra
decem dies, habet biennium ad supplicandum
Principi: quod biennium computatur, ex quo
Imperator in cognitione præfecti successit, l. 1.
C. de senten. præf. præto. Sed tunc executio sen
tentiæ

tentiæ fiet, nec victor satis dabit, de restituendo, auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imp. off. Igitur aduersùs sententiam supplicare quis debet infra decem dies, si velit habere commodum fideiussionis præstandæ: sed per hanc supplicationem executio sententiæ non impeditur.

Ex his patent, inter appellationem & supplicationem differentiæ. 1. Appellatur intra decem dies: sed supplicatur vsq; ad biennium. 2. Pendente appellatione, nihil est innouandum: sed pendente supplicatione, mandatur executioni sententia. 3. Ante sententiam non licet simpliciter supplicare, l. 2. C. vt lite pend. sed appellare permittitur, vbicunq; grauamen infertur, c. vt debitus, ext. de appellat. 4. Supplicatio protenditur ad noua & vetera: appellatio verò solùm ad ea, super quibus interponitur, c. suscita, &, c. ex literis, extr. de in integr. restitut. Denique temerè supplicans in omnem litis æstimationem aduersario condemnatur, l. 2. & l. 3. C. vt lite pen. secus in appellante de iure ciuili, iuxta l. eos, C. eodem.

Quid Reuisio?

Reuisio est, causæ, in qua, per diffinitiuam iudicis sententiam opinione partis supplicantis contra æquitatem vel ius scriptum grauamẽ infertur, ex prioribus actis propositisq; causis & argumentis merita causæ concernentibus, repetita cognitio.

Quæ causa Efficiens?

Constitutio Imperialis, quę neminem, contra

ius & æquum grauare, permittit, auth. quæ sup-
plicatio, C. de precib. Imp. off.

Quod Obiectum?

Prætensa à parte condemnata nullitas, vel iniquitas pronunciatæ sententiæ diffinitiuæ, in quauis causa: ita, vt etiam in causa diffamationum, in qua, ad impositionem perpetui silentij proceditur, sententialata, reuisio peti possit, Andr. Geyl, obseruat. 132. lib. 1. practica. obseruat.

Quæ Forma?

Forma, de iure communi, habetur in auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imp. off. Sed quid in reuisionibus, post sententiam diffinitiuam latam, in Camera Imperiali, per partem condemnatã & victam petitis obseruetur? Traditur, Ordinat. Cam. parte 3. tit. 53. & constitutione Ratisp. anno 1532. promulgata, fol. recess. 2. Quæ tamen ordinatio Cameræ, per constitutionem Imperialem postea, Anno 1557. Spiræ promulgatã, ampliata est, fol. 208. recess. Spiren. Anno 57.

Qui Effectus?

Vt sumptibus partis petentis fiat reuisio per peritos ad hoc deputatos. Qua facta, si nullitatem vel iniquitatem sententiæ deprehenderint, contra sententiam, pars condemnata restituatur. Et nota, quòd, reuisionis tempore durante, sententia executioni mandetur, si victrix pars dignam præstiterit fideiussionem tantum restituendi, quantum fuerit in condemnatione, si le-

gitima

gitima retractatione sentẽtia resoluatur, d. auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imp. off. Quid, si fideiussores habere nequeat? Et adhuc per reuisionis processum non impeditur executio, si modo iuratoriam cautionem, quæ loco fideiussionis requisitæ admittitur, præstiterit: ita concludit Andr. Geyl ex opinione Guid. Pap. decis. 189. &c.

Quid est Restitutio in integrum? Et quomodò ab appellatione, supplicatione, vel reuisione differat?

Restitutio in integrum est, prioris status, iuris vel audientiæ redintegratio, c. ex literis, extr. de in integ. restitut. Nec multùm, quo ad effectum legitimum, ab appellatione differt: sicut enim per appellationem quandoque rescinditur, ita etiam per in integrum restitutionem: & sicuti, pendente appellatione, nihil est innouandum, ita quoque postulata & obtenta in integrum restitutione, omnia sunt in eodem statu, in quo erant, priusquam petitio fieret. Nec enim res, super qua postulatur, alienari debet, nec sententia executioni mandari, nec aliquid fieri in præiudiciũ postulantis, donec restitutio fuerit expedita. Ex quo perspicuè apparet, vberius esse restitutionis, quàm supplicatiõis, beneficium. Nã supplicationis oblatio sentẽtiæ executionẽ, vel rerum alienationẽ, donec ad eã rescribatur, nõ impedit. Differunt & alio modo. Quia supplicatio purę gratię & benignitati Principis innititur, locũq; habet, quãdo nulla probabilis cau-

extrinseca allegatur: sed vel error facti prætenditur, vel dolus, & circumuentio aduersarij, & restitutio in integrum, innititur iustitiæ, locus ei est, quoties contra sententiam Principis allegetur probabilis quædam causa extrinseca: puta, minor ætas, fauor Ecclesiæ, absentia probabilis vel necessaria, aut simile quid, iuxta Panorm. in c. cùm ex literis, verb. sed pro concordia, ext. de in integ. rest. &, c. auditis, extr. de in integr. stit. Quale autem beneficium sit in integrum restitutio? vide in Mynsing. obseruat. 18. centur. 4. Quæ forma petendi? obseruat. 49. & obser. 51. centur. 1. Quid probari debeat? obser. 50. centur. 4. & obser. 16. cent. 4. Quis effectus? & an impetret executionem sententiæ? vide obser. 48. cent. 1. Idem de hac materia latiùs suprà, lib. 1. tit. 41. De in integ. restit.

Quæ Adiacentia?

Dimissorij libelli, qui apostoli dicuntur, libelli appellatorij, compulsoriales, & inhibitiones, siue literæ inhibitoriales.

Qui dicuntur Apostoli?

Apostoli dicuntur, libelli, per quos causa ab eum, qui appellatus est, dimittitur: & post interpositam appellationem, in qualibet causa dantur sunt, ab eo, à quo appellatum, ad eum, qui de interposita appellatione cogniturus est, l. 1. ff. de libell. dimissor. Forma apostolorum traditur per Iureconsultum in l. vnica, ff. de dimissor. libel. videlicet, appellasse Lucium Titium à sententia Illius, quæ inter illos dicta est: debent enim contine-

nere

nere quis appellet, à quo, ad quem, super quo, & ex qua causa, Spec. in §. de officio, hoc tit.

Quæ sunt Apostolorum species?

Dicuntur apostoli, vel dimissorij, vel testimoniales, vel conuentionales, vel reuerentionales, vel refutatorij. Dimissorij dicuntur, per quos apparet, quòd iudex appellationi detulit, & quòd appellantem à sua iurisdictione exemit, & causam, ad eum, qui appellatus est, remittit. Hi enim sunt dimissoriorum effectus. Testimoniales dicuntur, quia testificantur de appellatione facta coram iudice. Conuentionales sunt, quos pars admittit, siue in iudicio, iudice refutante, siue tacente extra iudicium, c. sæpè, &, c. oblatæ, extr. de appellat. Reuerentionales appellantur, vt quando, propter Superioris reuerentiam, appellationi defertur, vt in l. eos, §. super his, C. de appellat. Refutatorij dicuntur, per quos apparet, quòd Iudex non defert appellationi, scilicet, quando friuola & frustratoria est appellatio, & ad manifestam calumniam, vexandiq; aduersarij causa instituitur, talibus enim à iudice non est deferendum, cùm nec ius deferat, c. cùm appellationibus, eod. tit. lib. 6. De alijs apostolis, vide apud D. Chilianum, in pract. cap. 130. Quos libellos si iudex ad instantiam appellantis (quod intra 30. dies fieri debet, aliàs appellationi renunciasse videtur) non tradiderit, & petitione appellantis non attenta in causa processerit, erit processus ipso iure nullus, vt notant Bonifacius VIII. & Innocentius IIII. in c. ab eo, &, c. vt super, de ap-

pellat.in 6.& Clementina quamuis eod. Supràtamen dixi, iuxta ordinationem Cameræ, par. 2. tit. 30. requisitionem apostolorum non esse necessariam, sed appellantis arbitrio relinqui, num eos petere nec ne velit, Mynsing. cent. 4. obseruat. 36.

Qui dicuntur libelli Appellatorij?

Libelli appellatorij nihil aliud sunt, quàm appellationis instrumentum, manu publici notarij confectum: quo, nomen appellantis, & appellati, & à cuius iudicis sententia appellatur, cum iustificatione appellationis (quod per expressionem causæ iustæ appellandi contingit) iudici appellationis proponitur. Quo quidem instrumento opus est, si appelletur ab interlocutoria, ob hanc rationem. Quia ab interlocutoria, nisi ex iustis causis, non est appellandum: Ergo per illas causas instrumento insertas, appellatio statim coram iudice ad quem, non autem per alios, debet iustificari: quod non requiritur in appellatione à diffinitiua, quæ non nisi ex prioribus actis iustificatur. Sic enim ait Clemens V. in Clem. appellanti, de appellat. Appellanti ab interlocutoria, vel à grauamine iudicis, non licet aliàs fas prosequi, quàm in appellatione sua nominatim duntaxat expressas: Nec processus primi iudicis, ex nouis aut de nouo probandis, iustificari potest, vel etiam impugnari; sed tantùm ex illis, quæ acta fuerunt vel exhibita coram ipso. Sed appellatio à diffinitiua non tantùm per causas instrumento insertas, sed etiam alias, quas in actis diligens iudex inueniet, iustificatur: imò

vt putat Speculator in §. de officio hoc tit. iudex inquirẽdo, an ex causa à diffinitiua appellatum fit, non laborabit, cùm à diffinitiua etiam sine causæ expressione appelletur, & sufficiat dicere: *Appello ab iniqua sententia.*

Quid sunt Compulsoriales, causa efficiens, materia, forma & effectus?

Compulsoriales sunt, literæ quibus iudex ad quem, post receptionem appellationis, mandat iudici à quo, vt acta causæ ad se transmittat. Iudex enim à quo actorum copiam, sub suo sigillo iudiciali, appellanti edere tenetur, l. is apud quem, & Dd. ibi, C. de edendo. Quòd si dare recuset, mandatis pœnalibus per iudicem appellationis, vt edat, compelli potest, d. l. is apud quem, & ordinat. part. 2. tit. 31. §. 1. & par. 3. tit. 31. §. 1. cum seq.

Causa efficiens est, iudex appellationis, qui iudicem inferiorem ad edendum acta, sub comminatione certæ pœnæ, cõpellere potest, vt dixi.

Materia, compulsoriales non solùm pro edendis actis, sed etiã in causis priuatorum, pro edendis rationibus, instrumentis & missiuis inuestituris, & statutis ciuitatum decernuntur: prout notãt Canonistæ in c. 1. extr. de probat. & Dd. in l. 1. §. editiones, ff. de eden.

Forma, vt iudici inferiori, sub pœna pecuniaria, sine clausula iustificatoria, per iudicem appellationis mandetur, vt intra certum terminum acta edat: huiusmodi enim compulsorialia mandata, clausulam iustificatoriam

annexam non habent. Ratio. Quia iudex de iure acta edere tenetur: ergo præceptum pœnale hic locum habere potest, d. l. c. is apud quẽ, C. de e. den. Finis & effectus vt editis actis perfectis & integris, veritas inquiri, & falsitas euitari possit, per tex. in c. quoniam contra, extr. de probat. nam acta, tanquam scripturæ publicæ, plenam fidem absq; testibus faciunt, Maran. par. 6. titu. de act. edit. num. 23. Quòd si iudex aquo adhuc acta edere contumaciter detrectet, non statim ii declaratio pœnæ, neq; arctiores compulsoriales decernuntur, sed in scriptis, vel viua voce, petitio in primis ab appellante, pro arctioribus compulsorialibus, & citatione ad videndum se incidisse in pœnas simplicium compulsorialium, iudicialiter exhiberi, vel fieri debet. Ad hanc petitionem decernuntur arctiores compulsoriales, si de legitima requisitione & insinuatione simplicium compulsorialium fides facta sit, quibus arctioribus citatio contra iudicem aquo, ad videndum, se incidisse in pœnas simplicium, vel allegandũ causas iustas, cur hoc fieri non debeat, inseritur (hæc enim citatio, ad videndum, quæ ad impositionem mulctæ requiritur, euẽtualis pœnæ declarationem præcedere debet) & præterea iterum mandatur ei, vt facta legitima requisitione, acta pro debita mercede edat, ad euitandam comminatam pœnam. Et potest etiamnum facta editione in termino pœna compulsorialibus inserta euitari: & hæc in Camera obseruari tradit And. Geyl, obser. 13. & 134. lib. 1. pract. obseruat.

Quid

Quid sunt inhibitiones? Quæ causa efficiens materia & forma?

Inhibitiones sunt, literæ, quibus iudex appellationis interdicit iudici aquo, ne, pendente appellatione, quid in causa attentet, innouet, vel vlteriùs procedat.

Causa efficiens est, iudex appellationis: qui præcepto inhibet, ne quid innouetur.

Materia sunt, varij generis attentata, à quibus iudex aquo, pendente appellatione, non desistit.

Forma, vt interposita appellatione à diffinitiua, vel interlocutoria vim diffinitiuæ habente, ad petitionem appellantis, per iudicem appellationis vnà cum citatione decernatur inhibitio: cuius literis ad iudicem aquo transmissis in causa vlteriùs nihil attentet. Quando enim appellatur à sententia diffinitiua, vel diffinitiuæ vim habente, tantùm decernitur inhibitio, per tex. in c. non solùm, c. Romana, §. si verò, de appellat. in 6. Ratio est. Quia appellatio à diffinitiua, vel diffinitiuæ vim habente, statim deuoluit causam ad iudicem appellationis, & reducit ad eum statũ, in quo erat causa principalis post litis contestationem, per tex. in l. ita demum, C. de proc. Bart. & Bal. ibid. Marant. distinct. 6. num. 16. Hæc tamen non ita simpliciter accipienda sunt: sed cum distinctione, quam tradit Innocentius IIII. in Concilio Lugdunensi. Qui ita distinguendo decreuit: si appellatur post sententiam diffinitiuã: aut proponitur coram iudice appellationis, non esse appellatum, aut appellationem esse nullam,

vel alio modo, ad ipsum appellationem defect
iurisdictionis non pertinere: & his casibus no
debet priori iudici aliquid inhibere, nisi prius
constet, appellatum esse, c. Romana, §. si verò, ex
tr. eod. aut nisi priùs cognoscat, an sua sit iuris
dictio, c. super literis, extr. de rescriptis. Po
quam igitur, vocatis partibus, cognouerit appel
latum, vel suam iurisdictionem esse, statim p
terit inhibere: sicuti etiam si horum nihil inhi
bium reuocetur, sed de appellatione interpo
ta & competenti iurisdictione constet. c. pasto
ralis, §. præterea, extr. de off. deleg. &, c. non so
lùm, eod. Quod quidem procedit, si causa qua
litas appellationem admittat, non aute, si
prohibeatur: putà, à sententia super notorio cri
mine, vel de quo quis in iure conuictus & con
fessus est, & similibus casibus à iure prohibet
his enim iudex appellationis decernendi inhi
bitionis non habet facultatem, priusquam co
gnoscere cœperit, an appellatio sit recipienda
vel non? &, an sit casus, in quo appellari potu
rit? d. c. Romana, §. si autem. de appellat. in fi. In
his patet, appellatione interposita ab interlo
toria simplici appellabili tamen, iudicem ap
lationis, vnà cum citatione inhibitionem de
nere non debere. Ratio est. Quia ei de veri
grauaminis primùm constare oportet, vtru
causa sit deuoluta, nec ne? quam diu enim co
noscit, an appellatio sit recipienda? an causa
deuoluta? inhibendi non habet potestatem. Nec
potest inhibere is extraiudiciali appellatione
Quia cùm sit tantùm prouocatio ad causam, ha
beatque vim conuentionis, non suspendit præ
terita

terita: sed tantùm futura respicit, ne indebitè molestetur, Panor. in c. dilecti, num. 4. extr. de maior. & obedient. Apud quem vide, quomodò attentata post appellationem extraiudicialem reuocentur: eius enim opinionem sequitur Camera. Proinde non decernitur appellatio, quando tertius appellat, pro suo interesse: quia titulus, ff. nihil innouari appellat. pendente, non procedit in tertio aliquid innouante, quia res inter alios acta, Felin. in c. cùm super, num. 11. extr. de re iudic. & Panorm. in c. in literis, extr. de restitut. spol. Nec debet iudex inhibere in interdicto retinendæ possessionis: quia iudex inhibendo causæ principali præiudicaret, c. 2. extr. de elect. Quare si appellatus, pendente appellatione possessionis commodo fruatur, inhibitio ad instantiam appellantis concedi non debet: quia nemo prohibetur vti sua possessione, etiam appellatione pendente, glos. in d. c. non solùm, de appel. in 6. Rot. decis. 44. num. 1. & 2. Denique in causa nullitatis, quando, ratione nullitatis, principaliter appellatum est, cum citatione inhibitio decerni non debet. Ratio. Qui postquam sententia in rē iudicatam transiuit, eius executio nullitatis processu remorari non debet. Præterea, pro iudice præsumitur tantisper, donec de nullitate sententiæ doceatur, c. præsentiū, 67. quæst. 1. Formam inhibitionis vide apud Specu. tit. de citat. §. dicto. verb. porrò.

Quæ Pugnantia Appellationis?

Sunt modi, quibus appellationum formalia possunt impugnari; Vt si appellet, qui appellare

non

non potest, vel contra eum, contra quem nõ con
ceditur appellatio: vel ab eo, à quo, propter sub
mitatem dignitatis, non potest appellari: vel cau
sæ qualitas appellationem non admittit: & alij
modi, quibus non est necesse appellare, quos vi
de in c. si qui appellat, §. is aũt, 2. q. 6. Velutiàsen
tentia lata citra ordinẽ iudiciorũ, vel lata contra
res priùs iudicatas, à quibus prouocatum nõ est.
Item si lata sit contra ius scriptũ, secus si cõtra in
litigatoris: itẽ si lata sit ab vno iudice pluribus iu
dicibus datis. Item si iudex contra statutũ, legis
modum certa ratione & fine certo non obser
to mulctam irrogauerit: si sententia sit lata in
dice mercede corrupto: item, si eligatur inha
bilis ad honorem, propter infirmitatem aut
Pugnant etiam cum appellatione illi modi, qui
bus ipsa prohibetur. quod variè contingit. Pri
mò, non appellat verus contumax, l. contuma
cis, ff. de re iud. 2. Non appellatur ab executio
ne, nisi modus excedatur in exequendo, l. ab exe
cutore, C. quorum appellat. non recip. 3. Non
appellatur à sententia lata super reductione ad
arbitrium boni viri: iuxta Innocentium IIIm
c. penul. ext. de rescrip. 4. Non appellatur, quo
ties Fiscalis calculi satisfactio postulatur, aut
butariæ functionis solenne munus exposcitur,
aut publici vel etiam priuati, dummodò euiden
tis atq; conuicti redhibitio debiti flagitetur, l.
abstinendum, C. quorum appel. non recip. 5. Nõ
appellatur à Principe, c. cuncta, 11. q. 3. 6. Non
appellat, qui se à iudice non prouocaturum pro
misit. 7. Si Imperator ita iudicem dederit, vt nõ
li ceat ab eo appellare, d. l. 1. ff. à quibus appel. non
licet.

licet. 8. Non appellatur à præfecto prætorio, l. 1. C. de off. præf. præto. 9. Non appellatur à sententia arbitri cõpromissarij, l. 1. C. de arb. 10. Nõ appellatur à sentẽtia momentaneæ possessionis, c. ei qui, 2. q. 6. 11. Non appellat is, quem constiterit publicum esse debitorem, l. fin. C. eodem. 12. Non auditur appellans, ne voluntas defuncti testamento scripta referetur, vel ne scripti hęredes in possessionem mittantur, l. quisquis, C. quorum appel. non recip. 13. Non permittitur appellare, si res dilationem non recipiat: veluti, ne testamentum aperiatur, ne frumentum in vsum militum, vel in annonæ subsidia contrahatur: neúe scriptus hæres in possessionem inducatur. Item si ex perpetuo edicto aliquid decernatur, id quò minùs fiat, non permittur appellare. Item quò minùs pignus vendere liceat, appellari non potest, l. fin. ff. de appellat. recipiend. 14. Nõ appellat, qui terminum recepit ad soluendum, vel non sententiæ acquieuit, c. gratum, extr. de off. deleg. 15. Non appellatur ab eo, quod à maiore & saniore parte Capituli fuerit constitutũ: nisi à paucioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit, c. 1. extr. de his quæ à ma. parte, &c. 15. Non appellat Officialis condemnatus à proprio iudice, ratione malè gesti officij, l. nulli, C. eod. 16. Non appellatur à correctione Superioris, c. licet, extr. de off. ord. 17. Non appellat tutor datus, sed intra tempora præstituta, excusationem allegabit, & si fuerit repulsa, tunc demũ appellabit, sed vocat⁹ ad aliquod munus, vel honorem, mox appellare potest, l. 1. §. si quis tutor, ff. quando appel. 18. Non appellat condemnatus

tus de falsa moneta, l. 1. C. de fal. mon. Neque appellatur in alijs delictis notorijs: quia appellatio non debet esse iniquitatis præsidium. Ideò homicida, veneficus, adulter, maleficus, & qui manifestam violentiam commisit, conuictus, & voce propria confessus, non appellant, l. 1. C. quorum appel. non recip. 19. Non appellatur a sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti. Quod locum habet, quo ad hoc, vt suspendatur sententia: nam per appellationem non suspenditur, cùm secum trahat executionem, &, non obstante appellatione, quis excommunicatus denuntiari potest, c. pastoralis, extr. de appellat. &, c. is cui, de sentẽtijs excõ. in 6. Appellari tamen potest ad hoc, vt negotium transferatur ad Superiorem, c. peruenit, extr. de appellat. &, c. per tuas, extr. de sententijs excom. Et tũc Superior absoluere potest excommunicatũ appellantẽ, & nõ tenetur reũ remittere ad excõmunicatorem pro absolutione, nisi velit, c. per tuas, extr. de sententijs excom.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Non sufficit appellanti, docere, quòd exceptionem legitimam & veram opposuit & appellauit, nisi doceat propter exceptionem non admissam, appellasse, c. dilecto, extr. eod.

Si iudex confessionem aduocati eadem die reuocati prolatis contestatione velit habere, vel processum à subdelegato subdelegati factum ratificet, licitè appellatur, c. cùm causam, extr. eod.

Collatio beneficij facta post appellationem, ex probabili & verisimili causa, interposita, est ipso iure nulla, c. 1. extr. eod.

Si ante sententiam, vel postea, fuerit appellatum huiusmodi appellationibus annus indulgetur, aut ex necessaria & euidenti causa biennium: nisi fortè iudex breuius tempus, secundùm locorum distantiam & personarum & negotij qualitatē fuerit moderatus: intra quod, si is, qui appellauit, causam appellationis non fuerit prosecutus, tenebit sententia lata. Si post sententiam appellauerit, & à causa sua cecidisse videtur: nec amplius super eodem negotio audietur appellans. Si verò à grauamine, & ante litis ingressum fuerit appellatum, huiusmodi audietur appellans: quoniam sacri Canones, etiam extra iudicium passim appellare permittunt. Nec solent huiusmodi dici appellationes, sed prouocationes ad causam. Si autem ante sententiam quis appellauerit, cogitur illius stare iudicio, ad quem noscitur appellasse, c. cùm sit Romana, extr. eo. &, c. personas, extr. eod.

Qui de crimine impetitur, appellare potest, nisi sit notorium, d. c. cùm sit Romana, §. praterea, extr. eod.

Appellatio generalis, respectu causæ, non valet, c. inter cætera, extr. eod.

Etiam, non obstante appellatione, ex falsa causa interposita, potest iudex ad vlteriora procedere, c. super eo, § si autem, extr. eod.

Supersedetur, propter articulum, in quo appellatum est etiam super principali causa, si sine illo articulo expediri non potest, c. super eo, extr. eod.

Coram iudice, à quo appellari in vna causa possum:

in alia

in alia conueniri, nisi eum recusem, vt suspectum, c. a hæc, extr. eod. &, c. proposuit, extr. eod.

Lapsus biennij non præiudicat appellanti, quò minùs ex causa legitima audiatur, saltem per beneficium restitutionis in integrum, c. ex ratione, extr. eod.

Generalis & vaga appellatio respectu cuiuslibet grauaminis non valet: sed si ad certā causam restricta fuerit, c. consuluit, extr. eod.

Excommunicatus, pendente cognitione appellationis, absolui potest ad cautelam: & si apparet, eum legitimè appellasse, non punitur, ob celebrationem diuinorum, c. ad præsentiam, extr. eod.

Iudex, qui recusatur, statuit certum tempus alteri, ad finiendam causam, quo elapso, si finita non fuerit, in principali procedit, c. legitima, eod. in 6.

Si iudex requisitus non tradit apostolos, & postea procedit in causa, non valet processus: nisi renunciationem fuerit appellationi, c. vt super, eod. in 6.

Si negetur, per appellationem negotium deuolutum, non inhibebit iudex superior, iudicem principalis causæ inferiorem procedere: nisi priùs de deuolutione constiterit: item est, si dicatur ex iniusta causa esse appellatum. Non enim inhibet, nisi priùs recepta appellatione, c. humana, §. si verò, & §. quòd si, eod. in 6.

Iudex appellationis iniquæ appellantem ante sententiam remittere debet ad iudicem principalem, & in expensis condēnare; & hoc si principalis iudex non detulerat appellationi: sed si detulit, nō fiet remissio de necessitate, cùm totius causæ decisio in Superioris potestatem, per delationem inferioris sit trāsfusa, c. cùm appellationibus, eod. tit. in 6.

Per

Per appellationem interpositam à diffinitiua, reuocari potest interlocutoria, principali negotio praiudicans, c. licet, eod. tit. in 6.

Qui appellat extra iudicium, intra decem dies (ex quo sciuit grauamẽ) appellare debet, postea per remedium iuris communis audietur, sed non per appellationis remedium, c. concertationi, eod. tit. in 6.

Ante diffinitiuã sententiam, appellanti non licet prosequi causas in appellatione nominatim non expressas: Nec processus primi iudicis iustificari, vel impugnari potest, nisi ex actis coram eo, Clem. appellanti, eod. tit.

Tempus, ad prosequendam appellationẽ ab homine, vel à iure, præfixum, non currit appellanti, compromisso durante, vel de partium expresso consensu, nisi periculo imminente ex mora iudex aliud decernat, Clem. quandiu, eod. tit.

Appellans, prosequi & finire tenetur appellationem extraiudicialem, intra annum, à die interpositæ appellationis, vel illati grauaminis: quo non facto (impedimento iusto cessante) appellatio est deserta, Clem. sicut, eo tit.

Si appellans intra triginta dies, instanter non petit apostolos, appellationi renũtiat, c. ab eo, eod. in 6.

Si iudex modo debito requisitus apostolos nõ tradit, sed postea procedit: non valet eius processus, d. c. ab eo, in 6.

Sufficit apostolos peti vno contextu sæpiùs & instanter ad quos recipiendos, si iudex certum terminum statuat appellans illos non petens in termino, appellationi renuntiat: Idem cùm iudex statuit terminum iuris incertum, intra quem appellans illos debitè non petiuit, vel oblatos recipere remuit, Clem. quamuis de appellat.

Innouata per iudicem, post definitiuam sentẽtiam à qua appellatum extitit, reuocantur statim per iudicem appellationis: etiamsi ante appellationẽ fuerint innouata. Attentata verò post appellationem, ante definitiuam, non reuocantur, nisi primò de veritate constiterit: nisi post inhibitionem debito modo factam attentata fuissent, c non solùm, eo. tit. in 6.

Valet appellatio coram maiore parte plurium iudicũ. Sed appellato est appellatio, delatio, & termini prefixio imminanda, Clem 1. eod. tit.

Appellans ante sententiã tenetur exprimere causam rationabilem coram ipso iudice aquo, nec in contrarium admittitur exceptio, c. vt debitus honor, extr. eod.

Si iudex, à quo est appellatum à grauamine, reuocat, potest in principali causa procedere, c. cùm contingat, extr. eod.

Altera parte contumaciter absente, potest iudex appellationis, etiam principale negotium definire, post litis contestationem, fuerit appellatum, c. per tuas, extr. eod.

Vbi ex dilatione imminet periculum, etiam, nondum parte prosequente, potest iudex adquem supplere, partes compellendo ad prosecutionem, c oblata, extr. eo.

Protestatio contraria actui nullius est momẽti, c. licitudinem, extr. eod.

Contraria allegans, non est audiendus, d. c. solitudinem, extr. eod.

Per appellationem legitimè interpositam principale cum accessorijs ad iudicem appellationis defertur, c. dilectis, extr. eod.

Iudex

Iudex aquo, non obstante appellatione, cognoscit de causa, si appellans non prosequitur: & iudex, vt suspectus recusatus potest alteri causam cõmittere, c. ad hæc, extr. eod.

Iudex aquo potest præfigere terminum appellanti, ad prosequendam appellationem, quo lapso, readsumit iudex iurisdictionem, c. ad aures, extr. eod.

Contra constitutiones regulares, appellatio religiosum non defendit, c. quia nos, ex. eod.

A iudice iurisdictionem exequente non appellatur, c. consuluit, extr. eod.

Sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti lata sub conditione, suspenditur, si ante conditionis euentum fuerit appellatum, c. præterea, extr. eod.

Causa non est ad iudicem aquo remittenda, appellatione adhuc non iustificata, nisi de partium cõsensu, c. accepta, extr. eod.

Delegatus etiam datus cum clausula (appellatione remota,) recusari potest, si est cõsanguineus impetrãtis, vel si fuit aduocatus eius in illa causa, c postremò, extr. eod.

Causa suspicionis proponẽda est corã iudice, qui recusatur, & probãda est corã arbitris, c. secũdo, §. 3. ext eo.

Si appellatio recipitur à iudice, vel approbatur à parte, terminus ad eam prosequendã præfixus obtinet vicem peremptorij, vt in absentem procedatur, ac si peremptoriè fuisset citatus: nec talis terminus præueniri poterit ab aliqua partium, c. sæpè contingit, extr. eo.

Protestatione conseruamus ius nostrum, c. fin. extr. eod.

Iustus metus excusat, adeò, quòd nõ appellãs habetur

pro appellante, si fuerit protestatio, & appellationis causas duxerit exprimendas, c. si iustus, extr. eod.

Vna sententia pluribus condemnatis, si vnus solus ad appellationis beneficium conuolauerit, illius victoria iure communi cæteris suffragatur, si communi iure iuuetur, idemq; negocium, & eadem causa defensionis existat, c. vna sententia, extr. eod.

Quoties clausula (appellatione remota) in medio literarum ponitur: si sunt plura negotia se minimè contingentia, tantùm præmissa complectitur: nisi fortè in fine literarū prædicta clausula iteretur, c. inquisitioni, extr.

Ante inchoatam persecutionem appellationis, appellans potest si vult inuito appellato petere, vt remittatur ad iudicem aquo, sed condemnabitur in expensis facta per partē aduersam, c. interposita, §. ille deniq;, extr. eo.

Articulus appellationis interpositæ à grauamine sic titur per iudicem adquem, parte absente per contumaciam, etiam lite non contestata in appellatione, vel principali causa, d. c. interposita, §. sanè, extr eod.

Ab eadem sententia, ab eodem iudice, tertiò appellari non potest, c. sua nobis, extr. eod.

Appellatio, omisso medio iudice, interposita, causa non deuoluit, exceptione opposita, c. dilecti, extr. eod.

Si iudex de iure dubitans vult consulere Superiorem, debet consultationis copiam partibus edere, aliàs eius vobis consultationis fides non adhibetur, c. intimasti, extr. eod.

Per clausulam: (appellatione remota) inhibetur omnis appellatio, quæ à iure non indulgetur expressè, c. pastoralis, extr. eod.

DI

DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

Titulus XXIX.

Continuatio.

SIcuti per appellationem suspenditur iurisdictio, ita vt iudex appellatus vlteriùs procedere non possit, in tantùm, vt innouata à Superiore restituãtur: pari ratione, per peregrinationem & accessionẽ Sedis Apostolicæ, ius suũ cuilibet vsq; ad reditum conseruatur: Et, si quid interea ablatum sit, restituitur.

Quis dicitur Peregrinans?

Peregrinans hîc non dicitur quiuis, qui peregrè proficiscitur: sed is, qui peregrinationis causa ad Sedem Apostolicam se cõfert, c. sexta argu ta, 2. quæst.

Quæ causa Efficiens?

Bonus zelus peregrinantis, arg. c. si quis Romipetas, 24. quæst. 3. &, c. inuocamus, extr. de treuga & pace.

Quæ Forma?

Vt clericus, adhibito consensu & auctoritate Superioris, causa pietatis Sedem Apostolicã petat. Clerico enim & Episcopo peregrinari absq; Superioris auctoritate non licet, c. non oportet, distin. 5. de consecrat. &, c. magnæ extr. de vot. & vot. red. Nisi non, causa peregrinationis, sed appellationis prosequendę, vel vitãdæ oppressionis, & imminentis periculi proficiscantur, c. omnis oppressus, 2. quæst. 6.

Quis Effectus?

Primò est securitas. Qua peregrinantes subiiciuntur Apostolicæ protectioni, cum omnibus rebus suis, vt defendãtur, & iura vel bona, quorum aliàs, propter absentiam, iacturam faceret, salua illæsaq; ipsis conseruentur, c. vnico, extr. eod. Secundò est condictio ex hac decretali, quæ competit ad repetitionem & restitutionem illius, quod durante peregrinatione absq; authoritate Pontificis ablatum fuit, Hostiens. hoc tit. §. ex quo.

DE CONFIRMATIONE vtili vel inutili.

Titulus XXX.

Continuatio.

COntingit, sententiam, quæ per infirmam appellationem suspensa est, per iudicem superiorem, vel per inferiorem, fatalibus iuxis quandoq; confirmari, auth. ei qui appellat, C. de temp. & reparat. appel.

Quid est Confirmatio?

Confirmatio est, actus legitimi vel canonicè celebrati corroboratio: per eum, qui ius confirmandi habet, ex certa scientia, & cum causæ cognitione facta, c. studuisti, extr. de off. deleg. & q. bonæ memoriæ, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens confirmationis dicitur, lex & homo. Vnde duę sunt confirmationis species, le-

gis

gis, scilicet, & hominis. Cõfirmatio legis dicitur, cùm lex ipsa ex causa sequenti firmat ius constitutum: vt putà, confirmatur sententia ex decursu fatalium, ob neglectam vel desertam appellationem, transitq; in rem iudicatam, & rata habetur, d. auth. ei, qui appellat, c. cùm sit Romana, extr. de appellat. & Clem. sicut appellationem, tit. de appel. Confirmatio hominis suprà definita est: & fieri potest tam ab ordinario, quàm delegato, superiore, & inferiore: vt est Pontifex Archiepiscopus, Episcopus, & alij, ordinariam vel mandatam iurisdictionem habentes, c. de confirmationibus, &, c. examinata, extr. eod. c. 2. extr. de rescrip. Quod ita intellige: vt Inferior suam, Superior autem inferioris sententiam cõfirmet, non aũt ecõtrà. Nam sicuti nec par in parem, ita multò minùs Inferior in Superiorem habet imperiũ, c. innotuit, extr. de elect. c. cùm inferior, extr. de maio. & obed. &, c. inferior, dist. 21. positq; quiuis Prælatus, pro ratione dignitatis, qua alijs præminet cõfirmare act⁹ Canonicos, c. nihil est, extr. de elect. c. ad nostram, &, c. fin. extr. eod.

Quæ Materia?

Actus Canonici, Actus legitimi: & ea, quæ ad iurisdictionem pertinent. Confirmantur enim actus Canonici: vt sunt, electio, institutio, præsentatio, collatio, &c. c. ex insinuatione, extr. de procurat. &, c. postquam, extr. de elect. Cõfirmãtur & actus legitimi, putà, adoptio, acceptilatio, tutoris datio, & alia: de quibus in l. actus legitimi, ff. de diuers. reg. iur. Actus autem de iure gentium introducti, qui voluntate partium nituntur, etiam lite non contestata: vt sunt emptio,

venditio,locatio,conductio,&c.non confirmã tur,exceptis duobus casibus:primò, si partes al. sensum confirmationi accõmodent: secundò, si Põtifex de plenitudine potestatis conuentionẽ iuris gentium alienam ex certa sciẽtia cõfirmet, arg.c.quia diuersitatem,extr.de concess. præben. & Innocentius in c.de cõfirmationibus,extr.eo. Item actus iudiciales,& totus processus in iudicio habitus confirmari potest,nõ tantùm à iudice appellationis,verùm etiam ab inferiore:nam deserta appellatione,ad petitionẽ partis victricis iudex aquo confirmat sententiã à se pronuntiatam,d.auth.ei qui appellat, C. de temp. & reparat.appellat.Cõfirmantur deniq; priuilegia inter dilectos,extr.de fide instru. beneficia,ad nostrã,extr.eod.possessiones,c.dudum, extr.de decimis,arbitria,cõpositiones,& transactiones, c.fi.&,c.examinata,extr.eo.c.fi.extr.de transact.

Quæ Forma?

Vt ad petitionem partis,is,qui ius confirmãdi habet,ex certa scientia, & cũ cognitione causæ, potissimùm(si per confirmationem alij præiudicium paratur)id quod iure subsistit, confirmat, aliàs secus.In his enim,quorum confirmatio præiudicare possit,iudex non confirmat,nisi tentibus partibus,c.1.extr,de transact.&,c.venerabilis,extr.eod.Ille autem, qui petit ius illud, cuius confirmationem petit, cõstitutũ esse,non autem qualitatem eius probare obstringitur,vt putà:petens confirmationem sententiæ, sententiam à competente iudice & ordine iuris seruato latam,non autem iustam esse, probare tenetur,Innocent.in c.si quis,extr.eod.

Qui

Quis Effectus Confirmationis?

Effectus confirmationū pro diuersitate actuum confirmatorum, & causæ cognitę, varij sunt: primò enim, si confirmatio ex certa scientia, & cum causæ cognitione fiat per Pontificem, ius tribuit: ita vt de re vel beneficio sic confirmato, nemo extra Pontificē cognoscere possit, nisi specialiter alicui commiserit, c. quoniã Abbas, extr. de off. deleg. c. veniens, extr. de test. c. Raynutius, ex. de testa. sic per confirmationem electionis datur potestas administrandi, c. transmissam, extr. de elect. Quandoq; confirmatio ius non tribuit, sed declarat & conseruat ius constitutum, c. præceptum, dist. 12. & c. quia intentionis, extr. de priuileg. ideò talis confirmatio petitionem alterius vel iudicis cognitionem non remoratur, c. quia diuersitatem, extr. de concess. præbend. c. conquestus, 11. q. 3. quod verum quidem est, si confirmatio in forma communi conceditur.

Quæ Cognata?

Dispositio legis, & partium conuentio, stipulatio, pactum, quibus actuum confirmatio inducitur.

Quæ Adiacentia?

Existentia rei confirmandæ, æquitas, causæ cognitio.

Quæ Pugnantia?

Confirmatio inutilis, de qua alterum huius tit. membrum. dicitur autem inutilis, si surreptitia, id est, per falsi suggestionem, & veri suppressionem extorta, si contra formam iuris, si contra

ius Diœcesani, si de re litigiosa, si de sentétia
interpositam appellationem, suspensa, &c.
2.c.3.c.ad nostram, c.examinata, &, c.fin.ext

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS.

Liber Tertius circa declarationem obie
ris Pontificij; quod est res ecclesiastica
tissimùm versatur: licet formalia & adiun
Ordinis clericalis interserantur.

DE VITA ET HONESTA
Clericorum.
Titulus I.

Quid est Honestas vitæ?

HOnestas vitæ est, agendi dexterita
minis animus ita informatur, vt
do vitia, ea, quæ cum virtutibus
unt, amplectatur.

Quotuplex Honestas vitæ?

Duplex, exterior & interior. Honesta
rior exterioribus actibus cum virtute co
entibus ordinatur. Interior verò cordis
ritate, patientia, humilitate, alijsq; virtu
Theologicis, & intellectualibus, continetur.

Quæ causa Efficiens?

Potentia appetitiua, & voluntas homi

nimum, actionesq; suas virtuti, religioni, omniq; ciuilitati conformare volentis.

Quæ causa Procatarctica?

Præceptum Diuinum, quod, à vitio abstinendum, & actiones secundum honestatis rationẽ dirigendas, iubet.

Quæ causa Impulsiua?

Virtutis amor, virtutumq; igniculi, euniæ & semina animis hominum insita: quæ, quid faciẽdum, dictant, & impellunt.

Quod Obiectum?

Actio tam corporis, quàm animi: quæ vel virtutibus, vel politicis institutis, bonisq; moribus congruit.

Quæ Forma?

Est vitæ benè instituendæ, morumq; rectè informandorum ratio. Quæ licet, quo ad constituendum & conseruandum reipublicæ statum, iustamq; Politiam omnibus cõmunis tradatur; vtquiuis, omni genere virtutum se exerceat, formetq; in hac vita ita politicos mores, ne publicã, vel ne quidem priuati alicuius reprehensionem incurrant: Sunt tamen de negotijs, officijs, moribus, vita, habitu, & vestitu, clericorum, Canonibus certæ regulæ traditæ.

Quæ sunt Regulæ concernentes negocia & officia Clericorum?

Primò. Clerici, officia vel cõmercia secularia, non exerceant, præsertim inhonesta, mimis iocu-

ioculatoribus & histrionibus non intendant. clerici, extr. eod.

2. Clericus nec dictare vel proferre sententiam sanguinis debet, nec quicquã aliud exercere, quo ꝙ ad vindictam sanguinis tendatur, c. sententiam, ext. ne cler. vel monach. i. Quòd si monitus non desistat, ab officio & beneficio deponitur, c. clericis, extr. ne cler. vel monachi, &c.

3. Nullus clericorum Cheirurgicam artẽ, quæ inustionem vel incisionem inducit, exerceat, c. sententiam, extr. ne cler. vel monachi, &c.

4. Clerici in sacris constituti per subtractionem beneficiorum compellendi sunt, vt desistãt à tabellionatus exercitio, c. sicut, extr. ne cler. ci vel monachi, &c.

5. Sub interminatiõe anathematis prohibẽtur sunt clerici vel monachi, lucri causa negotiãtes, c. secundum, extr. ne cler. vel monachi, &c.

6. Clerici non debent esse ministri, vel procuratores laicorum, quòd si contrà fecerint, & deprehendantur in fraude, non subuenitur eis ab Ecclesia, c. sacerdotibus, &, c. 1. ext. ne cler. vel monachi, Clem. 1. eod.

7. Episcopo, presbytero, aut diacono, canes aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere, non licet. Quòd si quis talium personarum in hac voluptate sæpiùs detentus fuerit: si Episcopus, tribus mensibus à communione: si presbyter, duobus: si diaconus, ab omni officio suspendatur, c. 1. extra de clerico venatore. Omnibus enim seruis dei venationes, & syluaticæ vagationes cum canibus, & accipitres aut falcones habere interdicta sunt, c. omnibus, extr. de cler. venat.

8. Ne quis in sacris Ordinibus constitutus in Gymnasijs generalib⁹, vel aliàs publicè audiẽdæ philosophię, aut poesis, vltra quinquenniũ, post Grammaticam & Dialecticam, sine aliquo studio Theologiæ, aut iuris Pontificij, incumbat. Verùm, exacto quinquennio, si illis studijs operam impendere voluerit, liberum ei sit, dum tamen simul aut seorsim Theologiæ, aut Canonibus studeat. Ratio Regulæ est. Ne clerici humanarum literarum illecebris capti, Theologię studia omittant, c. fin. extr. ne clerici vel monachi, &c.

9. Clerici exercentes officia vel negotia clericorum professioni non conuenientia, si tertiò moniti non abstinuerint, priuilegijs omnibus priuantur, quę clericorum bonis à iure concessa sunt: & quandoque etiam seueriùs puniuntur, si eorũ cõtumacia & mores hoc mereri videatur, c. fin. extr. eod, & Clem. 1. eodem.

Quæ Regulæ traduntur de vita & moribus benè formandis Clericorum?

Clerici extra matrimonium castitatem seruent: tamen, si in ordinatione sua castitatis votum quis obtulerit, & postea matrimonium cõtraxerit, tanta est vis in sacramento coniugij, quòd nec ex violatiõe voti ipsũ dissolui possit, c. diaconus, §. hac auctoritate, 27. dist. licet extra votum clericus, iuxta morem patriæ suæ, vt sũt Orientales, contrahere possit, c. vt clericorum, extr. eod. Quòd si autem clericus incontinentiæ vitio, prostituto pudore, laborare deprehendatur, se-

tur, secundùm Canonicas sanctiões, & is, q[ui] trimonio vti potest, grauiùs puniendus e[st] vt clericorum, extr. eod.

Secunda. Clerici omnem vitæ temperat[em] dum in cibo potuq; seruent, nec sint ebrietat[i] diti, dist. 35. per tot. Est enim ebrietas fomes nium vitiorum, Host. §. qualiter, hoc tit. Q[ui] clericus ebri abstinere debet per 30. dies à d[ie] niõe hominũ, vel subijcitur corporali pœ[na] te omnia, dist. 35. Et si cõmonitus hanc sanct[am] nem non præstet, suspenditur ab officio & b[e]ficio, c. sanè, 15. q. 1. Modus autem in cibo s[er] tur, si pro sustentatione corporis necessar[ia] bus, etsi delicatior sit, ingeratur. Non enim vsus, sed appetitus noxius, & gulosus rep[re] tur, c. quisquis, §. nam in huiusmodi, dist.

Tertia. Clericus alium ad bibendũ incit[are] ipse ab alio ad bibendum incitari, nõ de[bet] si commonitus non abstinuerit, ab offi[cio] neficio suspenditur: sub huius enim ce[n] na Innocentius III. abusum, quo à quibu[s] tibus ad potus æquales suo modo se obl[i] tatores, & ille iudicio talium plùs laudat[ur] plures inebriat, & calices fœcundiores e[s] è medio sustulit, c. à crapula, extr. eod.

Quarta. Clerici bibendi vel edendi caus[a] nas ne ingrediantur, nisi peregrinationis [ne] compulsi, c. clerici, ext. eod. c. clerici, dist.

Quinta. Clerici ad aleas & taxillos nõ [lu] nec huiusmodi ludis intersint, d. c. clerici.

Sexta. Clerici non sint cõtentiõibus, litib[us] turbis excitandis dediti, non auari, vsurar[ii] aljs criminibus corrupti, sed omnibus vir[tu]

præditi, dist. 45. dist. 46. dist. 47. &, dist. 9. per totum.

Quæ Regulæ de habitu corporis & vestitu?

Prima Regula. Episcopus vilem suppellectilẽ & mensam ac victum pauperem habeat: & dignitatis suę authoritatem fidei & vitæ meritis quærat, c. Episcopus, dist. 41.

Secunda. Clericus professionem suam & habitu & incessu probet, & ideò nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat: in incessu autem debet esse ornatus, vt grauitate itineris mentis maturitatem ostendat, c. clericus, dist. 41.

Tertia. Clerici qui comam nutriunt & barbã, etiam inuiti à suis Archidiaconis tondeantur, aliàs comam relaxare sub pæna anathematis prohibentur, c. clericis, &, c. si quis, extr. eod.

Quarta. Clerici pallijs diffibulatis in publico non vtantur: sed vel in collum, vel ante pectus hinc inde connexis, nec alijs indumentis nimia breuitate, vel longitudine notandis, c. clerici, extr. eod.

Quinta. Cappas manicatas ad Diuinum officium intra Ecclesiam non gerant: sed nec alibi qui sunt in sacerdotio & personatibus constituti, nisi iusta causa timoris exegerit, habitum transformari, d. c. clerici.

Sexta. Pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis aut sotularibus, cõsutitijs, frenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem habentibus non vtantur, d. c. cleri. 6. §. pannis, extr. eod.

Septima.

Septima, clericus vestibus corporisq; ornatibus abutens, si beneficium habet, eius fructib semestri spacio priuatur, si verò non habet, mensibus ad Ecclesiasticum beneficium aspirare vetatur: si autem sit in dignitate constitutus, aut personatum, vel beneficium curatum habeat, citra iustã causam interdictis vestibus vsus fuerit, anni vnius fructuũ iactura sui beneficij mulctatur, Clem. fin. eod. tit.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis pœna à peccato cohibere debet, c. vt clericorum, extr. eodem.

Humanum est, in corde tentationem pati, sed dæmoniacum est, tentationis certamine superari, c. hoc etenim, dist. 49.

Radix omniũ malorũ est cupiditas, d. c. hoc etenim.

Auari est, hominum bona inuadere, quorum necessitatibus subuenire potest, c. sicut, dist. 47.

Clericum scurrilem & verbis turpibus iocularem ab officio retrahendum esse, dubium non est, c. clerum, dist. 46.

Nihil est impudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, c. sequitur, dist.

Cui minus prohibetur, multò magis id quod maius est, interdicitur, c. nulli, dist. 44.

Sapè se vitia ingerunt, & se virtutes esse mentiuntur: vt tenacia, parsimonia: effusio, largitas: credulitas,

Zzz

zelus iustitiæ, remissio & apparens pietas, c. sæpè se vitia dist. 41.

Meritis fidei & vitæ, non diuitijs Episcopalis authoritas quæritur, c. Episcopus, dist. 41.

Quod locis & temporibus & personis conueniat, attendendum est, ne temerè flagitia reprehendantur, c. quisquis, dist. 41.

Deliciæ quælibet, si absque desiderio percipiantur, nō officiunt. Non enim vsus rerum, sed vtentis libido in culpa est, c. deliciæ, &, c. quisquis, dist. 41.

Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum, c. non est, dist. 40.

Non generis dignitas, sed morum nobilitas, nec vrbium claritas, sed fidei puritas aliquem commēdat, c. nos qui, dist. 40.

Studijs literarum & liberalium artium maximè diuina manifestantur & declarantur mandata, c. de quibusdam, dist. 37.

Luxuriosa res est vinum & contumelioſa ebrietas. omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens, c. luxuriosa, dist. 35.

Læsa pietas est, dum irridetur ebrietas. vbi enim ebrietas, ibi libido dominatur & furor, c. venter, &, c. sexto, dist. 35.

Non omnis qui ignorat, immunis est à pœna, ille enim ignorās potest excusari à pœna, q̄ à quo disceret nō inuenit, illis autem hoc ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt, c. fin. dist. 37.

DE COHABITATIONE CLI ricorum & mulierum.

Titulus II.

Continuatio.

CVm castitate non parùm vitæ honestas cõmendetur, certis iuribus prouisum est, ea euitentur, quæ impudicitiæ & incontinentiæ fomitem præstare possent. Non absque ratione ergitur clericis cohabitatio mulierũ, quibus ad prostituendam pudicitiam, seduci, & ad incontinentiam incitari possent, interdicitur.

Quid est Cohabitatio?

Cohabitatio est, personarum in vna domo, sub eodem tecto commorantium, conuersantium. Nam qui in vno vico, vel villa, disiectis aedibus, commorantur, cohabitare non dicuntur, c. 4. sed si, extr. eod. tit.

Quotuplex Cohabitatio?

Alia est cohabitatio mulierum: in quibus naturale fœdus, nihil permitttit sæui criminis suspicari: vt sunt, mater, amita, soror, neptis, &c. à nobis, extr. eod. &, c. interdixit, distinct. vbi illa cohabitatio clericis non interdicitur: quia ex talium conuersatione contra eos incontinentiæ suspicionem oriri, naturalis ratio non permittit. Neque obstat, c. 1. extr. eod. Vbi dicitur, neque illas, quas Canones concedunt, secum retineat, matrem, scilicet, amitam & sororem, quia instigante diabolo, & in illis scelus per-

perpetratum reperitur, aut etiam in pediſſequis earundem. Namibi textus loquitur de coniũctis mulieribus, quæ ſecũ pediſſequas & ancillas ducunt. Quarum amica conuerſatione clericus alle ctus, poſthabita voti præſtiti religione, turpitudinem fornicationis exercere poſſet: quia, vt Auguſt. ait, non omnes quæ cum ſorore mea ſunt, meę ſorores ſunt. Ideò in Concilio Moguntinẽſ. decretum eſt, vt ſi presbyter his perſonis conjunctis, quæ abſque pediſſequis non ſunt, indigeat, habeat in vico aut in villa domum longè à ſua conuerſatione, & ibi eis conſtitutis quæ neceſſaria fuerint ſubminiſtret, d. c. 1. §. ſed ſi quæ, extr. eod. Alia cohabitatio eſt mulierum, quæ non leuem incontinentiæ ſuſpicionem præbere poſſunt, & illa clericis, ob voti religionem, & cõ uerſationis puritatem conſeruandam, interdicitur, toto tit. ex. eod.

Quæ pœna Cohabitantium?

Circa pœnam imponendam diſtinguendũ eſt. Nam aut clericus in ſacris conſtitutus, concubinã occultam habet, aut palam. Si occultè, cõcubina in pœnitentiali foro punitur, ſed non in iudiciali; quia occulta delicta vindictam publicam non habent; ergo tantùm ei iniungitur pœnitẽtia, c. quæ Chriſto, 26. q. 1. &, c. Chriſtiana, 32. q. 1. clerico autem indicitur Canonica purgatio, quã ſi præſtare noluerit, vel in ea præſtãda defecerit, canonicè punitur. Quod verum eſt, ſi de eo ſit ſuſpicio, & ex ea ſcandalũ generetur in populo, licet cõtra ipſũ nullus exiſtat accuſator, c. tua nos, ext. eod. Aliàs .n. dicitut, quòd occultum crimẽ

ab Eccleſia tolleretur,& occultus fornicarius c uina miniſteria adminiſtrare poſsit, c. veſtr extr.eod.Quia ſacra,vitijs & delictis adminiſtr tis,non poſſunt coinquinari & pollui: cùm om nia in Chriſti fide purgentur, d. c. veſtra, extr. eod.Si autem clericus palàm habeat concubin & eius fornicatio ſit publica, concubina excom municatur,neque abſoluitur, niſi præmiſſa tisfactione, & iuſta pœnitentia peracta,c. fi cubinæ,extr.de ſent.excom.&, c.ex parte, extr. de verb.ſig.Clericus autem, ſi fornicariam,ſe concubinam ad ſecundam vel tertiam monitio nem à ſe non remouerit, à beneficio ſuſpenditur, & correctione non ſecuta deponitur, c. ſicut, &,c.ſi autem,extr.eod. Quòd ſi verò ſecum palà non habeat,ſed crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primam,ſecundam,& tertiam admonitio nem,cum ſuſpecta muliere comperiatur fabula ri vel conuerſari, clericus excommunicationis cenſura punitur,& fœmina canonicè iudicatur, c. ſi quiſquam, extr. eod. Quòd ſi clericus in Diaconatu vel inferioribus Ordinibus conſtitu tus, matrimonium cum honeſta perſona con xerit,ſiue caſtitatis votum præſtiterit,ſiue non tamen ſi à ſacris miniſterijs ceſſare vltrò nolu rit,eo licitè vti poteſt. Nam etſi in ordinatio ſua caſtitatis votum obtulerit, tamen tantum eſt in ſacramento coniugij,quòd nec ex violatio ne voti poſsit matrimonium contractum diſſol ui,c.diaconus,diſtinct.27.

AXIO

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitãter habere, aut superinductam mulierem, c. nullus, dist. 33. &, c. præter, eod.

Non habitent cum clericis mulieres, nisi quæ naturali fœdere omnem suspicionem excludunt, c. interdixit, dist. 32. &, c. à nobis, extr. eod.

In ambiguis rebus absolutum non debet esse iudiciũ, c. habuisse, distinct. 23.

Is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellitur: tamen vt vnius vxoris aut concubinæ sit coniunctione contentus, c. is qui non habet, dist. 34.

Concubina dicitur, quæ conniuentibus legibus extra matrimonium retinetur, quasi simul cubat, hîc autem intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumẽtis cõiugali affectu adsciscitur, c. omnibus, dist. 34.

Fornicaria dicitur, quasi carens forma, meretrix, quæ multorum libidini patet, vnde versus: Nec meretrix munda, nec cornix alba fit vna. *Hostiens. §. q̃ pœnam. hoc tit. &, c. vidua, distinct. 34.*

Vidua est, cuius maritus mortuus est. Eiecta est, quæ à marito viuente eÿcitur, d. c. vidua, distinct. 34.

Presbyter vxorem suam, quasi sororem diligere, & quasi hostem fugere debet, c. presbyter, distinct. 32.

Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, ni si aut virgo, aut probatæ castitatis, & qui vsque ad subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit, c. nemo, distinct. 32.

DE CLERICIS CONiugatis.

Titulus III.

Continuatio.

NVllus, inquit Gregorius, ad altaris ministerium accedere debet, nisi cuius castitas, ante susceptum ministerium fuerit approbata, c. ante triennium, dist. 31. Intantùm, vt ne post ordinationem ad matrimonium, alioquin sanctum & à Deo institutum, aspirare præsumat. Omnium enim sacerdotum tam excellens est electio, vt quæ in alijs membris Ecclesiæ vacare vitio creduntur, in illis tamen, ob requisitam perfectæ continentiæ puritatem, habeantur illicita, c. omnium, dist. 32.

Qui Clerici matrimonium contrahere possint, & qui non?

Primò, Episcopis, presbyteris, diaconis, & subdiaconis, matrimonia sunt interdicta: quæ de facto contraxerint, vxores dimittere, & de commisso pœnitentiam agere, per suspensionis & excõmunicationis sententiam, compelluntur, c. 1. extr. eod. &, c. presbyteris, 28. dist.

Quibus non parùm obstare videntur c. diaconus, dist. 27. &, c. si se cuiquam, &, c. presbyter, dist. 28. &, c. de Syracusanæ, §. patet: Vbi dicitur patet, quòd nec diaconi, nec subdiaconi, sint prohibendi à coniugio, dist. 28. Nec video, quomodò hi & alij in hac materia dissidentes Canones con-

conciliari posſint: Niſi dicamus, diaconum & ſubdiaconum, exdiſpenſatione, & ſingulari permiſsione, ſi, ſe non continere poſſe, in ordinatione confiteantur, ducere vxores poſſe, iuxta c. diaconus quicunque, diſt. 28. &, c. de Syracuſanæ, §. diaconi, eadem diſt. Item, & illi, qui à ſacris miniſterijs vltrò ceſſare voluerint: fortius enim eſt coniugij vinculum, quàm quòd ex violatione voti diſrumpi poſsit, ſecundùm c. Diaconus, qui eligitur, diſt. 27. &, c. presbyter, diſt. 28. Quòd ſi autem à miniſterijs ſacris abſtinere nolint, ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ, dimittere vxores coguntur, c. 1. ſi quis, extr. eod. &, c. presbyteris, diſt. 27. Alij autem clerici intra ſubdiaconatum in ordinibus conſtituti, liberè contrahere poſſunt, c. placuit, c. ſi quis, c. lectores, c. eos qui, diſt. 32. &, d. c. 1. extr. eod.

Quæ cauſa prohibitionis coniugij inter Clericos?

Cauſam prohibitionis munditiam ſacerdotalem fuiſſe, teſtatur Gregorius, c. ante triennium, §. cauſa verò, diſtinct. 31. vt liberè cunctis diebus vitæ ſuæ orationi poſsint vacare. Si enim (vt ait Paulus) ab vxoribus eſt ceſſandum, vt expeditiùs orationi incumbamus, miniſtris vtique altaris, quibus quotidiana neceſsitas orandi incumbit, nunquam coniugali officio, quo à diuino miniſterio abſtrahi poſsint, vacare permittitur.

Quæ pœna infligitur Clericis absq; dispensatione nuptias contrahentibus?

Si clericus in subdiaconatu, vel maioribus ordinibus constitutus, vxorem dimittere, & iusti pœnitentiam agere nolit, suspenditur, deponitur, & excommunicatur, c. 1. extr. eod. &, c. presbyter si vxorem, dist. 28. Si autem infra subdiaconatum sit in minoribus ordinibus, priuatur beneficio, & vxorem retinere compellitur, d. c. 1. &, c. placuit, dist. 32. Pari ratione vxorati, sicuti ad beneficia vel dignitates non admittuntur, ita ex ignorantia status promoti rursus deponuntur, c. cùm decorem, extr. eod. si tamen vxor decessit, quam virginem duxit, viduus petens ad ordines, repelli non debet, c. curandum, dist. 34. Aduerte tamen, quòd Episcopus, circa personas contrahere prohibitas, dispensare, vel tacitè, vel expressè possit, c. diuersis, extra eod.

AXIOMATA, SENTENTIAE, ET *Varij Canones, De permissione, et prohibitione Coniugij clericalis, statuentes.*

Diaconi quicunque, quum ordinarentur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, se velle habere vxores, nec posse se continere, hi, si postea ad nuptias peruenerint, maneãt in ministerio: propterea quod his Episcopus licẽtiam dederit. Quicunq; sanè tacuerint et susceperint manus impositionem, professi continentiã, si post-

si postea ad nuptias peruenerint, à ministerio cessare debebunt, c. diaconi, distinct. 28.

Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit, se in castitate non posse manere, hic non ordinetur: quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit: sit alienus à ministerio, & vacet à Clero. Si verò diaconus à ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio licitè potest vti. Nam etsi in Ordinatione sua castitatis votum obtulerit, tamen tanta est vis in Sacramento coniugij, quòd nec ex violatione voti potest dissolui ipsum coniugium, c. diaconus, §. hac auctoritate, distinct. 27.

Quidam, nubentes post votum, asserunt adulteros esse: ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt, c. quidam, dist. 27.

Si vir votum virginitatis habens, adiungitur vxori, postea non dimittat vxorem, sed tribus annis pœniteat, c. si vir, dist. 27.

Vouentibus virginitatem, non solùm nubere, sed etiã velle, damnabile est, c. vouentibus, dist. 27.

Si nupserit virgo non peccat, non illa virgo, quæ semet cultui diuino dedicauit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem: quia primam fidem irritam fecit, c. si nupserit, dist. 27.

Presbyteris, diaconis, subdiaconis & monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus: contracta quoq; matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta sacrorum Canonum diffinitionem, iudica-

mus, c. presbyteris, distinct. 27.

Nullum facere subdiaconum præsumant Episcopi nisi, qui se castè victurum promiserit: quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata, c. nullum, distinct. 28.

Decernimus, vt hic, qui in Ordine subdiaconatus, supra vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Ecclesiastico beneficio careant. Cùm enim templum & vasa Domini, & sacrarium Spiritus sancti debeant esse, & dici, indignum est eos cubilibus & immunditijs deseruire, c. decernimus, dist. 28.

Diaconi, qui in Ordinatione sua dicunt, se velle habere vxores, si postea ad nuptias venerint, non prohibentur à ministerio, c. de Syracusanæ, §. diaconi, dist. 28.

Presbyter, si vxorem duxerit, ab Ordine illum deponi debere: quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abijci, & ad pœnitentiam laicos, redigi oportet, c. presbyter, dist. 28.

Assumi aliquem ad sacerdotium in coniugij vinculo constitutum non oportet: nisi fuerit promissa conversio, c. assumi, dist. 28.

Sacerdotibus, vt semper valeant altari adsistere, semper ab vxoribus est abstinendum, c. sacerdotibus, dist. 31.

Eos ad sacrificia, fas est, admitti, qui vèl cum vxore non exerceant carnale officium, c. eos ad distinct. 31.

Presbyteri, diaconi, subdiaconi, vel deinceps, quibus

dam

ducendi vxores licentia modò non est, etiam aliarum nuptiarum, vitare debent conuiuia: nec his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur, & turpia, aut obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur: ne auditus obtuitus sacris ministerijs deputati: turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur, c. presbyter, dist. 35.

Non in perpetuum, sed tempore oblationis à complexu suarum vxorum sacerdotes abstineant, c. quoniã, dist. 31.

Presbyter vxorem suam, quasi sororem diligat, & quasi hostem fugiat, c. presbyter, dist. 32.

Si quis discernit presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, & ab eius oblatione ideò abstineat: anathema sit, c. si quis, distin. 28.

Presbyterum non legalibus nuptijs detentum, Cathedram quidem habere, sed ab officio abstinere præcipimus, c. presbyterum, 28. dist.

Eos qui post prohibitionem factam à suis se vxoribus continere noluerint, ad sacrum Ordinem nolumus promoueri: Quia nullus debet ad altaris ministerium accedere, nisi, cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata, c. ante triennium, distinct. 31. Causa huius institutionis fuit munditia sacerdotalis: vt liberè cunctis diebus vitæ suæ Orationi vacare possint. Si enim (vt ait Paulus Apostolus) ab vxoribus est cessandum, vt expeditiùs Orationi vacemus, ministris vtique altaris, quibus quotidiana necessitas orandi incumbit, nunquam

nunquam coniugali vacare officio, permittitur, d.c. ante triennium, dist. 31.

Nicæna Synodus vsum coniugij in vniuscuiusq; voluntate, non necessitate, permisit: ob hanc rationem, quòd scilicet cum propria vxore concubitus, sit castitas, c. Nicæna, dist. 31.

Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum vxore suo fidelem ac religiosam mulierem, detestatur, aut culpabilem existimat, anathema sit, c. si quis, dist. 31.

Post Baptismum debet esse monogamus. i. vnius vxoris vir, qui in Episcopum est ordinandus, c. vnius vxoris, dist. 26.

Vnius vxoris vir Episcopus significat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro Christo subditam, c. acutius, distinct. 26.

Sicut duobus dominis seruire, sic ab vno domino apostatare, atq; in alterius superstitionem ire, non licet, d.c. acutiùs, in fine dist. 26.

In Baptismate culpa dimittitur, non lex coniugij aboletur, c. deinde, dist. 26.

Quos Deus coniunxit, homo non separet, d.c. deinde, dist. 25. Et eius interpretatio, ibid.

Nuptiarum copula, quia Dei mandato perficitur, potest dici peccatum: & quod peccatum non est, similiter peccata credi non debet: eritq; integrum & salsum existimare, aboleri non posse nomen prioris vxoris, cum non sit dimissum pro peccato, quod ex Dei sit voluntate completum, c. deinde, in fine dist. 26.

Qui, demortua vxore, denuò contrahit matrimonium non peccat, c. qui sine, dist. 26.

Bigami dicuntur, non solùm, qui post Baptisma coniugia frequentant, sed etiam qui ante Baptismum vnã, & post Baptismum alteram coniugem habuisse, probantur: Et is in sacerdotem ordinari non debet: non quia deliquerit secundam accipiendo vxorem, sed quia prærogatiuâ exutus est sacerdotis, c. vna tantùm, §. vnde datur, dist. 26.

Virgines, quæ post consecrationem nupserint, nõ tam adulteræ sunt, quàm incestæ, c. virgines, dist. 27.

Si se cuiquam mulier presbyteri vel diaconi, relicta duplici coniugio coniunxerit, aut castitate fruantur, aut separẽtur: aut certè, si in criminis intentione persiterint, pari excommunicatione plectantur, c. si se cuiquam, dist. 28.

Si quis docuerit sacerdotem, sub obtentu religionis, propriam vxorem contemnere, anathema sit, c. si quis, dist. 28.

De presbyteris non est laicis iudicandum, c. consulendum, dist. 28.

Nos virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam cum castitate, & religionem Deo acceptissimam esse dicimus, & renuntiationes sæculariũ negotiorum, atq; actuum, cum humilitate approbando laudamus, & nuptiarum vinculum, quod secundùm castitatem perdurat honoramus, & diuites cum fide, iustitia, & operibus bonis non abijcimus, c. hæc autem, distinct. 30.

Nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut superinductam mulierẽ, c. nullus Missam, dist. 32.

Quicun-

Quicunq; ſacerdotum, diaconorum, ſubdiaconorum concubinam palàm duxerit, vel ductam non reliquerit, à diuinis officijs arceatur, c. præter, diſt. 32. &, c. habuiſſe, diſt. 33.

Non habitent cum Clericis mulieres, niſi, quæ naturali fœdere, omnem ſuſpicionem excludunt, c. interdixit, diſt. 32.

In ambiguis rebus abſolutum nō debet eſſe iudicium, c. habuiſſe, diſt. 33.

Is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione nō repellatur: tamen, vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ ſit coniunctione contentus, c. is, qui non habet, diſt. 34.

Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere, licitum eſt: niſi vnam tantū, aut vxorem, aut certè loco vxoris, (ſi coniunx deeſt) concubinam, c. Chriſtiano, diſt. 34.

Epiſcopus multum familiaritatis habens cum quadam filia, ſi monitus non abdicet, excōmunicatum, c. quorundam, diſt. 34.

Concubinas habere non licet vobis, etſi non habuerit vxores, tamen non licet vobis habere concubinas, qui poſteà dimittatis, & ducatis vxores, tanto magis damnatio erit vobis, ſi volueritis habere vxores & concubinas, c. audite, §. concubinas, diſt. 34.

Regulæ ſanctorum patrum, pro tempore, loco, & perſona, & negotio, inſtāte neceſſitate, traditæ ſunt: proquarum varietate etiam intelligi debent, c. 1. 2. 3. 4. diſt. 34.

DE CLERICIS NON RESIdentibus in Ecclesia seu præbenda.

Titulus IIII.

Continuatio.

CLericus non tantùm ab ijs, quæ animum à diuinis officijs auertãt, abstinere, sed etiam Ecclesiæ, in qua beneficium denet adesse, & summa, qua fieri potest, industria, fideiq; integritate munus, ratione obtenti beneficij, iniunctum obire debet.

Quid est Residentia?

Residentia est clerici in Ecclesia beneficiũ tenentis, cùm voluntate debiti præstandi seruitij præsentia: Dico; cũ voluntate præstandi seruitij; quia parùm esset, præsentiã sui exhibere, & curã seu seruitium Ecclesiæ negligere, c. extirpandæ, extr. de præbend. &, c. quia nonnulli, extr. eod.

Quæ causa efficiens?

Præceptum diuinum, & voluntas clerici præsentis, nec ratione obtenti beneficij iniunctum sibi munus recusantis, d.c. quia nonnulli, extr. eod.

Quod Obiectum?

Omnia seruitia, quorum præstationem obtenti beneficij possessio requirit, vt ait Hostiens. §. quis clericus, hoc titulo.

Quæ Forma?

Vt Clericus Ecclesiæ, in qua præbendã habet, adsit,

adsit, nec non seruitia, quæ ipsi, ratione præbendæ, vel beneficij imponuntur, in propria persona, vel si iustam absentiæ causam allegare possit, per Vicarium præstet, qua tamen non probata, per subtractionem prouentuum, alijsq; Pontificij iuris remedijs, per se, etsi præbenda sit admodùm tenuis, & vltra viginti aureos annui reditus non habeat, seruitia facere tenetur, quia eius industria videtur requisita, d.c. quia nonnulli, c. conquerente, &, c. cùm ad hoc, extr. eod.

Quæ forma procedendi contra non residentes, & absentes contumaces?

Si Prælatus vel Clericus, in Ecclesia, in qua prælaturam vel beneficium obtinet, non residet, monendus est, & citandus, vt termino in citatione præfixo ad Ecclesiam reuertatur: quòd si intra terminũ præfixum nõ redeat, nec iustam impedimento causam afferat, beneficio vel prælatione priuatur, aliusq; in eius locum substituitur, c. ex parte, extr. eod. Quod quidem verum, si longo tempore absit, & Ecclesiæ vtilitati clerici contumaciter absentis præsentiam & adiuamen exposcat, d.c. ex parte, vers. decem autem. Quòd si autem breuiori tempore absit, facilè terminus ei peremptorius præfigetur, & ob id contumaciam commissam impunè ferat. Quoniam, diaconus, vel presbyter, si per tres hebdomanas, vel Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, si aliquot diebus solennibus ab Ecclesia sua defuerint, triennio à communione suspenduntur, c. si quis in clero, 7. quæst. 1. Quòd si locus, vbi clericus absens degit, ignoretur, vel ratione

ratione loci, temporis, vel cuiuscq; alterius impedimenti, ad ipsum citatio deferri non possit tribus edictis in eius Ecclesia publicè propositis, euocabitur: quod sinas, dum intra sex menses reuertatur beneficio, vel Ecclesia sua, priuari poterit, c. ex tuæ deuotionis, extr. eod. Denique, si ob clerici eruditionem & præstantiam, eius priuationem Ecclesiæ non expedire visum fuerit, per suspensionis vel excommunicationis sentẽtiam, absentis contumacia coërcetur, qua pœna contempta, à contumace rernm spiritualiũ administratio ei interdici poterit, d. c. ex tuæ, §. cõtra eos, extr. eod. Episcopus ertam, relicto suo episcopatu absque Superioris licentia, ad alium transiens, solo Pontificis mandato, episcopatu vtroque & habito & ambito priuatur, licet ab Archiepiscopo suspendi. & excommunicari possit, si vel transeat, vel relicta Ecclesia sua, absque probabili causa, euagetur, c. accusatus, 3. quæst. 6. c. 1. extr. eod.

Quæ sunt causæ legitimæ à pœna contumacium liberantes?

Prima causa excusationis à pœna est, priuilegium à Pontifice, vel Episcopo, super absentia concessum: Si tamen Ecclesia ministrorum patitur defectum, etiam priuilegiati, per subtractionem prouentuum, residere coguntur, c. cùm ad hoc, extr. eod. c. suggestum, extr. de decimis, c. quid pernouale, extr. de verb. sig. Secunda infirmitas. Nam qui ita detentus morbo, vt rerum ad officium suum pertinentium non possit sa-

tagere, non modò beneficij ſui fructus conſeq
tur, ſed & diſtributiones canonicas, & omn
quæ clerico in bona valetudine conſtituto, &
ficium ſuum præſtanti, concederentur, c. 1. ex
de cler. ægro. &, c. vni. in 6. eod. Tertia. Perm
ſa facultas à plato vel Capitulo bonis literis op
ram nauandi in honeſto & probato Gymnaſ
dummodò hæc vacatio ſeptennij tempus no
excedat, c. tuæ fraternitatis, extr. eod. &, c. cùm
ex eo, gloſſ. in verſ. ſeptennio, de elect. in 6. Dic
in probato aliquo Gymnaſio, quia, ſi in vi
& caſtellis, vbi nullum, aut exiguum eſt ſtud
rum exercitium, quis verſaretur, priuilegio,
cauſa ſtudiorum abſentibus indulto, gaud
non poterit, d. c. tuæ fraternitatis, extrà, e
Quarta. Inimicitiæ capitales. Quoniam ill
iam à publico munere immunitatem præ
c. bonæ memoriæ, extr. de elect. Quinta. T
iurium ipſius Eccleſiæ, ad quæ conſeru
citè quis abeſſe poteſt: etſi tempore pro
nis de facienda reſidentia in ipſa Eccleſi
ſtitiſſet iuramentum, c. ex parte tua pro
tum, extr. eod. Sexta. Senectus præſtat ex
tionis cauſam. Non vt à ſene eccleſia p
deſeratur, ſed vt aliquatenus muneris im
adminiſtratione liberetur. Eſt enim ſen
per ſe oneroſa & languida multas ſecum
rens infirmitates, & aduerſitates. Nihil
rationi & æquitati magis conſentaneum,
eius labores, qui multo tempore, promo
dis Eccleſiæ vtilitatibus inſudauit, adiu
ne quodam alleuiari. Vnde Zacharias P
fex Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo

confecto petenti in suum locum alium constitui, non Moguntinam Ecclesiam relinquere, sed Coadiutorem, qui ipsum cura & solicitudine commissarum animarum liberet, & ei morienti in Episcopatu succederet, datis ad ipsum Apostolicis literis sibi adsciscere, & ordinare, concesit, c. petisti, 7. quæst. 1. Et aliæ consimiles causæ, que vel ex paritate rationis, vel æquitate his connumerari possunt.

Quæ causæ impulsiuæ faciendæ Residentiæ?

Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ & Reipub. vtilitas.

Quis Finis & Effectus?

1. Regnum Dei, si debito modo seruitium fiat, vt ait Hostiens. §. quod sit præmium, hoc titul. 2. Acquisitio iuris eligendi & spiritualis consortij, aliud nisi impediat, c. quia propter, extr. de elect. 3. Perceptio fructuum ipsius beneficij, c. relatum, c. cùm secundum, &, c. extirpandæ, ext. de præbend. & dignitatibus. 4. Perceptio distributionum canonicarum, quæ solùm inter præsentes clericos, non autem absentes, siue contumaciter absint, siue ex priuilegio excusentur dispertiuntur, dempto clerico, ob infirmitatem corporis, absente, is enim harum distributionum etiã particeps est, c. vnico, eod. tit. in 6.

Quæ Cognata Residentiæ?

Quælibet absentia priuilegiata, quæ residentiæ, quo ad perceptionem fructuum, ipsius beneficij æquiualet, & præsentia clerici, officium tamen suum negligentis.

Quæ Pugnantia?

Contumacia absentis, officij iniuncti neglectus, transitio ab vna Ecclesia ad aliam, ex ambitione, cupiditate, auaritia, c. mutationes, 7. quæstione 1.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Priuandus est beneficio Prælatus, vel clericus, non residens, qui citatus & monitus non reuertitur in termino sibi præfixo, nisi iusta allegetur impedimenti causa ex parte, extr. eod &, c. fin. eod.

Si ignoretur locus, vbi clericus non residens lingat, tribus edictis in Ecclesia euocabitur, qui si intra sex menses non reuertatur, beneficio priuabitur, c. ex tua, extr. eod.

Fraus & dolus nemini patrocinium præstare debet. c. tuæ fraternitatis, extr. eod.

Si Ecclesia patitur ministrorum defectum, priuilegiati super absentia, per subtractionem prouentuum, redire coguntur, c. cùm ad hoc, extr. eod.

Qui iurauit in Ecclesia residere, pro seruitijs Ecclesiæ licitè se absentat, c. ex parte, extr. eod.

Qui studiorum causa, vel in seruitio, Episcopi absunt omnes

omnes beneficij fructus, præter distributiones Canonicas, tanquam residens, percipit, c. de cætero, extr. eod. &, c. tuæ fraternitatis, eod.

Episcopus, sine licentiæ Papæ, ad alium Episcopatum transire non potest: quod si fecerit, & habito & ambito priuabitur, c. 1. extr. eod.

Nemo debet afflicto afflictionem addere, ne ipsum culpæ offensa respiciat, c cùm percussio, quæst. 1.

Periculosum est in rebus diuinis potestati, & iuri suo renuntiare, c. quàm periculosum, 7. quæst. 1.

Indignitate constitutus, si senio sit grauatus, coadiutor illi dandus est, qui morienti succedat, c. petisti, 7. quæst. 1.

Necessitatis & vtilitatis causa Episcoporum mutationes fieri possunt, c. mutationes, 7 quæst. 1.

Non est reprobatio, sed virtutis probatio, bonorũ aduersitas, c aduersitas, 7. q. 1.

Pro gradu sui officij quemq; meliorem esse oportet, c. qualis, 8. q 1.

Oportet eum, qui docet esse talem, vt pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, c. oportet, 8. q. 1.

DE PRAEBENDIS ET DIgnitatibus.

Titulus V.

Continuatio.

LEgi diuinæ consentaneum est, vt qui in Ecclesia sua residet, & debitum seruitium præstat, ab eadem Ecclesia sustentationem, pro

ratione dignitatis & officio conueniétem percipiat. Qui enim altari seruit, de altari viuere debet, c. ex his, 22. q. 1. &, c. Ecclesiasticis, 12. q. 2.

Quid est Præbenda?

Præbenda, secundùm Hostiensem est, ius percipiendi prouentus Ecclesiasticos, competens percipienti tanquam vni ex collegio, ex Canonia promanans, Hostiens. §. quid sit præbendæ, hoc tit.

Quotuplex Præbenda?

Præbendæ bifariam intelligi possunt: Vel, vt in aliquorum patrocinio, & tutela sunt: quia ab illis sunt fundatæ & constitutæ, vel locupletatę, quas & propterea patronatus iura appellant. Et de his hoc loco non agitur: quia cùm non vni ex collegijs competant, neque ex Canonia descendant, impropriè præbendæ dicuntur. vt notat. in c. cùm M. Ferrariensis, extr. de constitut. c. possessiones, 16. quæst. 1. &, c. 2. extr. de institut. Alio modo præbendæ dicuntur, ab omni cuiusque patronatu solutæ, & annexæ ipsi Canoniæ, solùm personis collegatis competentes. Vnde dicitur, Canonicum absque præbenda esse non posse, & Canonicam habentem, ex consequenti præbendam habere debere, c. relatum, &, c. dilectus, extr. eod. &, c. cùm super, extr. de concess. præbend. &, d. c. cùm M. Ferrariensis.

Que

Quæ causa Efficiens?

Et collatio Canoniæ facta ab eo, qui ius conferẽdi habet: sicuti enim actio ex obligatione, ita præbenda ex Canonia descendit. Vnde Episcopus ad sacros ordines aliquem promouens, qui præbendam non habet, nec de suo patrimonio se sustentare possit, ipsi etiam ex suis facultatibus, de alimentis necessarijs, donec beneficium adipiscatur, prouidere debet. Fuit enim in arbitrio eius, vel non ordinare, qui titulum non habuit, vel ordinare, & eo vsq; quo consequatur titulum, necessaria suppeditare, c. nõ liceat, c. cùm secundùm, &, c. tuis quæstionibus, extr. eod.

Quid est Canonia?

Canonia est, ius quoddam, quod ex electione seu collatione, vel institutione & receptione alicuius in canonicum, oritur siue acquiritur, vbi certus est canonicorum numerus, vel de nouo creatur, vbi certus numerus nõ habetur, Hostiens. in §. quid sit præben. eod. tit.

Quomodò differunt Canonia & Præbenda?

Differunt, vt causa, & effectus. Quia Canonia est ius, cuius effectus, est, fructuum perceptio, cõtemplatione enim iuris per collationem Canoniæ constituti, prębenda conceditur. Vnde canonia in iure, præbenda autem propriè in perceptione fructuum, consistere dicitur, Hostien. d. §. quæ sit præbenda, vers. præbenda.

Quod Obiectum?

Sunt fructus beneficij, annuæ pensiones, & omnes reditus ad præbendam spectantes, quæ ca

nonici sustentationi sufficere possint

Quæ Forma?

Vt, collata Canonia, clerico in eadem Ecclesia residenti, pro meritorum qualitate, personæ conditione, dignitatisq; ratione, vitæ honestè & dignè sustentandæ necessaria subministrentur. Ad præbendam enim obtinendam in Ecclesia non sufficit in eadem adepta Canonia, vel, vt quis titulum Canonici sit, per collationem consecutus: sed requiritur eiusdem etiam residentia. cùm clericus non residens iure percipiendorum fructuum (quod præbendam esse dixi) imò etiam, ipso titulo, ob nimiam contumaciam, priuetur, Hostien. in §. 1. &, §. vlt. tit. de cler. non resident: Quæ autem sit forma conferendarum præbendarum, & quæ ad collationem requirantur? infrà, tit. de concess. præbendarum, conuenientiùs tradetur.

Quæ causa Finalis?

Vt diligentiùs diuina officia administrentur: ne alioquin clericus necessariæ sustentationis indigentia compulsus, ad alia officia gratia parandi vitæ necessaria, confugiat, & animum diuino cultu & seruitio abdicat.

Qui Effectus?

Perceptio redituum vitæ sustentandæ necessariorum, tranquillitas animi diuino seruitio expediundo intenti, facultas subueniendi pauperibus, alijsq; egentibus hominibus in necessitate.

Quid

Quid est Dignitas?

Dignitas est, rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione administrandarum potestas.

Quæ causa Efficiens?

Statuta Pontificum, decreta Conciliorũ, & vota Collegiorum, per viã electionis alicui potestatem administrandi res Ecclesiasticas concedentium.

Quod Subiectum? vel, qui dicuntur habere Dignitatem?

Omnes Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Abbates, Præpositi, Priores, & omnes Collegiatæ Ecclesiæ Præfecti, Abbas in c. multa, extr. eod.

Quod Obiectum?

Gradus præeminentia, administratio rerum Ecclesiasticarum, & iurisdictio.

Quæ Forma?

Vt in Ecclesia tantùm vna vnam habeat dignitatem, via potestatis per electionem, vel alium quemuis modum trãslatę, iurisdictionem sibi in subditos competentem exerceat, resq; Ecclesiasticas sibi commissas, fideliter administret. Solus enim Prælatus in dignitate constitutus, rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione administranda rum habet potestatem, non autem is, qui personatum, vel officium habet. Est enim personatus prærogatiua in Ecclesia, omni carens iurisdictione. veluti: si quis sedem habeat prę cæteris in choro eminentem, aliarum prærogatiuarum: & prę-

sertim iurisdictionis expers. Officium autem ius administrandarum rerũ Ecclesię, sine iurisdictione, Abbas, c. multa, extr. eod. & Felin. in rubrica, de officio deleg.

Quis Effectus?

Potestas administrãdi res Ecclesiasticas, & exercendi iurisdictionem in clericos inferiores.

Quæ Cognata?

His, qui in dignitate sunt, comparantur Ecclesiæ Cathedralis Canonici, c. statutum, extr. de rescript. etiam rectores Ecclesiarum, affinitatem etiam habent cum dignitatibus & prębendis personatus officium, Canonia & ius patronatus.

Quæ Adiacentia?

Sacer ordo. Nam licet Episcopatus & similis sacer ordo sit, dignitatem tamẽ annexam habet, sicuti præbendam, Canoniam, & residentiam.

Quæ Pugnantia?

Contumacia absentis, suspensio, depositio, & excommunicatio, neglectus minoris dem[illegible]

AXIOMATA ET SENTENTIAE

Solùm egentibus subuenire debemus, si non culpa ad egestatem veniſſent, c. 1. dist. 86.

Nihil aliud est habenti dare, quàm perdere, c. pasce 1. quæst. 2.

Sicuti vnum corpus plura membra habet, nec omnia ad vnum actum idonea: ita quis in vna Ecclesia pote[illegible] plures

plures dignitates obtinere, c. singula, dist. 89. c. quia in, extr. eod.

Dignum est, vt qui diuinis adscribuntur obsequijs, Ecclesiæ sustententur stipendijs.

In bonis Ecclesiæ non succeditur iure consanguinitatis, c. 1. extr. eod.

Ratio nulla permittit, vt, quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur, proprijs cuiusquē vsibus applicetur, c. ratio, extr. eod.

Qui ordinauit aliquem ad sacros ordines sine titulo, nec de suo patrimonio viuere possit, prouidere eidem de suis facultatibus tenetur, donec aliquem titulum fuerit consecutus, c. Episcopus, extr. eod. c. 2. c. cùm secundum, extr. eod.

Canonia non potest esse absque præbenda: si ordinatus non habeat, vnde viuat, ideò is, ex cuius iussu quis ordinatus est, ei de præbenda prouidere tenetur, c. relatū, extr. eod.

Præbendæ & dignitates nec diuidi, nec permutari debent, c. maioribus, extr. eod.

Habens plures Ecclesias alteram eligere, & alteram dimittere compellitur, c. referente, extr. eod.

Rescriptum strictè est interpretandum, c. fin. extr. eodem.

Propter inopiam præbendarum Ecclesiæ Cathedrales possunt eis adnecti capellæ, reseruata ipsarum presbyteris congrua portione, c. exposuisti, extr. eod.

Beneficium datur, propter officium: ergo pueri & beneficiati qui non possunt in eadem Ecclesia deseruire, in ea non debent idonei ad consequenda beneficia reputari,

tari, c. super inordinata, extr. eod.

Clerici ignobiles, & non eminentis scientia, propter hoc non debent à præbendis repelli, etiã in Ecclesia, quales admittere non consueuit, c. venerabilis, extr. eod.

Absens, propter Theologicum studium, fructus beneficiorum suorum percipit in absẽtia: sed nullo modo quotidianas distributiones, c. licet, extr. eod.

Cum sublimibus & literatis personis, circa plurimitatem beneficiorum incomptabilium, solus Papa dispensat, c. de multa, extr. eod.

Absenti potest conferri beneficium, alio mediante. Nec refert vtrùm absens inuestiatur per personam mediam, vel, persona media, inuestiatur pro absente, c. accedens, extr. eod.

Si duo electi ad aliquam dignitatem compromittãt in iudices, poterit iudex alterum confirmare, & alterum pro bono pacis, de prouentibus prouisionem facere, qui esset, extr. eod.

Sicuti duo, vel plures eandem dignitatem vniuersalem dam habere non possunt: ita nec vnus plures dignitates vel personatus in vna vel diuersis Ecclesijs habere potest, c. ad hæc, &, c. tuæ fraternitatis, extr. eod.

DE CLERICO AEGROTANTE, vel debilitato.

Titulus VI.

Continuatio.

SIcuti propter senectutem, clericus in dignitate constitutus, ab officio vel dignitate non removetur, sed adiutor, qui vicem eius subeat et adiu-

adiungitur, ita etiam clericus infirmitate detentus, dignitatem, vel beneficium quod habet, non amittit: sed ei vel adiutore (si opus fuerit) vel saltem permissione fructuum sui beneficij, & canonicarum distributionum subuenitur.

Quid est Infirmitas vel Morbus?

Morbus, apud Sabinum definitur, habitus cuiusque corporis, contra naturam: qui vsum eius ad id facit deteriorem, cuius causa natura nobis eius corporis sanitatem dedit, l. 1. ff. de redhibit. actione. Et vel in toto corpore: vel parte corporis accidit. toto corpore, vt febris: parte, vt cæcitas, &c. d. l. 1.

Quotuplex Morbus?

Duplex, sonticus, & non sonticus. Sonticus morbus dicitur, qui cuiusque rei agendæ impedimẽto est. Non sonticus autem, qui impedimẽto non est, l. quæsitum, ff. de re iudicata.

Qui morbus Clerici non residentis, et non administrantis absentiam excusat?

Morbus sonticus: vt est apoplexia, paralysis, &c. & motus corporis contra naturam, quẽ febrim appellant. Non autem is qui impedimento esse non solet: vt leuis febricula, vetus quartana, vt asserit Iulianus, in l. quæsitum, ff. de re iud. Distingue tamẽ circa personas. Aut, superior prælatus, vt est Episcopus, & rector Ecclesiæ, morbo graui, & incurabili corripitur: vt lepra, vel morbo sontico, impediente officij administrationem: & coadiutor ei dandus est, qui curam habeat animarũ, & de facultatibus Ecclesię ad sustẽ-

ſtentationem ſuam congruam recipiat pe
nem,c.de rectoribus, &, c.fin.ext.eo.c.vnic
tit.in 6.Aut,clericus, nulla præfulgẽs digni
ſed ex inferioribus quidam,corporis infirm
te laborat,& ab executione officij, ſiue adm
ſtrationis,remouetur: ita vt ipſe fructꝰ bene
ſui, & alias diſtributiones canonicas percip
iuxtaq; Eccleſię facultates ſibi neceſſaria,quæ
vixerit,miniſtrentur,c.tua nos, &, c.1. extr.

AXIOMATA ET SENTENTIÆ

Afflictio afflicto non eſt addenda,c.ex parte,

Epiſcopo,qui propter morbum incurabilem p
le officium exercere non poteſt, dandus eſt coa
cui portio competens reddituum Epiſcopatus ad
tationem aſſignetur, c. ex parte, &, c. de rati
extr.eod.

Clericus infirmus integrè percipit fructus
ſui,c.1.extr.eod.

Alter alterius miſeriæ miſereri debet,d.c.
extr.eod.

DE INSTITVTIONIBV

Titulus VII.

Continuatio.

SIngularis modus conferẽdi beneficia, ſe
bendas in patronatu alicuius conſiſten
ipſa inſtitutio à collatione non multũ diſc

Quot ſunt modi conferendi Beneficia?

Sunt duo:inſtitutio & collatio.

Quid est Institutio?

Institutio est, beneficij iuri patronatus subiecti, ad præsentationem patroni in institutum per Ordinarium facta trãslatio, Abb. in c. 2. extr. de conces. præbend.

Quæ est causa Efficiens?

Authoritas Ordinarij, vel Prælati, ex lege vel consuetudine ius instituendi habentis, præmissa per patronum instituendi præsentatione.

Quod Subiectum? vel qui instituere possint?

Episcopus, Capitulum, vacante sede. Nam Capitulum, licet, sede vacante, beneficia ad Episcopi collationem spectantia conferre nõ possit, tamen à patronis præsentatos, si idonei sint, admittere & in beneficijs instituere potest, c. 1. eod. tit. in 6. item Abbates, Delegati vel quiuis alius ius instituendi ex consuetudine habens, Hostiens. §. quis possit, hoc tit.

Quod est Obiectum?

Persona idonea, quæ instituitur, siue sit nobilis, siue ignobilis: quia nõ genus nobilitat hominem, sed virtutes. Nec obstat aliqua consuetudo contraria, c. venerabilis, extr. de præbend. Non tamen instituitur is, qui seruilis conditionis, vel duplex matrimonium expertus est, vel qui beneficium habet, nisi beneficiũ dimittere velit. Potest. n. Clericus secularis in seculari Ecclesia, et regularis in regulari, institui quia homines disparis professiõis, simul esse non possunt, c. 1. de vita, & honest. cler.

Quæ

Quæ Materia in qua?

Beneficium, in quo alteri competit ius patronatus, in eo enim solùm institutio locũ sibi vendicat, d.c.1.eo.tit.in 6.

Quæ Forma?

Vt beneficio patrocinio subiecto vacante patronus, qui eius patrocinium gerit, vnum vel plures, intra legitimum tempus, ipsi Ordinario vel qui ius instituendi habet, præsentet, qua præsentatione facta, Ordinarius, vel is, qui instituit, si ex pluribus præsentatis vnum idoneum viderit, ipsum deligat, vel si vnus saltem præsentatus & idoneus fuerit, admittat & approbet, necnon in beneficio ipso instituat.

Ex quibus patet ad institutionem faciendam multa requiri: scilicet, primò: vt beneficium sit vacans: quia super vacaturo beneficio, nec præsentatio, nec institutio valet, c.2.&, c. confirmat, extr. de conces. præbendarum, licet Papa etiam in vacaturis ius tribuere possit, c.2. de præbendis in 6. 2. Vt beneficium tale sit, quod subiaceat alterius patronatui, aliàs enim in eo non institutio, sed collatio locum haberet, c. cùm in illis, eod.tit.in 6. 3. Vt is, qui præsentat, sit patronus, siue verus, siue putatiuus, quia putatiui etiam patroni præsentatio tenet, etsi postea ius patronatus alius in iudicio euicerit, c. decernimus, & filius, 16.quæst. 7. Nec interest, vtrũ vnus an plures sint patroni, ex successione fortitan, vel alio modo facti. Quia ius patronatus ad quoscunque hæredes transmittitur, & plures succedentes vni habent vocem vnius, nec hæres patroni

inst-

institutum mutare potest, c.1.2.& 3.extr.de iure patro. Quòd si autem, beneficio vacante, in plures partes, patronorum vota in præsentando se diuiserint, ille præficiendus est Ecclesiæ, qui maioribus iuuatur meritis, & pluriũ consensu approbatur, Abb. in c.quoniam, ext. de iure patro. 4. Requiritur, vt patronus vnum vel plures præsentet. Quòd si plures præsentauerit, de omnib» magis idoneum Episcopus eligere potest, c.quia propter, extr. de elect. se autem ipsum præsentare non potest, c.fin.extr.eodem. 5. Vt legitimo tempore præsentet. Legitimum tempus in Ecclesiastico patrono, est, sex mensium spacium, sed in laico quadrimestre tempus. Ratio diuersitatis est. Quia Ecclesiastica simul facta præsentatione ampliùs variare non potest, quod tamen laico conceditur: Ergo breuius tempus ad præsentandum ei datur, Dd. in c.vnico, §. verum, licet de iure patro. in 6. & in Clemen. plures, de iure patro. Et quæ notantur in c.cùm vos, extr.de off. ord. 6. Requiritur, vt præsentatio instituẽdi fiat Ordinario vel alij, vt est Delegatus, Abbas, Capitulum, sede vacante, & similibus, qui ius instituendi habent. Nam si patronus, propria authoritate, absque præsentatione instituerit, excommunicabitur, & clerici perperam instituti à communione priuabuntur, aut si adhuc perstiterint, à ministerio Ecclesiastico & Ordine deponẽtur, c.præterea, extr.de iure patro. 7. Vt Ordinarius, vel quiuis alius, ius instituendi habens, ex pluribus præsentatis magis idoneũ eligat, vel si vnus tantùm, qui idoneus sit, præsentatus fuerit, eum admittat, approbet & instituat, c. illud,

c.decernimus,16.q.7.But. in c.ex transmissa,ex de renunc.&,c.quamuis, de rescript.in 6.

Quis Effectus?

Est ius percipiendi fructus beneficij iuri pere natus obnoxij,& potestas administrandi offi- um,& munus ratione illius beneficij iniuncti.

Quæ Cognata?

Collatio. Quæ quid sit? proximo titulo exp- cabitur: prouisio, licet prouisio nomen generis sit,& ad collationem, & institutionem non inu uenienter adaptari & referri possit.

Quæ Adiacentia?

Præsentatio patroni, integritas vitæ instituendi,& similia.

Quæ Pugnantia?

Institutio facta, spreta patroni præsentatione, vel institutio facta per ipsum patronū proprio authoritate, vitium instituti, quod antecessit, simonia,&c.

AXIOMATA ET SENTENTIAE

Si possidet ius instituendi is, ad quem de iure comm ni non spectat, pendente iudicio proprietatis, in pos- ne defenditur, c. cùm venissent, extr. eod.

Is ad quem spectat collatio dignitatum seipsum stituere non potest, c. fin. extr. eod.

Etsi Capitulum, sede vacante, beneficia, quæ ad co lationem Episcopi pertinent, conferre non possit, pra tatos tamen à patronis potest admittere, si sint idone & eos instituere in beneficijs ad quæ fuerint præsen-

ti, licet ad Episcopum (si supereſſet) admiſsio & inſtitutio huiuſmodi pertineret, c. 1. de inſtitut. in 6.

Sicuti Ordinarij inſtitutio, ſpreta patroni præſentatione facta, non ſubſiſtit: ita nec à patrono propria authoritate facta inſtitutio, valet, c. 1. 16. q. 7.

Patroni de præſentando alternis vicibus conuenire poſſunt, pluresq; ſimul præſentare, de quibus Ordinarius inſtituendum deligat, c. fin de præben. in 6.

Si patroni plures in præſentatione non fuerint concordes, attenditur maior & melior pars, c. quoniã, extr. de iure patro. &, c. ſi fortè, diſt. 63.

Epiſcopus, qui inſtituit ſecundo loco præſentatum, in pœnã tenetur prouidere etiã primo præſentato, c. querimoniam, extr. de iure patro.

DE CONCESSIONE PRAEbendarum, & Eccleſię non vacantis.

Titulus VIII.

Continuatio.

ALter modus conferendi beneficia, eſt, collatio, q̃ nullius patroni prę̃miſſã prę̃ſentationẽ, ſed eius tantùm, qui ius concedẽdi præbendas omni patronatus iure liberas & ſolutas habet, authoritatem requirit.

Quid eſt Collatio?

Collatio eſt præbẽdæ liberæ, & ab omni cuiuſque patronatum ſolutæ, abeo, qui vel ſumma authoritate & præeminentia præpollet, vel qui ex lege & conſuetudine ius conferendi beneficia habet, liberè, palàm, purè & ſine diminutione facta conceſsio. Hæc deſcriptio colligitur ex

Hostiens. §. & qualiter, tit. de præbend. & dig.

Quotuplex Collatio?

A causa efficiente duplex potest intelligi: vel extraordinaria, vel ordinaria. Extraordinaria dicitur, Collatio, quæ fit, vel ex mandato Legati sedis Apostolicæ, aut Pontificio rescripto. Ordinaria autem fieri dicitur, cùm Episcopus, vel Capitulum ex lege, vel consuetudine, ius conferendi habentes, beneficia concedunt, c. postulastis, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Est Apostolica authoritas & potestas ordinaria vel delegata, lex & consuetudo, conferendi ius tribuentia.

Quod est Subiectum?

Est Summus Pontifex, ex summa, qua pollet, authoritate: Legatus Sedis Apostolicæ, ex potestate commissa: Episcopus: aliique Prælati, siue seculares, siue regulares, ex lege, vel consuetudine, facultatem concedendi præbendas habentes, &c. postulasti, c. accedens, extra eod. c. cùm nobis, extr. eod.

Sed inter Summum Pontificem, Legatum & Ordinarium, circa collationis potestatem constituuntur gradus. Nam ad Episcopum alium Prælatum omnium quidem basilicarum, quæ in eius territorio positæ sunt, collationem ordinariam pertinet, vacaturam tamen præbendam suæ dispositioni reseruare non potest, c. 2. extr. de conces. præbend. & longè minùs in eadem basilicui ius tribuere. Legatus autem: non modò vacantes intra suæ legationis terminos Ecclesias conferre,

conferre, verùm etiam vacaturas reseruare poterit; licet eidem vacaturis alicui ius tribuendi nulla sit facultas. At Apostolicus & vbiq; vacantes donare, & vacaturas suæ prouisioni reseruare, & in vacaturis ius tribuere potest, cùm in ipso plenitudo resideat potestatis, c. 2. de prębēd. in 6. c. significasti, extr. de elect. &, c. proposuit, extr. de conces. prębend.

Quod Obiectum?

Beneficium à iure patronatus solutum, & per mortem, resignationem, translationem, beneficiati, vel alium quemcunque modum vacans, c. nulla Ecclesiastica, c. relatum, &, c. ex tenore, ext. eodem.

Quot modis Beneficium vacare dicitur?

Multis: 1. Morte ipsius beneficiati, c. 2. ver. ne desiderare quis mortem, extr. eod. 2. Renunciatione eius, qui illud fuerat assecut⁹, siue simplex sit renunciatio, siue permutationis causa facta, c. susceptum, de rescript. in 6. c. 1. extr. de rerum permutat. Est tamen distinguendum inter vacationem ob mortem, & resignationem, in hoc casu. Nam si Legatus vel Pontifex mãdet alicui beneficium per resignationem vacans conferre: si illud per mortem vacet, nõ debebitur, sed cessat mandatum, nisi aliam fuisse mandãtis intentionem ostendatur. At: si duo super eodem beneficio literas impetrent, & vnus per mortem, alter per resignationem beneficium vacare dicat, posterior si beneficium resignatione vacauerit, erit priori præferendus, d. c. susceptum, de rescrip. in 6. 3. Beneficium vacare dicitur, ob delictum: vt

si pœnæ causa ob delictum quis beneficio fuer priuatus, c.graue, extrà,de exceſſ. prælatorum. 4.Electione & ſecuta confirmatiõe. Nam ſi quis ad Epiſcopatum electus fuerit, & confirmationem acceperit electionis,beneficia quæ habeba mittit, c.cùm in cunctis, extr. de electionibus, &c. 5.Acquiſitione beneficij,curam, vel dignitatem annexam, habentis : ſiquidem cum quis beneficium aſſequitur,quod vel curam,habeat,vel dignitatem annexã, priùs beneficium ipſo iure vacat,cui vel cura animarum, vel dignitas inhærebat, extrauag. execrabilis, tit. de præbend.& Abb.in c. de multa, extra de præbend. 6. Translatione abſque Pontificis auctoritate facta : Epiſcopo enim ad aliam Eccleſiam relicta ſua, tranſeunte, eiusqúe poſſeſsionem adepto,prior eius ſedes,ac etiam poſterior,quam per ſuperbiam concupiuit,vacua fiet,c.quamuis extr.de translat. Epiſcoporum. 7. Negligens intra annum accipiendi ſacerdotales Ordines ab eo,cui parochialis Eccleſia collata eſt. Nam is,qui parochiam adeptus eſt, intra anni ſpatiũ curare debet,vt ad Ordines promoueatur:quòd ſi negligat,& annuus integer labatur, illa Eccleſia priuatur,nec poſt priuationem illa eidem conferri poterit,c. commiſſa, &, c.licet canon, de elect.in 6. 8. Per contractum matrimonium: qui clericus in Ordinibus conſtitutus, ſi matrimonium contrahat,nec ab eo ad admonitionem Ecclæ ſtam abſtinere velit,beneficij obtenti iacturam facit,gloſ.in c.1.extr.de cler.coniugatis.

Sunt & alij modi, quibus beneficia vacare dicuntur:qui breuitatis cauſa hic omittuntur. Cõ

ijdem

ijdem Canonicas sanctiones diligenter legentibus, facilè patefient.

Quæ forma conferendi Beneficia?

Vtis, qui conferendi potestatem habet, beneficium liberum, & vacans intra statuta Canonibus tempora, liberè, palàm, purè, & absq; diminutione aliqua conferat, ei, qui iure ipsum tenere non prohibetur. Ex quibus requisita necessaria collationum colligi possunt: 1. Ad collationem requiritur, vt collatio fiat ab eo, qui ius cõferendi habet. Ius autem conferendi habent, qui suprà enumerati sunt: vt Pontifex, Legatus de latere, Episcopus, Capitulum, & interdum alij Prælati. Pontifex non tantùm vacantes Ecclesias & præbendas de plenitudine potestatis cõfert, sed etiam in vacaturis ius tribuit. Legati sunt duplices, missi, siue nati, & legati de latere. Legati missi, vel nati, vigore suæ legationis non conferunt, nisi sibi specialiter cõcedatur: Legatis verò de latere, sine speciali concessione, etiam Ecclesiastico patrono inuito cõferendi facultas cõpetit, c. dilectus, ext. de off. leg. Episcopus & Capitulũ quãdoq; coniunctim, quandoq; separatim cõferunt, si communiter & cõiunctim, alter sine altero potestatem conferendi exercere non poterit, nisi in altero impedimentum subsit. Impedimentũ esse potest, vel mortis, vel suspensionis, vel maioris excommunicationis, c. vnico: ext. ne sede vacãte aliquid innouetur, & in 6. & Abb. in c. ex parte, ext. de constit. Cũ verò ad solũ Episcopũ, cum cõsilio sui Capituli prębendarũ spectat collatio, distingue. Aut Episcopus, iusto impedimẽto nõ

impeditur, & tamen per sex menses collationē differt: & ad Capitulum deuoluitur conferendi ius; aut ē rebus humanis eximitur, & tunc Capitulum se non potest intromittere, mora Episcopi mortem eius non præcedente: secus si præcederet, tunc enim conferret. Si autem ad Capitulum solùm collatio pertinuerit, & intra præscriptum terminum conferre neglexerit, Episcopus cum consilio religiosorum virorum, negligentiam Capituli supplebit. Quòd si & Episcopus negligens sit, Metropolitanus etiam absq; vlla cōtradictione disponet, c. ex parte, vbi Abb. extr. de concess. præbend. 2. Requiritur, vt beneficium sit liberum: nam si esset in alterius patronatu, & sic iuri alieno subiectum, nec liberè Episcopus de eo disponere posset, non haberet propriè locum collatio, sed institutio, suprà, toto titulo de instit. 3. Vt vacet beneficium: (quibus autem modis vacet, iam dictum est) vnde Generalium Concilio Lateranensi statuit, nec cōcedi, nec promitti, non vacantia beneficia posse, imò promissionem vacaturi beneficij esse ipso iure nullam, & institutum scienter in beneficium vitiosè deponendum esse, c. 1. c. 2. &, c. ex tenore, extra eodem. 4. Vt legitimo tempore collatio fiat. Est autem legitimum tempus sex mensium, intra quod Episcopus, vel Capitulum, conferre debet: quo elapso de Episcopo ad Capitulum, vel de Capitulo ad Episcopum, deuoluitur collatio. Et sciendum, quòd illud tempus à die vacationis incipiat, nec legitimè impedito currat, c. quia diuersitatem, c. nulla Ecclesiastica, extra eod. Quod tamen intelligitur de be-

de beneficijs vltra ſex menſes vacantibus: nõ autem Epiſcopatibus, qui intra tres menſes conferendi ſunt, c. dilectus, extr. eod. c. poſtquam, 50. diſt. &, c. ne pro defectu, ext. de elect. 5. Requiritur, vt collatio liberè fiat, non ob pecuniam, fauorem, conſanguinitatem, vel affinitatem, Sed ob vitæ merita, c. Moyſes, 8. q. 1. &, c. ſi quis præbendis, 1. q. 3. Vnde recenſet Hoſtienſis, cùm Eccleſia Argentinenſis, de beneficio conferẽdo tractaret, & quilibet nominaret nepotem, & ſibi ſanguinis neceſsitudine iunctum indignũ, quẽdam Romanum Canonicum, aſinum qui plùs minùs viginti annis Capitulo ſeruiuerat, nominaſſe, aſſerens ipſum aſinum, propter ſeruitia Capitulo præſtita, digniorem eſſe omnibus nominatis. 6. Palàm fieri debet collatio: aliàs enim fieri non poteſt, vt fraudis ſuſpicione careat, c. clericus ſolus, diſt. 81. 7. Requiritur, puram, & non ſub conditione, vel modo, conceptam eſſe collationem: Neque ipſam aliqua pactio, conuẽtio, vel promiſsio, præcedat, c. quàm pio, 1. q. 2. &, c. fin. extr. de pactis. Licet per reſcriptum Apoſtolicum collatio in diem, vel ſub conditione fieri poſsit, c. paſtoralis, 7. quæſt. 1. 8. Vt abſque vlla diminutione fiat. Quia Eccleſiaſtica beneficia abſque diminutione conferri debent. Non ab ipſo collatore pars fructuum & redituum retineri, vel ipſum beneficium inter duos ſecari, niſi neceſsitate & commoditate idipſum ſuadente, vt infrà, toto titulo, vt Eccleſ. benef. abſque diminut. conferantur, &, c. maioribus, extr. de præbend. & dignitatibus. 9. Requiritur, vt perſona, cui cõfertur beneficium, talis ſit, vt habere

collatum beneficium posit. Vnde suspensus, communicatus, pueri, & beneficiati, nō reputantur beneficiorū capaces, & idonei. Quia conferetur beneficiū, vt seruitiū præstetur: Sed excōmunicati à ministerijs sacris longè abscedere iubentur: pueris obstat iudicij tenuitas. Licet putat Hostiens. pueros arceri tantùm à dignitatibus, nō autem à beneficijs, cùm illos ordinari permittat, c. de his, 28. distin. Sed hæc ordinatio, de minoribus Ordinibus, qui absq; beneficijs quandoque cōferuntur, intelligi potest. Beneficiatus autem impedimento est seruiendi nexus, quo ipsi suæ Ecclesię sunt deuincti. Non debent igitur in alia Ecclesia idonei reputari, cùm eadem deseruire non possint, c. super inordinata, extr. de præbend. & dig.

An pluralitas Beneficiorum sit prohibita?

Sicuti in Republica benè constituta, ad decorem eius ampliandum diuersa officia omnes diuersis distribuuntur. Tunc enim Reipub. speciosa pulchritudo apparet, si quā plurimi functionibus publicis obeundis eius statum laudabili cōseruādo intendant: ita etiā Ecclesiastica officia, ob propagandū diuinum cultū, vnitatem Ecclesiæ conseruandā, à multis administrari debent: graduū enim & ordinū distributio Ecclesiæ vnitatē cōseruat, c. ad hoc etiā, 99. dist. Vtrobiū non sit, quin auaritia eorū in diminutionem cultus diuini, violationēq; Christianæ charitatis redundet, qui plura beneficia insatiabili cupiditate aggregāt, & acquirūt. Hac enim ratione cùm beneficiū Ecclesiasticū, sit ius recipiendi fi-

ctus

stentationē, ratione officij & seruitij, quod vna eademq; persona in vno vel diuersis locis p̄stare non potest, Ecclesia sancta, suo priuatur ministerio. Rectissimè igitur Canonistæ pluralitatē beneficiorū Christianæ reipublicæ animarūq; saluti, nō tātùm pernitiosam, verùm etiā rationi naturali, saluti Ecclesiæ, cōstitutionibus, sanctorumq; Doctorū & Pontificū decretis cōtrariam asserunt. Quod tamē distinctionē quandā patitur. Aut sunt beneficia suprema, dignitatē annexā habētia: vt sunt Episcopatus, Archiepiscopatus, &c. Aut duplicia & dignitates inferiores: vt sunt, p̄sonatus, & beneficia curā animarū habentia. Aut simplicia: qualia sunt omnia alia. in primi & secundi generis beneficijs hæc traditur doctrina, q̄ assumēdo secūdū beneficiū cū authoritate vel dispensatione Papæ, ipso facto vacabit primū, si sine authoritate, vtroq; carebit, c. quanto, ext. de transl. &, c. cōquerente, ext. de cler. non resid. solusq; Pōtifex in illis dispēsabit, nec consuetudo in cōtrariū valebit, c. de multa, extr. de præb. In simplicibus aūt beneficijs distinguitur: aut sunt cōpatibilia, qualia sunt (vt vocant) sine titulo, aliàs velut commēdata, ob quorū scilicet possessionē quis numero clericorū illi⁹ Ecclesiæ, in qua beneficiatus est nō adscribitur, c. 1. 21. q. 1. Et ex his nō vnū, sed plura iure cōmuni q̄s habere potest: nisi iure speciali, f. priuilegio statuto vel cōsuetudine q̄s prohibeatur. Aut nō sūt cōpatibilia, sed intitulata: vt sunt, Ecclesiæ rurales siue cura, vel præbendę alicuius Ecclesiæ collegiatæ, vel cathedralis, & in his, vt in alijs, beneficijs dignitatē annexam habentibus vel nō, hæc regula datur.

datur: Quòd nemo duas dignitates supremas inferiores, vel simplicia beneficia incompatibilia habere, vel retinere possit, Panorm. in c. dudum, extr. de præben. & glos. in c. dudum, extr. de elect. In tantùm, vt possidens vnum beneficium, ex quo vitæ sustentationem necessariam habeat, si aliud recipiat, mortaliter peccet, Panorm. in c. conquerente, extr. de cler. nó resident. & glos. in c. dudum, 2. de elect. in 6. Cùm enim titulus beneficij residentiam & seruitium requirat, c. 1. ex. de celebr. Miss. &, c. fin. de rescript. in 6. Siquidem datur beneficium, propter officium, nec possit clericus in diuersis locis residere & residendo seruire, patet ex consequenti, clericum possidens plura beneficia, contra Christianam charitatem auferendo victum alijs, diminuere cultum diuinum, & Ecclesiam debitis obsequijs fraudere, Panor. in c. dudum, extr. de præben. An autem Pontifex super pluralitate beneficiorum dispensare possit? Et eum ex iusta & rationabili causa posse, traditum est. Causa autem iusta est, nobilitas, & excellentia doctrinæ, vtilitate & necessitate Ecclesiæ hoc exigente. Nó enim nobili, quia nobilis est, velut alat canes, equos, accipitres, vel alia voluptati seruientia conferet. plura beneficia conferenda sunt: Nec vt docto, ob excellentem literarum peritiam, vita tam splendidiorem ducat, sed considerato bono publico, vt scilicet, vir illustris specimé vitæ spectatę ita edat, vt alij eius exẽplo permoti diuinum cultum sectentur ardentiùs: literatus autẽ non sibi, sed Ecclesiæ viuat, eiusq; vtilitatem, quantùm fieri possit, ingenij viribus adiuuet, augeat & pro-

& promoueat. Quibus non obseruatis, dubium non est, quin impetrata beneficia etiam ex dispẽsatione Pontificis, conscientiã impetrantis grauent, isq; Ecclesiastici patrimonij, in explẽda cupiditate surrepti, & impiè absumpti, quo indigẽtes animæ refocillari, vel alij diuino cului dediti & inseruientes ali possent, Deo Optimo Maximo sit rationem exactè redditurus, Panorm. in c. per venerabilem, extr. qui filij sint leg. & notatur in c. consequens, 11. quæst. 3.

Qui Effectus?

1. Est perceptio fructuum beneficij collati. 2. Quòd is, qui contulit beneficium, iure conferendi sit destitutus (quod ad collatũ beneficium attinet) nec possit alteri, primo non consentiente, idipsum conferre: etiamsi primus non acceptauerit. Nec sub illa cõditione expressa alteri collatio fieri possit. i. si primus non acceptauerit, c. 2. extr. de elect. c. 2. extr. de concess. præben. &, c. pastoralis, extr. de rescript. 3. Effectus est: quòd per collationem factam beneficiato amittatur prius beneficium ipso iure, c. de multa, extr. de præbend. & dig. 4. Acquisitio iurium beneficij collati, quæ vel per electionem vel collationem transferri solent, c. cùm dilectus, extr. de iure patro.

Quæ Cognata?

Prouisio, institutio, inuestitura, electio, translatio, postulatio.

Quæ Adiacentia?

Gratiæ expectatiuæ, rescriptum, personæ, præ-

præstantia, præsentatio.

Quæ Contraria?

Multiplicitas beneficiorum, vitium ipsius, cui beneficium confertur, temporis, intra quod collatio facienda, lapsus, adiectio conditionis in ordinaria collatione, promissio vacaturi beneficij, conferendi pactum beneficio vacante, simonia, diminutio beneficij conferendi, suspensio, excommunicatio, pupillaris ætas, ambitus, beneficij de facto occupatio.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Si ad Capitulum & Prælatum, vt Prælatum potestas conferendi pertinet, de vno ad alterum, lapsu temporis non transit conferendi ius: secus si Prælatus, vt Canonicus potestatem conferẽdi habet, tunc enim Capitulo per negligentiam non conferente, collatio ad Prælatum deuoluitur, c. postulastis, extr. eod.

Promissio beneficij vacaturi non valet, c. ex tenore, eod.

Habens potestatem conferendi eandem potestatem conferendi beneficium primum, quod vacabit alteri videre potest, c. constitutus, extr. eod.

Receptio in Canonicum consensu Capituli tenet. Capitulum prouidere, quam primùm facultas se obtulerit, c cùm super, ext. eod.

Beneficia vacantia concedi, vel promitti non debent: & cùm vacauerint, concedi debent, intra sex menses, quibus elapsis de Episcopo ad Capitulum, & econtrà

econtrà deuoluitur collatio, c. nulla, extr. eod.

Si Episcopus & Capitulum habeant potestatem conferendi coniunctim, non potest vnus sine altero nisi in vno subsit impedimentum, conferre, 13. quæst. 2. in princip.

Obstat taciturnitas obtenti beneficij etiam modici, nisi prouisio sit facta motu propvio, c. non potest, de præbend. in 6.

Collatio facta, motu proprio pluribus beneficijs in eadem Ecclesia simul vacantibus, intelligitur facta de pinguiori, si beneficia sint æqualia: ad eũ spectat electio, cui gratia est concessa, c. super, extr. de testibus.

Collatio facta ad petitionem alterius ad minus beneficium restringi: Et si sint æqualia, eligit, qui aliàs conferebat, c. in obscuris, extr. de re iud.

Licet collatio beneficij vacaturi non subsistat, tamen Pontifex in beneficijs vacaturis ius tribuit, c. 2 c. relatũ, &, c. ex tenore, extr. de conces. præbend.

Si clericus, cui mandatur prouideri de beneficio vacaturo, negligat petere præbendam: non poterit postea aliã petere, nisi fuerit in canonicum receptus, c. si clericus, de præbend. in 6.

Habens gratiam exspectatiuam, potest acceptare beneficium vacaturum primum vel secundum: certum tamen acceptare non potest, c. 2. extr. eod & , c. detestandæ, &, c. de captandæ, de conces. præbend. in 6.

Rescripto Apostolico dispensatur, super pluralitate beneficiorum: maximè circa sublimes & literatas personas, c. de multa, extr. eod.

Expressio eius, quod tacitè inest, nihil operatur: nisi

Nisi per alium modum, quàm quo tacitè inest ius facta expressio, c. constitutus, ext. de rescriptis.

Mandati Apostolici fines sunt diligenter custodiendi: nec extenduntur, nisi ad casus expressos, etiam dato sensu & in præiudicium prouisi, c. cùm dilecta, ext. de rescriptis.

NE, SEDE VACANTE, A liquid innouetur.

Titulus IX.

Continuatio.

SEde vacante, collationis potestas non devo-uitur ad Capitulum, nisi Episcopus cùm epi-scopalia iura teneret in conferendo negligentiam vel moram commiserit. Quia, sede vacante, Capitulum vice Episcopi non fungitur, nihil igitur per Capitulum, nisi specialiter concessum fuerit, statui debet, c. illa deuotionis, extr. eod.

Quæ Sedes vacare dicitur?

Sedes vacare dicitur, cùm Episcopatus, vel alia dignitas iurisdictionem annexam habens, suo antistite priuatur, c. 1. extr. eod.

Quot modis Sedes vacare dicitur?

Duobus verè & interpretatiuè. Verè, vt per mortem vel renunciationem antistitis. Interpretatiuè verò, per hæresim suspensionē, vel excommunicationem eiusdem Episcopi vel Prælati, c. 1. extr. de parœcijs, c. 1. extr. de præscriptio.

Qui

Quæ causa Efficiens; vel sine qua non?

Mors, renunciatio, translatio Episcopi vel Prælati, & censura Ecclesiastica, qua ipse notatus est.

Quod vacationis Obiectum?

Episcopatus, aliaq; dignitas iurisdictionem annexam habens, quæ antistite suo destituitur.

Quæ Forma?

Vt, vel mortuo antistite verè, vel eiusdem suspensione, vel excommunicatione interpretatiuè sedes vacet, vel eam antistes, vel per resignationem, vel inconsulto Superiori per transitionem ad aliam factam: prorsus dereliquerit, nec alius eius possessionem sit ingressus, c. non liceat, ext. de cler. non residentibus.

Quis Effectus?

Quòd, Sede Episcopali vacante, non tenet, quicquid fit de bonis vel causis Episcopatus. Quia Ecclesia fungitur vice minoris, c. 1. ext. de in integr. rest. c. si qua de rebus, 12. q. 2. c. sicut nostris, extr. de iureiu. Ideò, Sede vacante, iudiciũ habitum contra Ecclesiam reuocatur, c. fin. extr. eod. Nec obstat: quòd Capitulum Episcopo demortuo, vel excommunicato, vel alio modo, Sede vacante, succedat in causis audiendis, delegationibus, &c. Hoc enim tantùm restringitur ad casus in c. ad abolendam, extr. eod. comprehensos: Vt si non contra Ecclesiam, sed pro Ecclesia eiusq; iuribus tuendis iudicium instituatur, d. c. ad abolendam, &, c. vlt. dist. 65.

Sede igitur vacante in præiudicium eligen
nisi aliquo iure inueniatur concessũ: nihil pr
sus est innouandum, vel de iuribus episcopa
bus statuendum: ita, vt nec beneficia ad collatio
nem Episcopi, vel Prælati spectãtia, possint pe
Capitulum conferri, c. illa deuotionis, extr. n
Nec, bona causæ & negotia Episcopatus disp
ni & administrari: Vbi tamen necessitas vel u
litas exposcit, potest cõstitui visitator vel pro
rator, qui causas & negotia Episcopatus pro
ueat, c. obitum, dist. 51. &, c. constitutũ, 7. q. 1.
autem, vacante Ecclesia, Capitulum possit abs
uere, quos Episcopus viuẽs excõmunicauit
spondetur, quòd sic propter periculũ anim
arg. c. cũ olim, extr. de maio. & obed. Nec obst
quod dicitur, non transire ad Capitulũ, nisi q
sibi specialiter sunt concessa. Cùm enim spec
ter sede vacante, Capitulo condemnatio
datur, multò magis absolutionẽ cõcedi
bit. Qui enim potestatẽ condẽnandi, m
gis absoluẽdi habet, c. ad abolendã ext. de

AXIOMATA.

Sede vacante, status eius mutari non debet, c.

Vnio Ecclesiarum, sede vacante, per Capitulum
debet, d. c. 1. extr. eod.

Sede vacante, iudicium contra Ecclesiam ha
aliq; actus iudiciales nullum firmitatis robur hab
constitutus, extr. eod.

Nusquam inuenitur cautũ iure, quòd Capitulo
cante Sede, fungatur vice Episcopi, in collationib
bendarum: Nõ enim potest dici potestas conferen
bendas ad Capitulũ per Superioris negligentiã d

ta: Cùm nõ fuerit ibi Superior, qui eas posſit de facto vel de iure conferre, c. illa deuotionis, §. nõ obſtante, ext. eo.

Ceſſante cauſa, ceſſat effectus, a g. d. c illa deuotionis, extr. eod.

Capitulum non fungitur vice Epiſcopi, niſi in caſibus iure expreſsis, Abb. in d. c. illa.

Vacante ſede, licet iudicium contra Eccleſiã acceptum non valeat, valet tamen iudicium contra alios, pro tuendis Eccleſiæ iuribus ſuſceptum iudicium, c. ad abolendam, extr. de hære.

DE HIS, QVAE FIVNT A Prælato ſine conſenſu Capituli.

Titulus X.

Continuatio.

QVæcunque Prælatus cum Capitulo communia habet, abſq; eius conſenſu, ea tractare, pro libitu non poteſt. Vnde poteſtas cõferẽdi, ſi vtriq; cõmunis ſit, alter ſine altero, illã exercere nõ poterit. ſuprà. ne ſede vacan. aliquid &c. Quæ iuris diſpoſitio, nõ tãtùm in beneficiorum collationibus locum ſibi vendicat, ſed etiã in acquiſitionibus obligationũ, alienationibus poſſeſsionum rerumq; Eccleſiaſticarum, deminutionibus, & vnionibus, & Eccleſiarum diſpẽſationibus, actibus iudicialibus: vt ſunt, iuramẽta, confeſsiones, litis conteſtationes, &c. Vel actibus extraiudicialibus: vt ſunt, omnes contractus, vel quaſi contractus, ſcilicet emptio, venditio, locatio, cõductio, emphyteuſeos cõſtitutio, aliiſq; omnes, quibus alienatio, vt iuſto titulo,

innititur. Denique etiam delictis, vel quasi delictis attenditur, c. 1. c. tua nuper, extr. eod. & Hostiens. §. in quibus, hoc tit. In alienationibus tamen ad tempus factis per Prælatum taciturnitas Capituli, pro cõsensu habetur: & proculdubio ratihabitio postea subsequatur, cõsensus ab initio accessisse videbitur, c. 2. &, c. 3. ext. eo. In rebus tamen modicis, & inutilibus alienandis, nec nõ seruis fugitiuis, expressus, vel etiam tacitus Capituli consensus non desideratur, c. terrulas, 12. q. 2. &, c. casellas, 10. q. 2.

DE HIS, QVAE FIVNT A maiori parte Capituli.

Titulus XI.

VIce versa, Capitulum, licet habeat res & negotia Ecclesiastica administrandi & tractandi potestatem, non tamen adeò liberam, vt in ijs, quæ vel incremento, vel damno Ecclesiæ cedere possint, Episcopi, vel Superioris prælati non requirat consilium & authoritatem. Si igitur in rebus Ecclesiæ constituendis collegiati clerici in diuersas eant sententias, quod maior pars statuit, nisi minor ex euidenti ratione contradicat, amplectendum est, c. 1. & 2. extr. eod.

Maior pars autem attenditur non tantum circa numerum, verùm etiam circa iudicij & mentis integritatem, c. sicut in electionibus, extr. de electionibus. Vnde maior etiam dicitur pars, quæ maiori nititur ratione, c. sana, dist. 3 &, c. multi, dist. 11. Sciendum etiam, etsi maior pars

pars propriè sit, quę sanior & numerosior: tamē si plures vnanimiter consenserint, & alij numero pauciores contradicant, eousque pro maiori numero præsumitur, donec contrarium probetur: minor igitur pars iustam contradicendi rationem allegans auditur: quam si coram Superiore probauerit, eius sententia, quasi sanior & vtilior, etiam maioris partis opinioni præualet, c. dudum, extr. de elect. c. illud, 23. distinct. c. interposita, c. constitutus, &, c. vt debitus, extr. de appellat.

VT ECCLESIASTICA BENEficia sine diminutione conferantur.

Titulus XII.

COncilio Lateranensi prohibitum est, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficiū, partem prouentuum suis vsibus retinere præsumat: quia beneficia Ecclesiastica, absq; diminutione sunt conferenda. Quod tamen ita distinguendum censet Innocentius III. c. vnico, §. vnde credimus, extr. eod. Aut collator percipit fructus ante collationem: aut post. Si post, dubium nō est, quin simoniaca prauitas intercedat: si verò ante collationē percipiat prouentus, distinguitur: vtrùm ante donationem constituat, vt ipsi prouentus retineātur ad tempus, pro causa iusta & necessaria: aut conueniat cū eo, qui accepit beneficium, seu cum mediatore quocunq;, vt officio illo concesso retineat ipse sibi prouen-

tus.primum,inquit Innocentius,licitum est.alterum,ne via cõmuni cõmittendæ simoniæ aperiatur,prohibetur, d.c.vnico,ext.eo.c.prohibemus,ext.de censib. Pari ratione Tutonensi Concilio cautũ est,ne beneficia conferenda diuidantur,c.maioribus,extr.de præben.nisi præbenda adeò diues sit,vt eius annui reditus plurium sustentationi sufficiant,c.vacante, extr. de præb. Aliàs nec electio duorũ, vel pluriũ, ad vnã præbendam,vt,ea dissecta,fructibus in pares portiones potiantur,vel alter exspectet,donec aliàs vacabit,iure subsistere poterit,c.maioribus,ext.de præbend.& ibi per Abba.& alios Dd.

DE REBVS ECCLESIAE A
lienandis, vel non,
Titulus XIII.
Continuatio.

ALienatio rerum Ecclesiasticarum regulariter interdicitur:siue Prælatus,siue Capitulum,siue quidam ex Capitulo,siue Prælatorum authoritate,res Ecclesiæ distrahant,tantùm,vt alienatores,nisi res restituantur,excommunicationis sententiam incurrant,vt quis, ext.eod. Possunt tamen ex causa alienare, vt infrà patebit.

Quid est Alienatio?

Alienationis vocabulum est generale, continens omnes actus,quibus rerum dominia transferuntur,l, alienatus,ff,de verb.sign.

Qui-

Quotuplex Alienatio?

Duplex, propria & impropria. Propria dicitur, actus, quo dominium tam directum, quàm vtile, transfertur. Sic accipitur in l. alienationis, &, l. alienatum, ff. de verbor. signifi. Impropriæ alienationis appellatione continetur actus, quo non directum dominium, sed vtile, vel ius aliquod in re constituitur. Vnde alienare etiam dicitur, qui bona sua in emphyteusin concedit: vel qui in ijs ius hypothecæ constituit, l. sancimus, C. de reb. alien. non alienan. Accipitur igitur hoc titulo generalissimè, vt tam ad translationem, dominij, quàm iuris alicuius constitutionem referatur. Dicitur enim in c. nulli liceat, extr. eod. alienationis verbum continere venditionem, permutationem, hypothecam, donationem, conductionẽ, emphyteusin, & omnem conuentionem, per quam dominium transfertur, Abb. in c. 1. de his, quæ fiunt à Pręla. sine consen. Cap. & Paulus II. in extrauag. ambitiosæ, eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, Episcopi authoritas, accedente maioris & sanioris partis Capituli consensu, vel etiam interdum Summi Pontificis consilio, & econtrà, c. alienationes, &, c. monemus, 12. quæst. 2.

Quod Subiectum?

Pontifex, Episcopus, Capitulum; quilibet Prælatus, & Collegium.

Quod Obiectum?

Quæuis res Eccleſiaſtica, mobilis, ſiue immobilis, cuius alienationem vtilitas, vel neceſsitas, vel quæcunq; alia iuſta cauſa ſuadet, c. aurum, c. terrulas, c. Apoſtolicos, 12. q. 2.

Quæ Forma?

Hodiè de iure Canonico alienatio rei Eccleſiæ requirit aliam ſolennitatẽ, quàm quæ inducta eſt iure ciuili, per auth. hoc ius porrectũ, de ſacroſanct. eccleſ. Cùm requiratur forma tradita in c. ſine exceptione, 12. q. 2. & in c. 1. cum glo. de reb. eccleſ. non alienan. in 6. teſte Bart. in d. auth. hoc ius porrectum. Scilicet, vt conſenſu totius cleri, vel maioris & ſanioris partis, vel Epiſcopi authoritate, accedente ſummi Pontificis authoritate, & Capituli conſenſu, eorundemq; ſubſcriptione, rei Eccleſiaſticę alienatio, ob legitimam cauſam fiat, ſitq; ea Eccleſiæ vtilis, & non damnoſa. Ex his nota, ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiſita: 1. Enim requiritur conſenſus totius Capituli, & dicitur conſenſus totius Capituli, ſi maior & ſanior clericorum ſententia acceſſerit, c. Eccleſiæ, extr. de elect. c. donationes, 12. quæſt. 2. 2. Eiuſdẽ Capituli prohibitus tractatus, inſtrumento deſuper, per tabellionem confecto, & ſubſcriptionibus confirmatus, c. non liceat, 12. q. 2. &, c. 1. eo. tit. in 6. c. ius exceptione, 12. quæſt. 2. Dd. in l. iubemus, §. œconomus, C. de ſacroſancta Eccleſ. 3. Quòd alienatio rei Eccleſiaſticæ fiat ab Epiſcopo, eius authoritas non ſufficit: niſi acceſſerit Summi Pontificis licentia, & Capituli conſenſus, c. 2. eod. tit. in 6.

in 6. nisi res sint modicæ & exigui præcij, vel necessitas alienationem suadeat, c. terrulas, 12.q.2. 4. Requiritur, vt res ad Ecclesiam pertineat, nam si alterius esset, alienatio non subsisteret. Nec interest, an sit res mobilis, vel immobilis, temporalis, pro sustentatione clericorũ desti nata, an sacra: quia etiã ob summã pietatẽ & necessitatem, tempore videlicet famis, & pro redemptione captiuorum, vasa sacra alienari possunt: sacra enim Ecclesia aurum, testante Ambro sio, in libro de Offi. non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus, c. aurum, &, c. Apostolicos, 12. quæst. 2. 5. Requiritur, vt legitima vel probabilis alienationis causa subsit. sunt autem variæ alienandi causæ probabiles: prima causa necessitatis: vt si ære alieno ita sit grauata Ecclesia, vt illi distrahendo fructus vel reditus non sufficiant, c. hoc ius, porrectum est, 10. quæst. 2. 2. causa pietatis, vt pro captiuis redimendis, vel succurrendo, indigentiæ & calamitatibus pauperum, tempore famis, c. cùm redemptor, 12. quæst. 2. c. gloria, & d. c. aurum, 12. quæst. 2. 3. causa vtilitatis: vt si res distrahantur, quæ seruando seruari non possunt, vel si eæ magis oneri sint Ecclesiæ, quàm emolumẽto, vel si vineæ, agri, & huiusmodi generis possessiones, sint nimis procul sita, nec possit Ecclesia eacommodè colere, hac ratione alijs vel ad tempus locari, vel in perpetuam emphyteusim concedi, vel si potiùs Ecclesiæ expediat, distrahi possunt, c. sine exceptione, 12. q. 2. c. ad aures. ext. eod. c. terrulas, 12. q. 2.

Quæ causa Impulsiua?

Necessitas, pietas, vtilitas, maxima incommoditas, & æquitas.

Quis Effectus?

Si alienatio ex iusta causa fiat, est translatio dominij, vel constitutio iuris, ex quo possidet rem Ecclesiasticam, actio & exceptio ex multis & varijs causarum figuris proficiscentes conceduntur. Quòd si autem nulla alienandi probabilis causa subsit, vel forma superius tradita seruata non sit, vel Ecclesia enormiter læsa sit, effectus est, in integrum restitutio, qua alienatio celebrata rescinditur, c. 1. &, c. ad nostram, extr. eod. Qua tamen rescisione opus non est, si læsio in præcio enormissima fuerit, est enim ea casu ipso iure alienatio nulla, c. cùm dilecti, ex de empt. & vend. Pœna absque consensu alienantis est, vt officio priuetur, deponatur, & omne damnum ob id Ecclesiæ illatum reparare compellatur, c. monemus, 12. q. 2. &, c. omni, ead. quæst. eandemque pœnam patiatur laicus iniustè subscribens, c. si quis, extr. eod. &, c. quod sicut, extr. de electio. Pœna autem recipientis est, vt rem Ecclesiasticam restituat integram cum omnibus fructibus perceptis: nec possit ab Ecclesia precium solutum repetere, cum ipsi, siue sit bonæ fidei, siue malæ fidei possessor, aduersùs alienantem conceditur regressus, c. hoc ius porrectum, 10. q. 2. c. ad aures, extr. eod. &, c. vulterano, 12. q. 2.

Qui

Quæ Cognata?

Occupatio: ſicuti enim occupatio res nullius ſubijcit alicuius dominio: ita etiã alienatio ex ſumma pietate & neceſsitate facta res ſacras (quę nullius etiam eſſe dicũtur) alterius dominio addicit, inſt. de rerum diuiſ. Res iudicata, tranſactio, ſecuta traditione, præſcriptio. vix enim eſt, vt inquit Paulus, l. alienationis, ff. de verb. ſig. vt non videatur alienare, qui patitur vſucapi.

Quæ Pugnantia?

Enormis læſio Eccleſiæ, error vel ignorantia Capituli, vel Epiſcopi, ſimulatio contractus, cui alienatio nititur, dolus contrahentium, defectus legitimæ cauſæ, ſacrilegium, furtum, violenta inuaſio, illicita vſurpatio, c. prædia, c. de viro, c. de rebus, c. precariæ, c. ſicut, c. nõ habẽti, 12. q. 2.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Alienatio rerum Eccleſiaſticarum iure non ſubſiſtit, & alienatores, niſi rem reſtituant, excommunicantur, poteſtque quilibet clericus contradicendo ipſam rem alienatam cum fructibus repetere, c. ſi quis, extr. eod.

Si Eccleſia enormiter fuerit læſa, exemplo minoris, ipſi in integrum reſtitutio conceditur, c. ad noſtram, extr. eod.

Alienatio rei Eccleſiaſticæ, ſine legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu, non tenet, licet approbetur, per conſtitutionem laicorum, c. cum laicis, extr. eodem.

Cui po-

Cui potestas rei alicuius disponendæ conceditur, non ipsam distrahere vel dilapidare, non debet, c. cæsus, 10. quæst. 2.

Alienatio, quæ cedit in detrimentum Ecclesiæ, nullius est momenti, c. ea enim, 10. q. 2.

Qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, fraudat et rapit, vt homicida in conspectu iudicis reputabitur, qui Christi, 12. q. 2.

Summū in rebus bonum est, iustitiā colere, ac suaque iura seruare, & in subiectos non sinere quod potestatis est fieri, sed q̄ æquū est custodire, c. si seculi, 12. q. 2.

Vasa sacra pro redemptione captiuorum licitè alienantur, c. & sacrorum, &, c. sacrorum, 12. q. 2.

Aurum habet Ecclesia non vt seruet, sed vt egenis subueniat in necessitatibus, 12. q. 1. c. aurum.

Ex causa necessitatis vel vtilitatis rerum Ecclesiasticarum alienatio cōceditur, c. sicut, &, c. terrulas, 12. q. 2.

DE PRECARIIS.

Titulus XIIII.

Continuatio.

EX modis alienandi videtur esse præcariū. Cessio. Quia non tantùm dominij alienationem, verùm etiam contractus; quibus quis res alteri cōceditur, vel ius in ea constituitur, comprehendit. Ideò non tantùm permutans, vendens alioq; modo dominium transferēs, sed & is, qui hypothecæ vel pignori dat, vel rem vtendā alteri permittit, quodāmodò alienare dicitur, c. nulli, extr. de reb. Eccles. &, l. sancimus, C. de reb. alie. non aliena. Qui

Quid est Precarium?

Precarium, teste Vlpiano, est, quod precib⁹ vtẽ dum petenti, conceditur, tamdiu, quoad is, qui concessit, patitur, l. 1. ff. eod. &, c. 3. extr. eod.

Quomodò differunt Precarium, Precaria, & Precariæ?

Precaria, quam Iustinianus in Nouel. 7. et 120. vocat vsusfructus concessionẽ, est tẽporalis quę dam præstatio, quæ ab Ecclesia conceditur homini vsq; ad mortem. Et, cùm sit personalis, nõ trãsit in hæredes, nec pro concedentiũ voluntate vt precariũ reuocatur. Nisi irrationabiliter, et in detrimentũ Ecclesię sit facta, c. de precarij, 10. q. 2 Quomodò autem hic precarię contractus constituatur? vide c. præcariæ, 10. q. 2. Præcariæ autem est contractus, qui vltra vitam accipientis protẽditur & in hæredes transit: ita tamen vt de quinquennio in quinquennium, secundùm authoritatem & antiquam cõsuetudinem renouetur. De quo habetur in c. 1. extr. eod. &, c, precariæ, 10. q. 2. & apud Hostiens. in §. Re magis, hoc tit. &, c. fi. extr. eod. Precarium autem vtendũ conceditur, quandiu patitur qui concessit. Et licet soluatur obitu eius, qui concessit, non tamen obitu concedentis: nisi concedere vlteriùs noluerit, c. precarium, extr. eod. quo à precarijs differt, quę quã doque de Ecclesiarum possessionibus fieri solẽt: Et non sunt pro voluntate concedentium reuocandæ, d. c. precarium, §. porrò, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Est ius gentium causa remota, sed propinqua

est

est, voluntas concedentis, siquidē precariū, iura voluntatē concedentis regulatur; tamdiu.n. vō dū videtur concessum, quandiu is, qui concessit, voluerit. quod genus liberalitatis ex iure gentiū descendisse, testatur Vlp. in l. 1. ff. eod. Est enim natura æquum tamdiu te liberalitate mea vti, quā diu ego velim: & vt possim reuocare, cùm mutauero voluntatem, l. 2. ff. eod.

Quæ causa Procatarctica?

Petitio vel preces petentium precariū. Habere .n. precario videtur, qui possessionē vel corporis, vel iuris, adeptus est: ex hac solummodò causa, quòd preces adhibuit, et impetrauit, vt sibi possidere vel vti liceat, l. ait prętor, §. habere, ff. eod.

Quæ Materia?

Res mobiles, immobiles, corporales & incorporales. Quia precario habere etiam ea, quæ in iure cōsistunt, possumus: vt sunt seruitutes, & alia, l. & habet, l. veluti, &, l. in rebus, ff. eo. Sed in re propria precarium non consistit, l. 4. ff. eo. quantum ad proprietatē, sed quantū ad vsum possessionis seu detentionis benè cōsistit: vt si rem meam habeas obligatā, l. certè, §. fin. &, l. si debitor, ff. eod.

Quæ Forma?

Vt concedens, retento directo dominio, alia certi temporis præfinitione, per epistolam, nuncium, vel coràm permittat petenti, rei alicuius, mobilis, immobilis, corporalis, vel incorporalis possessionē & vsum non quidē certum sed incertū. pręcarium. n. vel inter præsentes, vel inter absentes, veluti per epistolam vel nunciū, constitui potest, absq; certo tempore, sed quandiu is, qui con-

concedit, voluerit. Si tamẽ de certo tẽpore inter contrahentes conuentũ fuerit, illud tempus attenditur. Cùm ex conuentione partium contractus legem accipiant: modò intelligamus, si finito tempore, dominus patiatur accipientẽ posſidere, quòd rurſus videatur precario concedere, l. in rebus, §. item qui, ff. eo. Secus in cõtractu precario, quo cõuentionis genere res immobilis ſub annua penſione in perpetuũ, vel ad certum tempus, cõceditur, cum pacto renouationis, de quinquennio in quinquenniũ, aut aliud tempus ſecũdùm morem conuentionis, c. 1. &, c. fin. extr. eod. c. precariæ, 1. & 2. 12. q. 2. & Panor. in d. c. 1. extr. eod. Nec precarij conſtitutione proprietas, ſed tãtùm vſus ipſius rei & poſſeſsio, vel quaſi, trãsfertur, l. precario conceſsio, l. ait prætor, §. habere in verb. qui poſſeſsionem, ff. eod.

Quis Finis?

Vt communicato rerum vſu cõmunibus vitæ neceſsitatib⁹, in hac ciuili ſocietate ſubueniatur.

Quis Effectus?

Effectus eſt, vt ait Vlp. in l. 2. ff. eod. interdictũ de precario, quod reſtitutorium eſt, & naturalẽ habet in ſe æquitatem, & condictio incerti, hoc eſt præſcriptis verbis actio, quæ ex bono & æquo in perpetuum datur ei, qui precario cõceſſit, ſiue domino, ſiue non domino, eiusq; hæredibus, aduersùs eum, qui precariũ habet, id eſt, detinet, eiusq; hæredes. Quia actio eſt rei perſecutoria in id, vt res reſtituatur, aut ſi res reſtitui nequit, fiat condemnatio in tantùm, quanti Actoris intereſt, rem reſtitui, cum omni cauſa, poſt litem conteſtatam, l. quæſitum, ff. eo, &, l. 2. C. eo.

Quæ

Quæ Affinia?

Mutuum, donatio, commodatum, depoſit. emphyteuſis. Conuenit enim precarium cũ mutuo, donatione, & commodato. Quia genus liberalitatis eſt, d.l.1.ff.eod. Diſtat aũt à donatione, mutuo. Quia hæc dominiũ transferunt ad illum, non dominium, ſed vſum, vel poſſeſsionem, tra fert. Et quod precario datum eſt, repeti potest: cet donatio traditiõe perfecta reuocari nequeat, l. repetendi, C. de donat. ob cauſam. Et quamuis in his cum commodato conueniat, differt tamẽ ab eo: quia commodatum ciuiliter obligat, si ad certum vſum, certumq; tempus, vel expreſſum vel tacitum, datur: precarium autem neque ad certum vſum, neque ob certum tempus præſtatur. Diſcrepat & alio modo: qa in cõmodato, dolꝰ, culpa, & cuſtodia, venit, in precario aũt dolus & lata culpa tãtùm: in quo precariũ cum depoſito conuenit, cùm depoſitarius de dolo & lata culpa tantùm teneatur; imputet enim ſibi deponẽs, quòd res ſuas penes parùm diligẽtem depoſuerit, Dd. in l. quod Nerua, ff. depoſit. §. 1. de cõmodato, &, c. bona fides, extr. de depoſit. Cùm precarijs etiã cõmune quid habet emphyteuſis, quo ad vtilis dominij translationem. Nec ab emphyteuſi contractus hic aliter differre videtur, quàm quòd in precarijs ſemper præſumitur de renouando, de certo tempore in tempus. Et hoc ideò, ne temporis diuturnitate cõtractus memoria pereat, c. lõginquitate, 12. q. 2. & Panor. in d.c.1. extr. eod.

Quæ Adiacentia?

Beneuolentia concedentis, petitio accipiẽtis, &

legitima cõcessionis ratio, c. de precarijs, ext. eo

Quæ Pugnantia?

Mutata voluntas domini, nolentis rem vlteriꝰ precario concessam esse, mors eius, cui cõcessum est: non autem concedentis. Alienatio facta per accipientem, absque domini consensu, c. fin. ext. eodem, l. cum precario, ff. eod.

DE COMMODATO.

Titulus XV.

Continuatio.

DIscrepat commodatũ à precario: quòd hoc ad incertum vsum & tempus regulariter cõceditur, illud autem ad vsum & tempus certum. Quæ si secundùm conuentionis legem à commodatario non fuerint obseruata, furti delictum committitur, l. cum precario, ff. eod. &, §. furtum autem, insti. de oblig. quæ ex delicto nascuntur.

Quid est Commodatum?

Commodatum est contractus, qui re contrahitur, & dicitur alicuius rei ad certum vsum gratuita facta concessio, vt eadem species, & nõ alia eiusdem generis nobis reddatur, l. rei commodatæ, ff. eod.

Vnde dicitur Commodatum?

Commodatum dicitur, quasi commodo vtentis datum: vnde si intempestiuè reuocetur, tenetur reuocans contraria commodati.

Quæ est causa Efficiens?

Contrahentiũ consensus & interuẽtus rei: vnde, qui legitimũ consensum accõmodare nõ possunt, nequaquã cõmodati tenẽtur, nisi quatenus facti sunt locupletiores, l. 1. 2. & 3. ff. eo. Ecclesiasticę etiã personæ, quibus administratio cõmittitur, ideò cõmodare possunt: quia tenẽtur pro vt possunt necessitatibus hominum subuenire. Hostiens. in tit. de postul. §. quid pertinet, vers. idem honor. Itẽ fur & prædo, l. ita & fur, ff. eo. Rei interuẽtus etiã dicitur causa efficiens. Quia hic cõmodati cõtractus rei interuẽtu perficitur, & ideo is cui, instit. quibus modis re contra. oblig.

Quæ Materia?

Res mobiles, immobiles, se mouẽtes, & res, quæ in iure consistunt, vt seruitutes. Excipiũtur res, quæ in genere functionem recipiunt, & ipso vsu consumuntur, in quibus non cõmodatur, quod tantùm vsum rei cõmodatæ, salua eius substantia, præbet, sed mutuum consistit, nisi fiat ad sæpam, & ostentationem: vt si quis commodato accipiat pecuniam non vt consumat, sed vt appareat diues, l. 3. §. fin. ff. eod.

Quæ Forma?

Vt res cõsistens in specie, vel iure pręscripto, certo fine, & modo vsus, ad certum tẽpus gratuitò vtẽda tradatur: ita, vt dominiũ & possessio apud commodantẽ remaneat, d. l. 3. ff. eo. l. rei, ff. eod.

Quis Finis?

Finis est, ipse vsus, cuius gratia res cõmodata est, c. vnico, ext. eo. Dein: vt eo cõmodatarius adiuuetur, cũ nõ decipi nos beneficio, sed adiuuari opor-

oporteat, vt ait Gregorius IX. in d.c.vni.ext.eo

Quis Effectus?

Actio commodati, quæ duplex est, directa & contraria. Directa datur commodanti. & eius hęredibus contra commodatariũ, & eius hęredes, qua petit restitutionẽ, non tantũ rei cõmodatæ, verùm etiã, omnium accessoriorũ, & quicquid ex re fructus, vtilitatisq; quocunq; tempore obuenit, l. si vt certo, §. vsqueadeò, ff. eod. Quę si nõ restituuntur, iuratur cõtra contumacẽ in litem, vt in cęteris bonæ fidei iudicijs, l. 3. ff. eod. contraria aũt datur commodatario, eiusq; hæredibus, contra cõmodantem, & eius hęredes, ex triplici capite. Primò, si eũ impediat vti re commodata, vel ante vsum expletum, vel tempus præfinitũ eam auferat, l. in cõmodato, & l. rem mihi, ff. eo. Secũdò, si ob vitiũ rei, quod cõmodator celauit damnum passus fuerit: vt si vasa vitiosa, in quibus vinum infusum corrumperetur, commodauerit, l. in rebus, §. possunt, ff. eod. Tertiò, si sumptus in re cõmodata fecerit, vltra q̃ ipsũ sufferre dictãte naturali ratione oporteat, d. l. in rebus, §. possunt, ff. eod.

Quæ Affinia?

Mutuũ, & precariũ. Quomodò precariũ à cõmodato differat? superiori titulo dictũ est. Nũc quomodò à mutuo distet: videam⁹: 1. Distãt quòd mutuũ tantũ in rebus fungibilibus, cõmodatũ aũt in ijs, q̃ vsu nõ consumũtur, cõsistãt. 2. Quòd in mutuo transferatur dominiũ, l. 2. ff. si cer. pet. Rei verò cõmodatæ dominiũ & possessionẽ retineamus, l. rei commodatæ, &, l. seq. ff. eod. 3. Rẽ mutuo dam⁹, vt nõ eandẽ sed aliã eiusdẽ generis

consequamur: Commodato, vt eandé. 4. Mutuatario res perit: quia dominus est, Dd. in l. nõ omnis, ff. si cer. Nec casu fortuito liberatus, l. incendium, C. si cert. petatur. Commodatarius autem vim maiorem, quam Græco θεῖα βία appelant, nõ præstat. Nec interitum, vel damnum rei casu fortuito contingens, l. ad eos, l. argentum, ff. eod. dé modò nõ ipsius culpa casus interuenerit, vel per pactum in se non receperit, vel in mora non fuerit, vt ait Gregorius IX. in c. vnico, extr. eod.

Quæ Adiacentia?

Culpa latissima, lata, leuis, & leuissima. Ac commodatarius etiam de leuissima culpa tenetur, cum sui tantùm gratia commodatum accepit, c. vnico, extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Reuocatio rei commodatæ, per dominum ante vsum expletum facta, merces, commodatum enim debet esse gratuitum, aliàs si mercenarium conuenit, transit in contractum locationis, & certi modi rei vtendæ præscripti transgressio. Qui enim præfinitum in re commodati modum transgreditur, furtum committit.

DE DEPOSITO.

Titulus XVI.

Continuatio.

Sicut res retenta, eius proprietate & possessione ad vsum commodatur: ita etiam ad custodiam, vt defensione boni amici salua permaneat, deponitur.

Qui

Quid est Depositum?

Depositum est, quod custodiendum alicui datum est.

Vnde dicitur?

Depositum dictum ex eo, quod ponitur, quasi seorsim positū; præpositio enim, De, auget, vt ostendat totum fidei eius commissum, quod ad custodiam rei pertinet, l.1.ff.depositi.

Quotuplex Depositum?

Triplex: sequestratio: qua res litigiosa deponitur apud sequestrum, & retineat, donec ex causæ cognitione constet, cui debeatur, l.licet, ff.depositi.de qua suprà, de sequest. Secūdum depositum est: quod fit in loco publico, ad impediendas vsuras, creditore recusante accipere pecuniam sibi à suo debitore oblatam, l.acceptā, C.de vsu. Tertium depositum simplex, quod custodiæ tātùm causa apud amicum fit: ita, vt dominium & possessio penes deponentem maneat, & posit rem depositam quandocunque voluerit reuocare, c. bona fides, extr.eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens depositi remota est, ius gentiū: propinqua autem consensus contrahentium, & rei interuentus, l.1.ff.de act.& oblig.

Quæ Materia?

Res mobiles, & se mouentes, & res etiam fungibiles, licet enim in depositō hoc potissimùm agatur, vt eadem species restituatur, intantùm, vt si depositarius rem depositam in vsum suum conuertat, absque domini permissione, furti te-

neatur, §. furtum, instit. de oblig. quæ ex deli. nascuntur, tamen si contrahentes aliter conueniãt, lex contractus seruabitur, vt ait Papinianus in l. Lucius Titius, &, l. 1. §. si conuenit, ff. eod.

Quæ Forma?

Vt depositario res mobilis, vel se mouens tradatur, hac conditione, vt remanente penes deponentem proprietate, & possessione, eã gratis custodiat, & domino quocunque tempore reposcẽti, restituat, l. 1. &, l. Lucius Titius, ff. eod.

Quis Finis?

Finis est, vt res ipsa seruetur apud alium, quã nos custodire commodè non possumus.

Quis Effectus?

Actio depositi, quæ est ciuilis, bonę fidei & personalis: & duplex, directa et cõtraria. Directa est qua deponens agit aduersùs eũ, vel eius hęredes, apud quẽ res deposita est, vt eandẽ rem non deterioratã, cum omnib⁹ accessionibus restituat, l. 1. §. q̃ depositio, ff. eod. Cõtraria aũt est, qua depositarius aduersùs eũ, vel eius hæredes, qui rẽ deposuit, vt quicq̃d in re deposita tuẽda, vel asseruanda bona fide impenderit refundat, l. 5. &, l. actione, ff. eod. in qua etiam venit interesse, & iuratur in ea in litem. Non tamen est famosa. Quia contrariæ actiones, non infamant, §. ex quibusdã, inst. de pœna temerè litigan. Est depositum priuilegiatum, quod contra ipsum compensatio regulariter non admittitur, l. compensationes, C. de cõpensat. &, c. bona fides, extrà, eod.

Quæ Affinia?

Cõmodatum: vt. n. ita cõmodatũ etiam depositum est

tũ, est gratuitũ, & in vtroq; eadẽ ſpecies reſtitui debet. Et mandatum, quod etiam gratuitum eſt: Et précarium, in quo tantùm lata culpa & dolus venit, vt in depoſito: vide ſuprà de precario.

Quæ Adiacentia?

Dolus & culpa, q̃ dolo æquiparatur. Non autẽ leuis vel leuiſsima culpa, vel fortuitus caſus. Excipiũtur tamẽ quidã caſus, quibus depoſitarius etiã de culpa tenetur: 1. Si ſe depoſito obtulit. 2. Si aliqd pro cuſtodia recepit; pacto verò culpa, vel mora pręcedẽtibus, etiã caſus fortuitus imputatur, vt notatur in c. bona fides, extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Merces: quia depoſitũ debet eſſe gratuitũ, vſus rei depoſitæ, inuito domino, quo caſu furtũ cõmittit depoſitarius, vt ſuprà, cõpenſatio, vt ait Grego. IX. in c. bona fides, ext. eod. Depoſitori licet pro voluntate ſua depoſitum reuocare, cõtra quod compẽſationi vel deductioni locus nõ eſt, vt contractus qui ex bona fide oritur ad perfidiã minimè referatur, licet cõpẽſatio admittatur in alijs, ſi cauſa ex qua poſtulatur, ſit liqda, ita q; facilẽ exitũ credatur habere, d. c. bona fides, ex. eo.

DE CONTRAHENDA EMptione & Venditione.

Titulus XVII.

Continuatio.

Contractuũ alij ſunt gratuiti, alij quęſtuarij, iuxta Ariſt. li. 1. politicorũ, cap. 6. Gratuiti ſunt precarium, commodatum, depoſitum, Quæſtuarij au-

rij autẽ, emptio, locatio, permutatio, & alijm datũ, ſcilicet ſocietas, &c. Inter quos vſitatior vtilior eſt emptio. vſitatior quidem: quia nõ lebat olim alienatio fieri, niſi emptionibus inte poſitis, vt indicat Alc. lib. 3. parerg. cap. 22. Vs de & emptionis nomine ſolet contineri quælibe alienatio, l. ſtatu liberi, ff. de ſtatu libe. Vtilior a tem, quia mercatus præcipuè ſuſtinetur empti nibus & venditionibus.

Quid eſt Emptio?

Emptio eſt, contractus nominatus, quo per ſenſum obligatur emptor ad dandũ prætiũ, v ditor aũt ad tradendam rem venditam & ca nem euictionis præſtandam, l. iuris gentium de pactis, & l. Iulianus, ff. de act. emp.

Quæ cauſa Efficiens?

Cauſa efficiẽs remota eſt, ius gentiũ: propin aũt eſt cõtrahentiũ conſenſus. Vnde error in pore vel materia rei vẽditę vitiat contractũ vẽditionibus, l. alioquin, ff. eo. Nihil. n. tã con riũ conſenſui eſt, quàm error, l. nihil tã, ff. de

Quæ Materia?

Prætium & merx: cuius appellatione co tur oẽs res corporales & incorporales: q mano cõmercio ſubijci poſſunt. vnde res ſa ctæ, religioſæ vendi prohibentur: qa nullius nis sũt, l. & liberi hominis, ff. eo. &, c. ſacræ, res, extr. de reb. Eccleſ. nõ alienand, ob id em talium rerum non valet, vt in emptorem tr eat dominium, valet tamen vt actione exci venditor teneatur, ad id, quod intereſt, l. officij, ff. eodem. Pariter ſe res habet

libero homine, cùm aduersùm hominis liberi fortunam quærere, nec ciuile, nec naturale sit, d.l.& liberi,&,l.inter stipulantem,ff.de verb.obligPotest autem pater necessitate famis vendere filium pro certo precio,quo restituto, vel à filio reddito ,vel alio quocunq; præstito filius ingenuitatem recuperat, l. 2.C. de patri. qui fil. suos distrax.Mater autem,quæ filium in potestate nõ habet,vendere nõ potest,Hostiens.in §.& de quibus,eod.tit.nec veneni mali,quod nõ potest esse vsui,aliqua permixtione,nulla est emptio,secus si mixtum conferat,l.quod sæpè,§.veneni mali, ff.eod.Nec propriæ rei: cùm quod semel meum est,amplius meum fieri non possit,quòd si tamẽ ignoranter emptio fiat,indebiti competit condictio,quia nulla obligatio fuit,idem est in re cõmuni pro mea parte, sed si vsufructuarius rem emat,in qua vsum fructum habet,ratione vsusfructus vel possessionis , diminuitur vsusfructus,l.suæ rei,ff.eod.Nec res litigiosæ,& lites vẽdi possunt:Nisi secundùm præscriptam formã, in l.per diuersas,cum ll.sequen. C. mandati. Et licet venditio sine re fieri non possit,l. nec emptio.ff.eod.Vnde,nec res extincta,domus exusta, vel animal demortuum,venditur,l. domum, ff. eod. Tamen res ita intelligitur, siue existat, siue non existat, probabiliter tamẽ futura speretur. nam fructus futuri,qui in rerum natura nondũ existunt,captura piscationis,& similia rectè venduntur,l.nec emptio,eod.l.si actum, ff. de actio. emp.&,l.nam hoc modo,ff.de hære.& act.vend. Inter hæc tamen interest.Emptioni enim pisciũ, vel misilium non inest cõditio,vt in fructibus

futuris, si nascantur: sed est pura emptio, videlicet, spei, quę quidem spes fungitur loco mercis, d.l. si iactum. adeò vt, etsi nihil capiatur, emptor teneretur ad præciũ: sed in futuris fructibus locus est. Quare si omninò fructus non nascantur, & empti sunt, qui in hoc fundo nascuntur, condicitur pręcium. Quid autẽ, si fructus dimidiæ parti pręcij non respondeant? Et non succurritur, ex beneficio l. 2. C. de rescin. vend. Quia hæc inæqualitas sustinetur, propter dubium euentum fructuũ; cùm potuerint etiam tam vberes esse, vt precij quantitatẽ longè excederent, l. fin. lege, C. de vsuris, siue res illa sit vendentis propria, siue aliena, quia venditor non ad transferendum dominium, sed tradẽdam rem, tenetur cùm ipsum euictionis nomine obligari sufficiat, l. rem alienam, ff. eod.

Quæ Forma?

Vt contrahentes, inter præsentes, vel absentes per nuntium, vel epistolam, in scriptis, vel sine scriptura, sine arrhis, vel arrhis interuenientibus, de certo præcio in pecunia numerata danda re vendita conueniant. Tria autem sunt, ex quibus emptionis substantia consistit, videlicet, præcium certum in pecunia numerata, res quæ veneat, & consensus in idem corpus, vel in eandem & in eãdem rei materiam substantiam, vel, l. 1. &, d. l. in venditionibus, ff. eod. Verùm ad substantiam vel perfectionem emptionis non requiritur scriptura: si tamen expressim actum est inter emptorem & venditorem, vt non valeat contractus emptionis, sine scriptura, tunc absolu-

absolutionem scripturę, non dicitur contractu perfectus, adeò, vt & pœnitentię sit locus, nisi ad comprobationem emptionis post contractum scriptura accedat. nec datio arrharum requiritur: si tamen interueniunt, distinguitur. Aut dātur initio cōtractus, ante tamē eius perfectionē: aut post contractū consummatū & perfectū dātur arrhę. Priore casu arrha est quasi pœna, qa coercendi vim habet. Nā qui arrhā dedit, si à cōtractu inchoato discesserit, amittit arrhā, & versa vice duplicatas arrhas reddit, qui arrhas accepit, & recesserit, l. cōtractus, C. de fid. instr. Posteriore casu arrha est quasi pignus & simbolū seu argumentū cōtractūs iāpridē consummati, l. q; sæpè, vers. sed Vt euidentius, ff. eo. Vnde quemadmodū, soluto debito, creditor restituit debitori pignus, l. si rē, ff. de pig. act. ita venditione impleta, venditor restituit emptori arrhā. Circa hoc tamen ita distingue: aut arrhæ nomine data est species, aut pecunia: si species, post contractū impletū, emptor repetit speciē, actione ex empto, vel cōditione sine causa, l. exempto, §. illud, ff. de act. emp. Si verò pecunia arrhę nomine data est, nihil repetitur, sed arrha imputatur in pecunia, vt not. Accurs. in l. 2. C. quādo lici ab emp. discedere, & est tex. in l. fi. ver. reliquæ pecunię, ff. de lege cōmisso. Potest etiā emptio tā purè, q̄ sub conditione celebrari ante cuius existentiā ipsa effectū non sortitur, §. emptio, inst. eod. Quò fit, vt si res vendita, intra id tēpus intereat, perimatur emptio, quemadmodū & stipulationes, legataq; cōditionalia, nō existente cōditione, perimuntur, l. necessariò, §. q; si pēdente, ff. de pen. & com.

Quis

Quis Finis?

Necessitas & vtilitas humana, quibus hoc rerũ commutandorum genere succurretur. Est enim hic contractus, sicuti alij omnes, ex indigentia natus, cùm, vti ait Paulus, in l. 1. ff. eod. frequens esset permutationis contractus, ideò tamen non adeò necessitati & commoditati humane conueniens. quia non semper nec facilè contingebat, vt tu haberes, quod ego desiderarem: & vicissim ego haberem, quod tu accipere velles: inde electa materia est, cuius publica atque perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subueniret, vnde emptionis introductæ origo & causa colligitur, d. l. 1. ff. eod.

Quis Effectus?

Effectus huius contractus sunt, parere obligationẽ: ex qua duæ dantur actiones, putà actio ex empto, & actio ex vẽdito. Actio, ex empto datur emptori, vt tradat rem venditam corporalẽ cum fructibus & accessorijs, vel, vt quasi tradat rem incorporalem emptam: hoc est, vt cedatur iuri & præstetur patientia ad vsum liberum. Dico (vt tradat rem) quia non, vt emptor præsumpsit dominium præcisè in venditorem transferri: ita venditor rem venditam ementis facere tenetur, l. si ita, ff. eo. Et hoc ob duas rationes: 1. Nempe propter incertitudinem & difficultatem probationis dominiorum, impediatur hic cõtractus, qui vsibus quotidianis maximè est necessarius. 2. Quia per euictionis præstationẽ indemnis seruatur emptor, perinde ac si dominium nactus esset, l. in vendendo, ff. eod. l. ex empto, ff. de act. empt.

empt. Hinc tres alias actiones, actio ex empto, complectitur: Primò actionem, de euictione: qua agit emptor post rei venditę euictionem aduersùs venditorem, ad ipsum precium & interesse, l. euicta, &, l, si in venditione, ff. de euictionibus, si rei venditæ non fuerit dominus, tot. tit. ff. de euict. Tres tamen sunt casus, quibus iuxta legitimas sanctiones emptoris euicta re contra venditorem nō experitur hac actione. 1. Si emptor post institutum contra se iudicium venditori, vt rem venditam sibi defenderet denuntiare omiserit. 2. Si contumaciter abfuit tempore sententiæ promulgatæ. 3. Si sententia lata fuit per iniuriam iudicis, c. si venditori, extr. eod. Secundò cōtinet actionem redhibitoriam: qua agit intra sex menses ad rescindendum contractum, si vendita fuerit res habens vitium latens, l. 2. C. de ædilitijs act. Tertiò actionem præscriptis verbis, quæ competit, si emptor pacta adiecta emptioni non seruauerit, nec placitis paruerit: tunc enim habet emptor aduersùs venditorem actionem præscriptis verbis, ad impletionē pactorum, l. 2. C. de pactis inter emp. & vend. Secundò: Ex hac obligatione nascitur actio ex vendito, & hæc competit venditori, ad ea consequēda, quæ ipsi ab emptore præstari oportet. in qua veniunt non modò præcium, quanti res venditaest, sed & vsuræ post moram, & diem traditionis. Sicuti enim, vt dicitur in l. fructus, C. de act. empt. fructus post perfectum iure contractum, emptoris spectare personam conuenit, ad quem & functionum grauamen pertinet: ita & venditor quoq; præcium tantum, & si mora intercessisse

ſiſſe probetur, vſuras officio iudicis exigere p
teſt, d. l. fructus, &, l. Iulianus, ff. de act. empt.

Quæ Affinia?

Permutatio de qua inferiùs dicetur, & nota-
tur, l. 1. ff. eod. Locatio & conductio, quę cùm na-
turalis ſit, & omnium gentium, non verbis, ſed
conſenſu contrahitur, ſicut emptio & venditio,
l. 1. ff. locati. Et cùm eidem emptioni & vẽditio-
ni proxima ſit, ijſdem regulis iuris conſiſtit, ad-
eoq; magnam affinitatem habere videntur, vt
difficilè ſit illos contractus, in quibuſdam tã-
ſpeciebus diſcerni, d. l. 2. ff. locat. & cond.

Quæ Adiacentia?

Inſunt contractibus tria: ſcilicet, natura, ſub-
ſtantia & adminicula. Subſtantiã tria perfici-
cõſenſus, forma, & res. Ad naturã pertinet, quæ-
qd naturale & ꝓpriũ ineſt cõtractui, Pap. vt
cõtractuum terminos, l. Lucius, ff. depo. Dicit
ſubſtantia à natura, quòd cõtractus coit, deno-
nitur ex ſubſtantia, ſed natura oritur & fit ex
facto iam contractu: ſicut radij ex Sole, Alc. ad
cùm quid, ff. ſi cer. ſic natura contractus in pa-
re eſt actionem & obligationem parere: ſic em-
ptionis natura eſt, vt alter ad prætium, ad
rem tradẽdam obligetur. Adminicula ſunt
nec contractum perficiunt, nec contractus
propria, quæ iam non inſunt & poſſunt ab-
verùm contractus naturæ prębent adminicula.
Et hæc ſunt duplicia: quædam enim ſequuntur
cõtractũ, vt euictio, quę ſequitur emptionẽ, et
de ea nihil conuenerit, l. exempto, ff. de act. em.
Quædam extrinſecus cõtractui inſunt, vt arra

pig-

pignora fideiussores. Adiacens igitur emptioni, siue ex natura contractus vel extrinsecus veniēt, periculum & commodum rei venditæ euictio, duplæ stipulatio, stipulatio rem habere licere: quæ ad quem pertineant & qualiter præstentur? vide tit. de peri. & commod. rei vend. l. habere, ff. de euic. l. stipulatio, de euict. & l. ex empto, ff. de act. emp. præstatio vsurarum & interesse, de quibus tot. tit. ff. de vsu. l. qui per collusionem, ff. de act. empti. Et accedunt etiam emptionibus, lex commissoria, additio in diem, aliaq; pacta, quæ ipsam emptionem vel in substantia, vel in adminiculis variant, de quibus tit. de lege commisso. tit. de die in diem, addi. l. pacta conuenta, ff. eod. & l. iuris gentium, ff. de pactis, l. lecta, ff. si cer. Arrha, pignora, fideiussores de quibus omnibus l. ex empto, ff. de actionibus empti.

Quæ pugnantia?

Dolus. Circa dolum distingue. Aut dat causam huic contractui: aut incidit in contractū: aut re ipsa in cōtractu emptionis interuenit. Si dat causam cōtractui (q; fit, si vendens nullū animū vendendi habeat, persuadeatur aūt ab emptore, vel dolo inducatur ad vendendū) tunc licet contractus ipso iure nullus cōmuni opinione dicatur, verius tamen est, dolū peractionem de dolo purgari, ipsamq; actionē ex eodē contractu proficiscentem ad rescisionē contractus, & consequendum omne emolumentū quanti interfuit, deceptum nō esse, cōpetere, l. si quis affirmauerit, ff. de dolo, l. Iulianus, ff. de act. emp. quibusdā casibus à lege exceptis: quos notat Faber, in §. actionum, aūt, inst. de act.

Quòd

Quòd si in contractum emptionis incidat dolus pariter actione ex ipsius obligatione manante non tantùm ad rescissionem contractus, verùm ad interesse, aliaq́ꝫ, quæ ex æquo & bono debentur, agi potest, l. & eleganté, ff. de dolo.

Tertiò, si dolus re ipsa in emptionis contractu compręhẽdatur, quod fit, si venditor vltra dimidium iusti precij deceptus, vel emptor vltra iustum precium, plus duplo deceptus est: quo casu venditor petere potest, vt restituatur res empta, vel suppleatur iustum precium. Emptor autem, vt vel restituatur id, quod vltra iustum precium dedit, vel vt totus cõtractus rescindatur. debet autem vtrumq; alternatim peti, sed in arbitrio Rei cõuenti, est, alterum eligere, c. cùm dilecto, c. cùm causa, ext. eo. &, l. 2. C. de rescind. vend. Aliæ autem circunscriptiones, vel circunuentiones, quæ dolum non compræhendunt, sunt licitæ. Nam in cõtractibus negotiatorijs potest alter alterum circunscribere, vt loquitur Caius in l. idẽ si præcio, §. quemadmodum, &, l. in causa, ff. de minor. Nisi id fiat improbato more, l. 1. §. venditor, ff. de act. empt. Circunscriptio enim ita fieri debet, vt fiat sine dolo, l. & ideò, ff. locati, & vt læsio non sit enormis: quibus duobus è medio sublatis circunuentio est sine repræhẽsione. Eaqúe sensu dicitur, vt alter alterum circunuenire possit, imò illud fieri interest Reipublicæ. Nam vt ait Seneca, cùm quilibet sui lucri causa contrahat, l. actionum, §. actionum, ff. de act. & oblig. sublata spe quæstus, necesse est perire mercatum, quo nihil habet Respublica vtilius & vberius, lib. 1. de benefi.

Secun-

Secundò. Error. Quia nihil tam contrarium est consensui, quàm error. Cùm igitur emptio constituatur consensu, sequitur inde ipsum errorem vitiare emptionem. Distinguitur tamen. Aut erratur in nomine, aut corpore, aut materia, aut causa, aut demonstratiõe. Error nominis non vitiat emptionem, cùm nec legatum, nec stipulationem, nec hæredis institutionem vitiet, l. si in nomine, ff. de verb. oblig. & C. de test. Ratio habetur in §. si in nomine, instit. de leg. Nomina significandarum rerum gratia reperta sunt, quæ si aliquo quolibet modo intelligantur, nihil interest. 2. Error corporis, vel error materiæ vitiat emptionem, l. in venditionibus, ff. eod. Differt autem corpus à materia, vt effectus à causa. Nam ex materia fit res, seu corpus, licet ipsa materia in legibus dicatur in substãtia, quãdoq; etiam qualitas, d. l. in vẽditionibus, §. item quæritur: sic aureæ lancis materia est, ipsum aurum & lanx est corpus ex auro. Si igitur lanx auro cooperto, pro aurea solida vẽdatur, nulla est venditio, l. cùm eo, ff. eod. qui aliud pro alio vẽditur: secus si aurea sit, licet quid æris habeat admixtum, l. quid tamen, ff. eod. Non igitur sibi cõtrariantur hæc duo responsa, cum priore, Species, ob facilitatem deductionis, per se extare videntur, nec alia pro alia in detrimentum emptoris ignorantis vendi potuerit, posteriore autem ob difficultatem separationis auri ab ære, vna species, quæ extrinsecùs apparet, licet deterior, ob admixtam qualitatem viliorem non apparentem, quàm emptor putarit, vẽdita sit, qui error emptionis non vitiat, l. aliter, ff. eod. Error

in causa, est nihil aliud, quàm error in genere cõtractus, vel error in traditione, quia causa obligationis est contractus, causa autem dominij, est traditio, l. actionum, ff. de actionibus, §. ex traditione, inst. de rerũ, diui. Error igitur in genere cõtractus vitiat cõtractum. Verùm si per traditionem, pari ratione, ex vtroq; contractu dominiũ transfertur accipiens post consumptionẽ, licet condictione teneatur, tamẽ cùm secundùm voluntatem dantis consumpserit, doli exceptione tutus est, l. si ego pecuniã, ff. de rebus cred. Et distingue vlteriùs, vt Dd. ibidẽ. Error etiã in traditione dominij translationẽ impedit. Namli. os nũmos, quasi tuos, dem, nõ facio tuos, vnquit Caius in l. 3. §. subtilius, ff. de con. ca. dicta non secuta: quia nemo errans amittit rem suã, l. si procurator, ff. de acq. rerũ dominio. Denique error demonstrationis aut contingit in cõtractu, aut in ipsius contractus executione: qui quando vitiet contractũ, & quando nõ impediat videndum est? vide Accurs. in l. in vẽditionibus, in ver. consentem, ff. eod. &, l. in huiusmodi, & l. sed si communis, §. si seruus, ff. eod.

Tertiò pugnat simulatio ipsius cõtractus: quæ enim non verè agitur, sed simulatur, nullius sunt momenti, l. cũ in venditionis, &, l. nuda, ff. eod. Vnde, si vniuersa venditio, donationis causa facta est, in totũ ipsa non valet, secus si vilior: quia pretio res donationis causa distrahitur, l. si quis donationis, ff. eod.

Quartò, venditioni contraria sunt, omnia pacta, quibus à venditione disceditur; vel quæ venditionis naturæ & fini aduersantur; vt si pactus, ne

tur, ne pręcij conuenti, vtl rei venditæ dominiũ in venditorẽ & emptorẽ transferatur, l. cùm manu sata, ff. eod. l. 1. ff. de rei permutat. Et similia.

DE LOCATO ET CONDVcto. *Titulus XVIII.*

Continuatio.

LOcatio & conductio, proxima est emptioni & venditioni, vt ait Iurisconsultus Caius, in l. 2. ff. eo. ijsdemq; iuris regulis cõsistit. Nam, vt emptio & venditio contrahitur, si de præcio cõuenerit, sic & locatio & cõductio contrahi intelligitur, si de mercede conuenerit, d. l. 2. eod.

Quid est Locatio?

Locatio est, personæ, vel rei, pro mercede in pecunia conuenta ad vsum facta concessio. Verbum, Vsus, excludit abusum: in quo mutuum consistit, alia ad differentia aliorum contractuũ ponuntur. Nam si species cum specie commutetur esset permutatio: si genus cum genere, vel cũ specie, esset contractus, Do vt des: vel si non pro mercede, sed pro precio, esset emptio: vel pro nulla mercede & gratuitò, quo casu commodatũ contraheretur, l. 1. ff. de præcario, l. 1. ff. de rerum permutatione, l. si conuenerit, ff. communi diuidundo.

Locatio quotuplex?

Duplex, temporalis & perpetua. Temporalis est, quæ fit ad certum tempus, & illa retinuit nomen locationis. Perpetua est, quæ absque certi temporis præfinitione fieri contingit, & nomine speciali dicitur emphyteusis. Temporalis

duobus modis fit, expresse & tacitè. Expresse fit quando verbis expressis contrahentes conueniunt de re aliqua constituta, certa mercede locanda. Tacitè verò, quando conductor, finito tempore locationis, retinet rem locatam, sine aliqua alia & noua conuentione, vtriusq; tamen eadem natura est. Nam in tacita censetur repetitum id, de quo in expressa locatione conuentum erat, l. legem, C. eod. l. item quæritur, §. qui impleta, ff. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa remota est, ius gentium: propinqua autem est contrahentium consensus, vt ait Paulus lib. 34. ad edictum locatio & conductio cùm naturalis sit & omnium gentium, non verbis, sed consensu contrahitur, sicut emptio & venditio, l. locatio, ff. eod.

Quæ Materia?

Merces: res mobilis, & immobilis, corporalis & incorporalis: vt sunt seruitutes personales, non autem prædiales. Quia ipsæ locari non possunt, nisi cum fundo, in quo consistunt, locentur, locare, ff. eo. Possunt etiã res Ecclesiæ, vt sunt fructus decimarũ, cũ quibus Ecclesiæ cõditio melior, per personas Ecclesiasticas legitimo modo statuto diœcesani non obstante locari, c. vestra, extr. eod. c. 1. eod. & sicuti rei alienæ locatio constitui potest; cùm dominium locatione nõ transferatur; ita rei propriæ locatio prohibetur, cùm absurdum sit aliquem constituta mercede re sua vti, l. qui rem propriam, C. eod.

Quæ

Quæ Forma?

Vt contrahentes de re, pro certa mercede, ad tempus vel in perpetuum locanda, conueniant, l.1.& l.2.ff.si ager vectig. Sicuti enim vẽditionis substantia ex tribus, re, scilicet, precio, & consensu, consistit, ita & in locatione, res, merces, & consensus, desiderantur: eisdem enim iuris regulis vterq; contractus consistit, l.2.ff.eo. An aũt merces in pecunia numerata consistere debeat? Quæ quæstio, licet diuersis sententijs agitata, ita tamen magis cõmuni Doctorum assensu explicata est, vt consistat quidem in pecunia nõ numerata tantùm, sed alijs etiam rebus fungibilibus, quæ appellatione pecuniæ veniunt, l.fin. C. de const. pec. putà, vino, oleo, frumento, &c. Inde etiã partiarius colonus dicitur, qui vice mercedis, de parte tertia, vel dimidia fructuum de re locata prẽstandorum paciscitur, l. merces, §. vis maior, ff.eod. Quod tamen conuentionis genus contractui innominato proximum est, Dd. in l. si paciscenda, C. de pactis.

Quis Finis?

Vt communicato rerum vsu necessitatibus & commoditatibus magis obuiàm eatur.

Quis Effectus?

Obligatio, quæ producit duas actiones: actionem, scilicet, ex locato, & actionẽ, ex cõducto. Actio, ex locato, cõpetit locatori, eiusq; hæredi, cõtra conductorẽ eiusq; hæredes, vt restituat rem locatã, finito locationis tẽpore: ante enim illud tempus expellere non potest, nisi quibusdam casibus, in c. propter, §. verum, extr. eo. &, l. ædes,

C.de loca.exceptis, 1. Si inquilinus pensionem non soluat. 2. Si ædes restauratione indigeant, & velit locator eas reficere. 3. Si locator proprijs vsibus necessarias sibi probauerit, 4. Si in re locata inquilinus mala versetur, deteriorē ipsam efficiat, vel ad inhonestum vsum: veluti ad exercendum ibi fœnus, & ad introducendas mercimonias, transferat, d.l.æde, vbi glos. & Bal. c. eod. 2. Agitur ex locato, vt vsuras pensionis non solutæ & interesse præstet, l. præses, C. eo. l. sed addes, §. illud nobis, ff. eod. 3. Vt rem non deteriorem tam, sed absque vitio præstet: Et omnia ea, quibus in conuentionis lege expresse conuenit, l. qui insulam, §. fin. &, l. in lege, ff. eod. Actio conducto datur conductori, ex his causis: 1. vti re conducta per tempus in conuentione prefinitum ipsi liceat, l. ex conducto, ff. eod. 2. Si quid in rem conductam impenderit, vel indebitam pensionem, vel locatori pensionem ante tempus, soluerit, l. dominus, &, l. Sed addes, ff. eod. 3. Vt locator omne impedimentum auferat. Interesse damni ex re vitiosa conducta accepti, lum, omnemque culpam præstet, d. l. sed addes, &, l si merces, §. conductor, ff. eod. Competit iam actio, ex conducto, ad remissionem pensionis, propter damnum immodicum fructuum pendentium sine culpa conductoris, sed casu quodam contingens. Dicitur autem damnum immodicum, quando fructus infra dimidium iusti præcij diminuuntur, l. 2. C. de rescin. vend. Illud, inquam, non nocet conductori, ne scilicet vnius anni iacturā nimiùm præcipitet actionis omnibus priuet agricolas, arg. l. fin. ff. de pig. præt.

præsid. si tamen damnum cum vbertate præcedentis, vel sequentis temporis compensari possit propter sterilitatem, quasi cessante ratione legis, pensio non remittitur, d. c. propter sterilitatem, §. verùm, extr. eod. & vel si remissa sit, tamen, ob contingentem sequentibus annis vbertatẽ, nihil obest domino remissio: cùm integrã pensionẽ etiã eius anni, quo remisit exigere possit, l. ex conducto, §. Papinianus, ff. eod.

Quæ Affinia?

Emptio, venditio, & emphiteusis. Adeò enim, vt inquit Caius, locatio & emptio familiaritatẽ aliquã habere videntur: vt in quibusdã queri soleat: vtrùm emptio & venditio sit an locatio & conductio? l. 2. ff. eo. Et licet cõuenientia & discõuenientia horũ contractuũ in plurimis cõsistat: ad discernendos tamẽ eos, hæc regula traditur: Quotiescunq; cõuentione hoc agitur, vt is, qui rem tradit, in eũ, qui pecuniã dat, dominiũ trãsferat, ẽptio est: si aũt nulla cõtigit dominij trãslatio, locationis genus est. Notãt Dd. in d. l. 2. ff. eod. Emphyteusis est cõtractus, quo res soli, siue immobilis, sub annua pẽsione, in perpetuũ plerunq; colẽda fruẽda traditur, cũ retẽtione tantũ directi dñij, alterius cuiusuis iuris in recipientẽ trãslatiõe facta, l. 1. §. 1. ff. si ager vectig. cui' causa efficiẽs est, lex & cõsensus cõtrahentiũ. Materia res soli. Forma, retẽtio dñij directi cũ trãslatiõe vtilis, ita vt in recognitionẽ directi soluat certũ canonẽ emphiteuta, fiatq; in scriptis, l. 1. C. eo. debẽt. n. alienatiões Ecclesiasticę oẽs in scriptis fieri, c. siue, 12. q. 12. & Bar. in d. l. 1. C. eo. & Reb. in c. hocius, 10. q. 2. & Dd. in c. 2. ext. de reb. alie. nõ al.

Effectus est conditio ex lege, Bart. in l. vni. C. de cond. ex lege. Amittit emphyteusim colonus, si triennio continuo canonem pensionarium de emphyteusi priuata, vel biennio de Ecclesiastica soluere cessauerit, modò dominus ita voluerit: celeri tamen satisfactione ne cadat, sibi cõsulere & moram purgare poterit, c. potuit, extr. eod.

Quæ Adiacentia Locationi?

Dolus, lata & leuis culpa, l. in iudicio, C. eod. & pignoris obligatio, legis prouisione constituta. Nam inuecta & illata in domum conductam per conductorem tacitè sunt obligata ipsi locatori, non tantùm pro mercede, verùm etiam dãno rei locatæ dato, l. 1. 2. & 3. ff. in quibus &c. in colono aũt, qui rusticũ prædiũ conducit, hæc non obseruatur, licet fructus naturales à fundo separatos, & illic adhuc existentes loco pignoris locator retinere, & colonũ donec pensionem soluat, ne exportet, prohibere possit: industriales autẽ fructus locator retinere loco pignoris non potest, Bart. in l. assiduis, vers. quæro, C. qui pot. in pig.

Quæ Pugnantia?

Dolus malus, error in re & mercede, decem vltra dimidiũ iusti p̃c.j, inæqualitas mercedis si vno nummo locatio fiat: quę omnia locationem vitiant.

DE RERVM PERMVTATIONE. *Titulus XIX.*

Continuatio.

ORigo emendi vendẽdi q̃ (cũ quibus locatio & cõductio magnã habent affinitatẽ) à permu-

mutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nũmus, neque aliud merx, aliud precium, vocabatur: sed vnusquisque secundùm necessitatem tẽporum ac rerum vtilibus inutilia permutabat, vt ait Paulus, l. 1. ff. de contrah. emp. & vend.

Quid est Permutatio?

Permutatio est, contractus innominatus, quo species vel res certa cum specie commutatur, l. quoniam, C. eo. &, l. 1. ff. eo. & dicitur contractus innominatus. Quia nomine & forma speciali caret, & generali permutationis verbo designatur: quod omnibus conuentionibus, in quibus aliquid hinc inde datur, commune est, glos. in rubr. C. de rerum permut.

Quæ causa Efficiens?

Ius gentium, consensus contrahentium, & specierum traditio. Est enim, teste Paulo, in d. l. 1. ff. de contrah. emp. hic cõtractus antiquissimus; cũ origo emendi & vendendi ab illo cœperit: nec tã nuda consentientium voluntate, quàm rei traditione celebratur. Permutatio enim ex re tradita initium obligationi præbet, l. 1. ff. eod.

Quæ Materia?

Indiuidua, species vel res certæ temporales, non precium, non genus, vel spiritualis. Nam si conuentio fit de commutanda re pro certo precio, emptio erit, d. l. 1. ff. eod. Etsi genus cum genere, vel species cum genere commutetur, non est permutatio, sed contractus innominatus, qui dicitur, Do vt des, l. 1. ff. eo. Nec res spirituales permutari debet. Quod intellige, si cum temporali re commutetur: spiritualis enim cum temporali

permutari nõ potest,c.fi.ext.eo. licet spirituali cum spirituali permutari possit. Vnde Clemens III.cõstituit,Ecclesias iure proprietatis, earumqúe possessiones posse permutari:etsi ratiõe possessionum altera alteri prẹualeat, refusa certę pecuniæ quantitate posse permutationis negotiũ expediri,c.ad quæstiones,extr.eod. Nec obstat,si dicatur,permutationem non esse contractũ gratuitum,sed commutatiõe rerum celebrari, ergo non posse in spiritualibus, quæ gratis sunt conferenda,locum habere,c.gratia,1.q.1.&,c.per nostras,ext.de iure Pat. Ad hoc enim dicitur,cõmutatiõem spiritualium authoritate Superioris, fomne simoniæ vitium abolet,fieri debere. Vsque dignitas cũ dignitate,Canonia cũ Canonia,vel aliquod aliud beneficiũ,nõ requisita Superioris authoritate,permutari nõ potest intãtùm, vtiqs tãtæ temeritatis deprehẽdatur,obtento beneficio,vel dignitate priuetur,c.cùm olim,ext.eo. Nisi permutantis simplicitati veniam tribuat equitas suadeat,c.cùm vniuersarum,ext.eo. Pari ratione, mancipia Ecclesiastica permutari nõ debent,exceptis tribus casibus: 1.Si fauor libertatis,c.mancipia,extr.eod. 2. Si sint fugitiua iniustũ,extr.eod. 3. Vel si permutatio expetatur Ecclesiæ;nã & donari possunt,c.Ecclesiarum,q.q.2. statutum est etiã licere Principi rem mobilem sanctis locis præstare, & accipere aliam immobilem:ita tamẽ si causa rationabilis id exposcat,& res,quam præstiterit, maior fuerit vel æqualis,c.1.ext.eod.aliæ autem commutationes rerum Ecclesiasticarum,quæ in casu non consulto,ab antecessore inconsultò factæ sunt,vel quas

solennitate nõ obseruata, per successorem reuocari debent, c. vt commutationes.

Quæ Forma?

Vt, conuentione per pactũ, vel stipulationẽ de commutanda re indiuidua cum alia indiuidua & certa specie facta, res ipsa vtrinq; tradatur: nam ad producẽdam actionẽ, ex permutatione, non sufficit permutationis pactũ, nisi ipsum vel traditione rei, vel stipulatione rei firmatum sit: vt dicunt Imper. in l. ex placito, C. eod. Ex placito permutationis nulla re secuta constat nemini actionem competere, nisi stipulatio subiecta ex verborum obligatione quęsierit partibus actionem, &, l. 1. §. permutatio, ff. eod.

Quis Finis?

Vt magis subueniatur humanis necessitatib⁹, & is, qui animo permutandi rem suam dedit, aliam sibi magis deseruientem recipiat, d. l. cum precibus, C. eod.

Quis Effectus?

Ex permutatione, varia actio proficiscitur: nã si stipulatio permutationi subiecta est, datur actio, ex stipulatu, ad tradendam rem, de qua conuenit, & vt placitis fides seruetur, d. l. ex placito, &, l. cum precibus, C. eod. Si autem stipulatio nõ interuenit, datur actio prescriptis verbis, quę est similis bonæ fidei, & personalis ei competẽs, qui rem suam animo permutãdi alteri dedit, vt ipse aliam rem in specie ab eo ex permutatione recipiat, l. rebus, C. eod. Et si fides contractus nõ seruetur, põstetur interesse, l. 1. C. eo. competit etiã cõdictio causa data causa non secuta, ad repetendũ

id,

id, quod permutãdi causa datum est, l. 1. 4. & 6. C. eo. Potest igitur in libello concludi alternatione bifariã, primò: Vt impleat contractum vel interesse, secundò: Vt impleat cõtractum, vel restituat rem acceptam, Dd. in l. 1. & 2. C. eod. Ex permutatione, sicuti ex venditione, paratur etiam vsucapiendi conditio: quia traditionis iusta causa, est ipsa permutatio, l. 4. §. de illo, eo. Præstatur euictio, d. l. 1. C. eo. Præstatur etiam animantium sanitas, cùm enim, vt ait Paulus, in l. 2. ff. eod. permutatio sit emptioni vicina actio præscriptis verbis ex permutatione proficiscens, etiam ad præstandam rem à morbis vitijsq; solutam & liberam competit, potest ipsa res permutata ob vitia redhiberi, vt notatur in l. sciendum, §. penul. ff. de ædi. lit. edicto.

Quæ Affinia?

Contractus, Do vt des, & emptio & venditio. Differt autem contractus, Do vt des, à permutatione, materia, & effectu. Materia quidem. Quia, si detur species pro specie, vel indiuiduum pro indiuiduo, permutatio est: Si verò species pro genere, vel genus pro genere, contractus, Do vt des, est, l. naturalis, ff. de præscrip. Effectu differunt. Quia ex permutatione datur actio, præscriptis verbis bonæ fidei. Ex cõtractu autem, Do vt des, præscriptis verbis stricti iuris, §. actionum ait, inst. de actionibus. Ab emptione secernitur causa efficiente, materia, forma, & effectu. Causa efficiente. Quia nõ ita consensu nudo constituitur obligatio in permutatione, sicuti in emptione, sed ipsa ex traditione rei initium capit, & perficitur,

citur, vt ait I. C. in d. l. 1. ff. eod. Materia distat. Quia non tantùm in ſpeciebus, ſed & in alijs omnibus rebus, quæ humanum commerciũ non fugiunt, emptio conſiſtit, l. ſed Celſus, ff. de contrah. empt. & vend.

Forma diſtant. Quia in emptione alius eſt vẽditor, alius emptor, ita preciũ aliud, aliud merx. At in permutatione diſcerni non poteſt, vter emptor vel venditor ſit, multumq; differunt prẽſtationes: emptor enim niſi nummos accipientis fecerit, tenetur ex vendito, venditori ſufficit, ob euictionem ſe obligare, nec tenetur rem vẽditam emptoris facere, ſed poſſeſsionem tantùm tradere, itaq; ſi euicta res non ſit, nihil debet. In permutatione verò, ſi vtrunque precium eſt, vtriuſque rem fieri oportet, ſi merx neutrius, ſed cùm debeat & res & precium eſſe, nõ poteſt diſcerni, qd eorum precium ſit, & quid veneat, l. 1. ff. eod. Effectu etiam differũt. Quia ex permutatione datur duplex actio, putà: præſcriptis verbis, bonę fidei & condictio ob cauſam: non autẽ ex venditione, d. l. 1. §. fin. ff. eod. Multa tamen cum vẽditione habet communia, ſcilicet vſucapiendi conditionẽ, euictionem, redhibitionem, actionẽ bonæ fidei, &c. vt Dd. l. 1. &, l. 2. C. eo. Affinitatem etiam cum permutatione habere videtur, tranſactio, diuiſio, & generali quadam ratione rerum cõmutandarum conſiderata, omnes contractus.

Quæ Adiacentia?

Vſucapiendi conditio, redhibitio, euictio, periculum, commodum, pœnitentia.

Quæ

Quæ Pugnantia?

Dissensus vtriusq; contrahentium, pactũ, [illegible] transferendo dominio, pœnitẽtia: & modi [illegible] bus ratione materiæ, vel alio modo, res per[illegible] tari, vel alienari, prohibetur, de quo suprà.

DE FEVDIS.

Titulus XX.

Continuatio.

FEudi constitutione res, pro obsequijs [illegible] qúe fideli, quasi commutari videntur.

Quid est Feudum?

Feudum est, concessio rei, facta alicui [illegible] latione vtilis dominij, ad habendum & [illegible] cum exhibitione alicuius honesti seruitij [illegible] capi. coral.

Vnde dicitur Feudum?

Feudum dicitur, quasi fidei datio, à [illegible] dominus vasallo, vel à fidelitate, quam [illegible] domino præstare tenetur, sicq; recipro[illegible] gatio domini & vasalli, c. 1. §. fin. per q[illegible] uestit.

Quotuplex est Feudum?

Est multiplex & varium. Aliud enim [illegible] num, antiquum, hęreditarium, masc[illegible] liud nouum, fœmineum, cum fidelitate [illegible] fidelitate, temporale, perpetuum, cond[illegible] purum. Aliud Guardiæ & Castardiæ. Al[illegible] transitorium ad hæredes: vt feudum [illegible] ducatus & Comitatus. Quæ feudorum [illegible]

in vsibus feud. sparsim explicantur.

Quæ causa Efficiens?

Ius moribus introductum, Principum placita, & decreta Pontificum, voluntasq; eius, qui cõcedere potest, vel consensus contrahentiũ. Quia non tantùm vltimis voluntatibus, verùm etiã actibus inter viuos, pactis, scilicet: & stipulationibus, constituitur feudum. Possunt autem dare feudum, Papa, Imperator, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, modò antiquo tempore dare Prępositus cõsueuerit, Duces, Reges, Marchiões, Comites & Capitanei, diuites Barones, & Nobiles illustresq; mulieres, si senio sint confectæ, & liberos non habeant. possunt etiam vasalli rem feudalẽ alij dare in feudum: sed quibusdam personis dare prohibẽtur, scilicet fęminæ, Ecclesiæ, seruo, Hæretico, Iudæo, bannito, inimico capitali, deportato, potentiori, quã sit dominus, alteriusq; iurisdictioni subiecto: adeò quidem, vt si vasallus vni harum personarum, absque domini voluntate dederit feudi concessi beneficio ipse priuetur.

Quæ Materia?

Res immobiles, & q̃ inter immobiles cõputantur. Illæ. n. propriè dantur in feudum, non autẽ res, quarũ alienatio à lege prohibita est: possunt tamen si cum vniuersitate, id est, cum tota regione in feudum dentur. Res aũt mobiles, q̃ ipso vsu temporis tractu, deteriores fiunt, non dantur sicut nec in emphyteusim, nisi accedant immobilibus vt serui fundo, decimę ad tempus in feudũ dari possunt, non in perpetuum, feudum autem

Ca-

Camerę & cauenę debetur, quatenus ibi aliquid inuenitur.

Quæ forma constituendi Feudi?

Vt dominus, dominio directo retento, pro pacto, stipulationem, vel vltimam voluntatem, in beneficium vel compensationem obsequij, & seruitij pręstãdi, gratuitò, nulla prorsus mercedis, canonis, vel vectigalis pręstãdi facta, vtili dominiũ concedat. Quod quidem obsequiũ, vasallus iurisiurandi religione promittere tenetur. Forma iurisiurandi est. Vt Vasallus constitura de fundo concesso facta iuret, fidelitatem, quoad fieri possit, in omnibus honesta & licitis defensurum. Quod iuramentum seruare debet, scilicet: Incolume, tutum, honestum, possibile, vtile, & facile; vt notat Gratianus in de forma fidelitatis, 22. quæst. 5. Quæ si Vasallus promittere recuset, dominus ipsum inuestire non tenetur. Et si plures sint Vasalli, omnes prestant, domino autem demortuo coguntur iurare successori, & omnibus si plures fuerint. Si autem quidam ex his renunciauerint feudo, astruescet pars repudiata reliquis dominis potentibus. Ante iuramentum autem fidelitatis prestitum dominus inuestituram permittit. Cuius forma est: vt dominus, qui feudum confert, tenens aliquid in manu, puta baculum, annulum vel biretum, tradat illud in manu Vasalli dicens: inuestio te, de tali, vel tali re.

Quis Finis?

Meritorum remuneratio, vel etiam propriæ spe-

hominis interesse: cùm hominem beneficio affici, interfit hominis, l. seruus ea lege, ff. de seruis export.

Quis Effectus?

Potestas vtendi & fruendi re in feudum concessa, & actio vindicationis tam directa, quàm vtilis. Vbi enim Vasallus agit contra dominum, petit rem feudalem actione vindicationis: vbi contra extraneum vtili in rē actione experitur. Si autem dominus & vasallus concurrunt, dominus directa, Vasallus autem vtili aget: cui tamen directæ vtilis præfertur.

Quæ Affinia?

Emphyteusis, census, libellus, superficies, precaria, vsus fructus. Emphyteusis cum feudo habet commune, vt, penes dantem, dominiū directum remaneat, c. 1. §. 1. & seq. de inuestit. de re alien. fac. Hoc tamen differt. Quia gratuitum est beneficium, c. 1. §. inprimis, in quibus caus. feud. amit. Nullam ideò pēsionem annuam, nullumque Canonem sperans, sed obsequium duntaxat personale, c. 1. §. sed nec alia. Quæ fuit prima causa. Vbi verò cliens, seu Vasallus, aut emphyteuta beneficiarium fundum, aut emphyteuticarium pro annua quoq; pensione, alteri cōcedit, neque feudum erit, neq; emphyteusis, cum neuter concedens dominus sit, c. 1. de inuestit. sed nouo vocabulo libellarius contractus vocabitur. Quamuis hæc duo, libellus & emphyteusis, moribus hominum plerunque confundantur, & promiscuè soleant accipi, c. 1. §. rursus, quib. mo-

dis feud.amitta.Bart.in l.si finita,§.si de,ff.de cõ. infect.Contractus censualis à feudo hoc differt quòd in eo transferatur tam directum, quàm vtile dominium,debeaturq; cõcedenti heredibus. qúe eius annua pensio,c.constitutus,ext.de relig. domi.Cùm autem ob hanc pensitationẽ ius vniuersum à se quis abdicet, idq; transferat in accipientem,Bart.in l.1.§.1.ff.de publica. ab emphyteusi sine dubio differt. Quia vtile tantùm dominium abs se cõcedens remouet:vnde licet emphyteuta cessans soluere triennio, et si Ecclesia sit,biennio,canonem iure suo cadat, non tamen hoc commissi tribuit contractus censualis,nam soluto censu,etiam mille annis,glos. & Dinal. c.constitutus,extr.de relig.domibus.

Huc quoque pertinere videtur superficiarius contractus,quo sub certa plerunque pẽsione solum,moletrinam,aut aliam soli nostri superficiẽ concedimus.Et quandoq; nulla annua pensione constituta:veluti cùm venditur, locatur, aut donatur superficies,l.1.§.1.ff.de superficiebus. ius conuentionis hæc natura est: vt dominus quod vtile vocant,transferat in accipientem,l. §.pen.ff.de noui operis nun. & destructa superficie (ruinâ puta,vel incendio)contractus dissoluatur,l.inter quos,§. damni,ff. de damn. infect. Differt autem superficiarius à vasallo: quod certa pensione constituta, vel nonnunq; sine vllo pensionis onere superficiem possideat, d.l.1. ff.de superf.nec meliorationes à domino petere dicatur,sed à seipso,l.bono.ff.de ver.sig.Quocà potest sine domini consensu eas alienare, hoc toq; cõtractu quãuis nesciat,aut nolit dominus.

illinc auferre, l. sed addes, §. si inquilinus, ff. locati: &, d. l. bonorum, precarijs denique cum feudo affinitas est, quo ad translationem ipsius possessionis & vsus. differũt autem. Quia precarię sub annua pensione in perpetuum, vel ad tempus, cum pacto renouationis, de quinquẽnio in quinquennium, aut aliud tempus secundùm morẽ regionis cõceduntur, c. 1. & fin. de preca. c. precarię, 1. & 2. 10. q. 2. Et hoc ob id, ne temporis diuturnitate contractus memoria pereat, c. longinquitate, 12. q. 2. Panor. in d. c. 1. extr. de preca. Vsus fructus etiam cum feudo quid commune habet. Quia ferè eisdem modis cum translatione iuris vtendi fruendi constituitur: Argumentaq; ad decidendas quandoque quæstiones in materia feudali ambiguas illinc desumpta, iure approbantur, de quo habetur in c. fin. extr. de pig. & alijs.

Quæ Adiacentia?

Iuramentum fidelitatis inuestitura. Et circa eã talis ordo seruatur, vt domino concedẽte feudũ fiat inuestitura, qua facta, vasallus præstat fidelitatem sacramẽto, & verbo promitti, illa sex, de quibus suprà in c. de forma fidelitatis, 22. q. 5. Deinde dominus præstito fidelitatis sacramento mittit vasallum in vacuam possessionem rei feudalis. Est autem inuestitura, concessio fictæ possessionis, facta per dominũ alicuius rei corporalis. pacta etiam quandoq; in constitutione feudi adijciuntur, quæ naturam feudi variant.

Quæ Pugnantia?

Merces. Debet enim feudũ esse gratuitũ: pacta iniqua & ipsum feudum euertẽtia, dolus, culpa, casus, negligentia, felonia, & denique omnes

modi,quibus ipsum feudum amittitur, de quibus legitur, c. prima causa, in quib. causis feud. amitt. &,c.1.de causa contradi.c.est & alia, d. tit. c.ex eadem,eo.&,c.1.c.seq.in libr.feud.tit.quib. mod.feud.amit. vbi ingratitudinis variæ causæ enarrantur. Breuiter tamen sciendum feudum amitti ijsdem ferè modis, quibus libertus inseruitutem,propter ingratitudinẽ,reuocatur,licet non tã strictè agatur contra vasallum, sicuti cõtra libertum, & quibus filius in potestate patris constitutus exhæredari potest. Amittitur autem feudum,morte,capitis diminutione,maxime media,ingratitudine,clericatione,inuasione,refutatione,bonorum cessione,alienatiõe illius, præscriptione ab alio inducta,euictione rei,aut extinctione,negatione,& mendacio scienter facto de re feudali,negligentia. Negligẽtia in multis attenditur:scilicet,si vasallus non intra annum & diem domino mortuo hæredem,pro inuestitura,requirat:si de fidelitate præstanda,dominus tribus vicibus requisitus eam facere negligẽt, modò maior 14.annis sit, si vasallus grauem iacturam,quam domino imminere nouit,celauerit,si resistere potuit & non fecerit, si dominum in acie periclitantem dimiserit, si dominum tempore famis,pressum indigentia non aluerit, si vasallus in re feudali malè versetur, vel contra dominum feloniam,id est,delictum aliquod committat. Quibus etiam modi ingratitudinis comprehenduntur.

De

DE PIGNORIBVS ET ALIIS cautionibus.

Titulus XXI.

Continuatio.

ADiacet alijs contractibus pignoris alligatio, & alienationẽ in effectu quoq; cõtinet, cùm, si debitum legitimè non soluatur, precio ex distractione pignoris redacto satis fieri possit, l. si conuenit, ff. de pig. act. &, l. sed & quod, ff. de pig. & Hypo. &, l. sancimus, C. de rebus alie. non alienand.

Quid est Pignus?

Pignus secundùm Hostiens. est obligatio rei in securitatem debiti, donec ipsum exoluatur, celebrata, §. quid sit pignus, hoc tit.

Quotuplex Pignus?

Variæ diuisiones sumuntur à causa efficiente, materia, forma, & effectu.

Quæ diuisiones sumuntur à causa Efficiente?

Pignus vel est prætorium, vel iudiciale, vel cõuentionale. Prætoriũ dicitur, quod decreta missione in possessionem bonorum, scilicet: vt caueatur pro legatis, vel de dãno infecto, vel de nouo opere demoliendo prætor constituit, l. nõ est mirum, §. sciẽdum, ff. de pig. act. Iudiciale dicitur, q; ratione sententiæ exequendæ capitis, pro re iudicata pignoribus à iudice fieri contingit, l. à diuo pio, ff. de re iud. Conuentionale autem pignus conuentione partium constituitur, l. contrahi-

tur, ff. de pig. & hypoth. Et hoc bifariàm, expreſsè & tacitè. Expreſsè fit: quando verbis expreſsis partes conueniunt de oppignorandà re. Tacitè autem, quando ex vi & poteſtate legis, ſine expreſſa hominum conuentione, vt dotis causa, fauore pupilli, fiſci, refectiõis, l. vnica, C. de rei vx. act. l. 4. C. in quib. cauſis pig. tac. contrah. Exempli gratia. Omnia bona promittẽtis doté ſũt tacitè obligata ipſi marito, & ecõtrà, dote ſoluta, omnia bona mariti tacitè ſunt obligata vxori, p dote, c. ex literis, ext. eo. Secũdò: locatori fundi ſunt omnes fructꝰ ex eo percepti tacitè oppignorati. Item omnia inuecta & illata, propenſiùs certi, C. de locato. Plures caſus, in quibus contrahitur tacitè pignus, vide apud Azonem tit. quib. cauſis tacitè contrah. &c.

Quæ Diuiſio ſumitur à Materiâ

Pignus, vel eſt generale vel ſpeciale. Generale eſt, quod in vniuerſitate vel omnibus bonis conſtituitur: quo non continebuntur ea, quæ verisimile eſt, quenquã ſpecialiter obligaturum noluiſſe, l. obligatione generali, ff. eo. Speciale autem pignus in re certa vel ſpecie conſtituitur.

Quæ Diuiſio ſumitur à Formâ

Quòd pignus vel ſit voluntarium, aut neceſſariũ. Voluntariũ eſt, quod expreſſa volũtate, pacto, vel nuda cõuentione duorũ contrahitur, vel volũtate vnius. quod fit, ſi teſtator in teſtamento alicui pignus in rebus ſuis, legati, donationis, vel quouis alio titulo rèlinquat, conſtituitur, l. 1. eod. l. fundus, &, l. Caius, ff. de annuis legatis. Neceſſarium autem dicitur, quod nulla contractus

tium conuentione, sed decreto prætoris, iudicis authoritate, & legis beneficio introducitur, de quo in l. si finita, ff. de dam. infecto, d. l. vni. C. de rei vxo. act.

Quæ Diuisio sumitur ab Effectu?

Quòd pignus, vt genus cõsideratum in specie, vel sit pignus, vel hypotheca. Vnde ex hac, actio hypothecaria datur, quę realis est, ex illa autem, pignoratitia, quę personalis est. Nec obstat quod Marcellus ait in l. res hypothecæ, ff. de pig. & hypoth. inter pignus & hypothecam tantùm nominis sonum differre: intellexit enim Marcellꝰ hoc de pignore, in genere accepto, quod sub se & pignus & hypothecam compræhendit. Hac ratiõe hypotheca dicitur quoque pignus; alioquin .n. hypotheca & pignus in specie considerata, differunt causa efficiente, materia, forma, & effectu. Causa quidem efficiente: quia pignus ciuile est, producitq; actionem bonæ fidei. Hypotheca aũt prætoria, & stricti iuris, vt notat Iason in §. actionem, instit. de actionibus.

Secundò differũt: materia. Nã pignus est tantũ rei mobilis, §. item seruiana, vers. sed in alijs, inst. de actionibꝰ. Vnde & nomẽ habet à pugno, vt ait Iureconsult. in l. plebs, §. pignꝰ, ff. de verb. sig. At hypothecę subijciuntur non solùm res mobiles, sed etiã immobiles, l. 1. §. cùm prædiũ, ff. de pig. & hypoth.

Tertiò differunt forma. Quia pignus rei traditione actuali constituitur, l. si rem, §. propriè, ff. de pig. act. hypotheca verò nõ aliter quã nuda conuentione & voluntate, l. contrahitur, ff. de pig. & hypothecis. Quartò differunt effectu:

quantùm ad actiones, quoniam pignoratitia est in personam actio, l. solutum, §. per liberã, ff. de pig. acti. At hypothecaria est in rem actio, l. pignoris, ff. de pig. & Hyp. &, l. eos, C. qui potiores in pig. hab. Nec tamen hæ actiones differunt, quãtùm ad formulam hypothecariã, quam prætor etiam ad pignora extendit.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, contrahentiũ consensus, decretum iudicis seu magistratus, & lex. Quia, vt dictum est, nuda contrahentium conuentio per magistratum, vel iudicem, & legis auctoritate in certis casibus constituitur pignus vel hypotheca.

Quæ Materia?

Omnes mobiles, immobiles, corporales, incorporales res, vt sunt cautiones, nomina debitorum, personales seruitutes, & prædiales seruitutes rusticæ, l. cùm conuenit, ff. eo. l. si is, ff. de pig. & hypo. possunt etiam res præsentes, futuræ, fructus pendentes, partus ancillę, fructus pecorum, & quæ nascuntur, in causam pignoris obligari, l. ff. eo. Eximuntur autem obligationi pignoris res quæ sunt extra commercium, vt sunt res sacræ, religiosæ, publicę, liber homo, l. 3. C. quæ res oblig. c. lator, ext. eo. Res etiam Ecclesię oppignorari non debent, nisi necessitate & ratione euidenti hoc suadente, c. nullus, extr. eod. & eæ quæ lege alienari prohibẽtur: est enim oppignoratio quædam alienatio: l. fin. C. de rebus alien. sunt res litigiosæ, fundus dotalis, res minorum, absq;

absque decreto iudicis, tot. tit. ff. de feud. dotali, & tot. tit. C. de reb. absque decreto: iud. &c. Bona feudalia, & res alienæ, debet enim pignori dans ius in re quo iure ipsa res afficiatur constituere, quod absque domini expresso consensu fieri nõ potest, l. rem alienam, ff. de pig. act. & toto tit. C. si res aliena.

Quæ Forma?

Vt à debitore res mobilis vel immobilis, corporalis vel incorporalis, eius retento dominio tradatur creditori, vt retineat, donec debitum omnimodò persoluatur. Vel nuda cõuentione, pacto, & vtriusque tam debitoris, quàm creditoris consensu, absque vlla traditione in re oppignoranda obligatio ad securitatem debiti ex soluendi constituatur: licet & ex modo obligationis, quæ testamento vel authoritate legis, & magistratus, inducitur, causa formalis etiam petenda sit, Dd. in l. contrahitur, ff. de pig. & hypo.

Quis Finis?

Vt securiores reddantur creditores, & vt habeant suum creditum saluum. tutius enim est pignori incumbere, quàm in personam agere, §. furti, instit. de ob. quæ ex del. nas. sicuti cùm melior sit, possidentis conditio, tutius est non soluere, quàm solutum repetere, l. ideò. ff. de cõpens.

Quis Effectus?

Actio pignoratitia, quæ duplex est, directa scilicet & contraria. Directa est actio Ciuilis, bonæ

fidei, in personam, quę competit debitori aduersùs suum creditorem, ad repetendum pignus uentionale, satisfactione præcedente, ad fructu & interesse, ad æstimationem damni dolo cred toris in re pignorata lata, vel leui culpa data, o sequendum: & deniq; ad restituendum reliqu præcij, cum vsuris, quod creditor ex vendit ne pignoris plus debito accepit, l. eleganter, & vendiderit, l. si pignore, & si rem alienam, § ff. de pig. act. Contraria autem datur cred aduersùs debitorem, qui pignus pro debit sufficiens dedit, aut si aliquid impensarum cessariarũ in rem pignori datam contulit restituatur. Competit etiam, ad consequ interesse euictionis, quod creditor vend gnore præstitit. Et generaliter quatenùs cr ris interest ipsum in pignore, seu, per pig esse deceptum, l. tutor, §. contrariam, l. h & d. l. si rem alienam, §. omnis, ff. eod.

Datur etiã actio, quasi seruiana, vel hy caria, quę est prętoria & realis. qua cred contra possidentẽ ad rei possessionẽ co dam, quæ ipsi, iure pignoris aut hypot pressè est pignorata: vt eam vel retinere nare possit, nisi redẽpta fuerit à credi alienam, ff. de pign. act. Modus autẽ vel retinẽdi pignoris, exprimitur per lib. 8. Codicis, l. fi. C. de iure dominij, imp sub distinctione. Aut pactio de distrahe nore adiecta est: aut nullũ pactũ interc conuentũ est, ne distrahatur pignus. Prim uenit, vt distrahatur, potest creditor ex sione, tanq; ex voluntate debitoris dist

Quod tamen ex bona fide facere ſolenniter, cõmonefacto priùs debitore, vt poſsit offerre præcium, debet: Alioqui pignoratitia tenetur, l. 4. l. ſpecialiter, C. de diſtract. pig. Diſtrahere inquã poteſt, eo modo, quo inter debitorẽ & venditorẽ cõuenit, l. vetuſtiſsimã, C. de iure dñij imp. Secũdò, ſi de vẽdẽdo pignore nihil cõuenit, interpellãdus eſt primũ debitor, vt ſoluat, qui ſi deinde ceſſarit biẽnio (q; tamẽ à tẽpore denunciationis nõ pignorationis factę numerandũ eſt) pignus vendi poterit, d. l. vetuſtiſsimã, vbi plu. & gloſ. Si non reperiatur emptor, rurſus admonendus eſt debitor: qui ſi porrò ceſſet creditor ſibi impetrabit ius dominij, ſed tamen poſt talem dominij adiectionem intra biennium integrũ erit debitori, recuperare rem ipſam, ſi creditori offerat totum debitũ cum eo, quod intereſt, à tempore moræ, d. l. vetuſtiſsimã, §. ſi verò nemo eſt, C. de iure dom. imp. Tertiò, ſi pactum interceſsit, ne pignus diſtrahatur, & creditor aduersùs conuentionem initã, pignus diſtrahens, furti obligatur, l. ſi is qui pignore, ff. de fur. niſi debitori ter denuntiauerit, vt ſoluat, & ceſſarit, glo. in l. ſi cõuenerit: ab eo enim tempore, elapſa biennio, creditor pignus alienare poteſt, d. l. fin. C. de iure dominij impetrand.

Quæ Affinia?

Fideiuſsiones. Horum enim eſt idẽ vſus, cùm pariter ad iudiciorum & rerum credidarum ſecuritatem; vt ſcilicet cautum ſit diligentiùs; ſint comparata, §. vlt. inſt. quibus modis re contrahatur, &c. Vnde cùm quæritur cautio plenis-

ſima,

sima, solet caueri prędibus & prędijs. Cicero Verrina 3. & Liuius, lib. 22.

Quæ Adiacentia?

Dolus, lata, & leuis culpa: ad cuius praestationem adstringitur creditor, non autem ad culpam leuissimam, vel casum fortuitum, §. fin. instit. hoc. tit.

Quæ Contraria?

Solutio, permutatio, donatio, vel in dotem datio pignoris, consensu creditoris facta, satisfactio, extinctio rei pignoratæ, iuramentum, sententia, datio pignoris pignori, acceptio pignoris pro debito, pro quo lex constituebat, thecam, in quibusdam rebus, oblatio, depositum, pactum, de non petendo, nouatio, tempus, quod pignus constitutum lapsus, mutatio personæ debitoris. Illis enim modis pignoris obligatio soluitur, tot. tit. ff. quibus modis pignus vel hypoth. soluitur.

DE FIDEIVSSORIBVS

Titulus XXII.

Continuatio.

AFfinis pignoris nexui est, fideiussio, pariter rebus creditis iudicijsq; [illegible]

Quis dicitur Fideiussor?

Fideiussor dicitur, qui per stipulationem obligatur pro alio principali, ad illud idem creditori diligentiùs cautum, §. 1. inst. de [illegible]

Quot modis accipitur Fideiussoris nomen?

Duobus, largè & propriè. larga significatione omnis dicitur fideiussor, qui alterius obligationem in se transfert, & fide sua esse iubet. propriè autem, qui per stipulationem, debitoris obligationem in se suscipit.

Vnde dictus Fideiussor?

A fideiubendo, quasi alterius obligationem fide sua esse iubeat, §. fideiussor, instit. de fideiussoribus.

Quæ causa Efficiens Fideiussionis?

Voluntas personæ idoneæ. Vt autem idonea sit, tria desiderantur: 1. Vt sit fidelis. 2. Vt sit soluendo. 3. Vt sit ad conueniendum facilis: Nō miles, clericus, monachus, Doctor, Causidicus, cauillator, vel quidam alius, qui propter priuilegium, mores, inopiam vel munitiones, difficilis sit conuentionis, vt notat Hostiens. in §. & quis hoc tit. Monachus enim, nec naturaliter obligatur, cùm nec velle habeat, c. nolle, 12. q. 2. Si tamē administrationem habeat, videtur obligari de his, quæ ad administrationem pertinent, arg. l. si quis inscio. ff. eod. Item clerici inseruientes fideiussionibus ab Ecclesia sunt abijciendi, vt dicitur in c. 1. extr. eod. Quod tamen ita intelligendum est, si frequenter fideiubeant, & absq; vlla ratione, vt Ecclesiæ dānum inde sequatur, ad quod euitandum Clericis, vel Prælatis Ecclesias obliga-

obligare prohibetur, licet ex pietate moderatè subuenire teneantur, c. non satis. 85. dist.

Quæ Materia?

Omnis obligatio tã ad producendã actionem efficax, quàm inefficax: Vt sunt naturalis & ciuilis simul, ciuilis tã tùm, vel naturalis tantùm, omnes ex cõtractibus vel delictis proficiscentes, vt ait Vlp. l. 1. ff. eo. Omni obligationi fideiussor accedere potest, quod explicat Iul. in l. fideiussor §. fideiussor, ff. eo. inquiẽs: Fideiussor accipi potest, quoties est aliqua obligatio ciuilis, vel naturalis, cũ vbi nulla subest obligatio, nõ possit accedere fideiussor, l. qui cõtra, ff. eo. naturalis autẽ nõ ex eo solo æstimãtur, si actio aliqua eorum mine cõpetit, verùm etiã cũ soluta pecunia repeti nõ possit. Nã licet minùs propriè naturalis actionis debitores debere dicãtur, per abusionẽ tamen debitores, & qui ab his pecuniã recipiunt debitũ sibi recepisse, intelligi possunt, d. fideiussor. Accipiẽda igitur obligatio naturalis ea est, q̃ licet actionẽ nõ producat, impedit tamẽ soluti repetitionẽ: vt quia per exceptionẽ nõ sit elisa. Nã si elisa esset per exceptionẽ, vt dicitur in illa, quæ post p̃scriptionẽ remanet, quæ tollit ciuilẽ obligationẽ, cùm sit de iure ciuili & dicitur naturalẽ, tunc distingueretur: an intercesserit fideiussor ex certa sciẽtia, an per errorẽ. Quia priori quidẽ casu tenebitur fideiussor: quia exceptioni præscriptionis renũciasse videtur. Alias verò nõ itẽ, propter errorẽ, & qa naturalis obligationis effectus est, ibi extinctus Castrens. in l. quod enim, ff. eo. pari ratione ciuilis obligatio intelligitur, q̃ parit actionẽ & impedit solutã repetitio-

petionem. Nã si secus, & vt plurimũ contingit, qd' sola ciuilis, quæ remansit sine naturali sit elisa per exceptionẽ, vt est in illa, quę remanet post pactũ, de nõ petendo, vel post iusiurandũ, huic enim obligationi fideiussor cũ effectu accedere nequit. Quia exceptio cõpetens principali debitori cõpetit etiã fideiussori, l. exceptiones, ff. de except. Qd' procedit, si ante elisionẽ fideiussisset, aliàs renuntiasse videtur, efficaciq; tenetur vinculo, l. si quis postq̃, ff. de fideiuss. oblig. ex delicto vel quãto delicto, ꝓficiscẽtib⁹ fideiussor applicari potest, l. Græcè, §. sed si ex delicto, ff. eod. q; ita intelligẽdũ est, si pœna pecuniaria sit. Nã si corporalis non admittitur fideiussor, glos. in c. cùm homo, 23. q. 5. & Panor. in Rub. de fideiuss.

Quæ Forma?

Vt fideiussor per stipulationẽ (putà ad interrogationẽ factã à creditore sic: Fide tua esse iubes, q; illi credidi? Et ille respõdeat: fide mea esse iubeo) se obliget pro principali debitore, ita vt si debitor nõ soluat ipse ad præstationẽ debiti ęquè teneatur. Dico, ęquè. Quia fideiussor in duriorem causã obligari nõ potest, q̃ principalis debitor, licet in tenuiorẽ causã, vel arctiùs dato pignore, vel obligatiõis vinculo se obstringere, & suã cõditionẽ hoc modo duriorẽ facere possit. Durior n. causa hic intelligitur, qñ in plus sese obligat fideiussor vel re, vel loco, vel causa, vel tẽpore, §. pl⁹ aũt, inst. de act. l. Grecè, §. illud, &, l. hi qui accessionis, ff. eo. l. si ita, ff. eo. potest etiã fideiussor vel purè, vel sub cõditione, vel ad tẽpus, vel ex tẽpore dari. Quo casu post lapsũ tẽporis nõ tenetur amplius, l. Lucius, ff. mãdati, l. si cũ Hermes, C. loçati.

Quia

Quis Finis?

Vt creditoribus diligentius sit cautum, vt ait Iusti. in §. 1. instit. eod.

Quis Effectus?

Obligatio illa, qua fideiussor tenetur creditori, si debitor nõ soluat, si enim vnus sit ipse, debitore non soluente, vigore obligationis fideiussoriæ, per stipulationem constitutæ, à creditore cõueniri potest: l. si verò plures, eiusdem debitoris fideiussores: singuli insolidum obligantur, siue expressum hoc sit, siue non, l. non rectè, l. fin. ff. eod. Et potest creditor eligere à quo solidum petat, etiam principali debitore non conuento, sed & eo, quem elegerit nõ satisfaciente, ad alium reuerti potest: cæteri enim electione nequaquam liberantur, l. iure nostro, C. eod. Diuus tamen Adrianus æquitate motus, Beneficium diuisionis pluribus fideiussoribus concessit, vt interea non euidatur obligatio ante solutionem, nec, nisi pro virili parte, quilibet eorum conueniri possit, l. inter plures, ff. eod. Sunt enim quatuor ciuilia beneficia fideiussoribus competentia, quorum duobus antequam soluãt, alijs duobus aut post factam solutionem iuuantur. Primum est beneficium vel beneficium excussionis, extr. auth. præsente, C. de fideiuss. Quo creditor fideiussorem impetere prohibetur, nisi priùs excusso principali, quo absente, vel non soluendo existente, eidem peruenitur ad fideiussorem, d. auth. præsente. Quod quidem beneficium æquitate nititur. Cùm fideiussor in subsidium tantùm teneri, nec alio animo se obligare videatur, quàm vt non solua-

soluat, priusquam constiterit, debitorem nolle, vel non posse, soluere. Huic tamẽ beneficio fauore fideiussorum introducto, quin ipsi fideiussores renuntiare possint, dubiũ non est, Dd. in d. auth. præsente, &, l. si quis in conscribendo, ff. de pactis: Alterũ est beneficiũ diuisionis ex Epistola Diui Adriani introductũ, quo inter fideiussores plures eiusdem debitoris, non quidẽ ipso iure, sed ad petitionem eorũ, ante solutionẽ diuiditur obligatio. Nec aliter, quàm, pro virili parte, quilibet eorũ tenetur: modò oẽs, tempore litis contestatæ, sint soluẽdo, adeò, vt si quis fideiussorum post diuisionem factã efficiatur non soluendo, cęteros amplius nõ oneret, sed creditoris damno hoc cedat, l. inter eos, §. pen. ff. eod. Ex quo tertiũ beneficiũ, actionũ scilicet cedendarum cõpetens post solutionẽ infertur. Nam si nõ allegato D. Adriani beneficio vnus ex fideiussoribus solidũ soluit, potest petere à creditore, vt ei cedat actiones, quibus aduersus cõfideiussores ad viriles portiones agere possit, l. Sticho, §. si cũ vltimo, ff. de solutio. Quartũ remediũ est, actionis mandati. Quod remediũ non cõpetit, si soluerit fideiussor, vel re vera nõ soluerit, sed obtulerit, cõsignarit, vel deposuerit in iudicio debitũ. Nã & ea solutionis vice sunt & liberatio nẽ tribuũt, l. obligatione, C. de solu. &, l. acceptã, C. de vsuris. Datur enim huic mandati actio aduersus principalẽ debitorẽ ad repetendũ id, q̃ pro eo solutũ est, l. indebitũ, ff. de cond. ind. Nec aliqua ante solutionẽ factã fideiussori cõtra debitorẽ datur actio, exceptis tribus casibus quos Greg. IX. notat in c. fin. ext. eod. i. Si debitor diu

indebiti solutiõe cessauit, 2. Si ipse dissipare bona sua cœpit. 3. Si fideiussor per sententiã iudicis condemnatus fuit, vt soluat. His casibus fideiussor agere potest, vt à fideiusione liberetur.

Quæ Affinia?

Conueniunt cum fideiussore, quòd pro alio intercedant mandator, sponsor, constitutor, & expromissor. Mandator dicitur, qui alicui author est, mandatq; vt pecuniã det mutuo, aut vt tempus solutionis proroget: & hi regulariter præcedunt, rei principalis obligatiõe, l. fideiussores, ff. de fideiuss. Constitutor ex diuerso appellatur, qui pro alio se soluturũ cõstituit, quod ipse alterè debebat: sequitur enim obligationẽ, & interdum nudo tantùm pacto, vel etiã per epistolã fieri potest, l. quidã, ff. de cõst. pec. Sponsor dicitur, qui sua sponte, & non rogatus, intercedit pro debitore prçsente. glo. in §. 1. nouel. de fideiuss. Expromissor is propriè dicitur, qui pro eo promittit, qui ipse efficaciter obligatus non est: Velut qui pro seruo centũ domino promittit, si eum manumittat, l. eleganter, §. seruus, ff. de dolo.

Quæ Adiacentia?

Paritas obligationis, mandatum & beneficia fideiussoribus competentia, de quibus supra.

Quæ Pugnantia?

Promissio pro re turpi, fideiussio, nulla existente obligatione, cui accedat, obligatio in plus quàm debitor tenetur facta, nouatio, solutio, cõfusio, præscriptio, sententia diffinitiua, iuramentum, temporis, in quod facta fideiussio, lapsus.

DE

DE SOLVTIONIBVS.

Titulus XXIII.

Continuatio.

FIdeiussioni contraria est, solutio: quia, solutione eius, quod debetur, non tantùm principalis, sed etiam accessoria obligatio, euertitur.

Quid est Solutio?

Solutio nihil aliud est, quàm rei debitæ, per ipsum debitorem, vel alium, eius nomine creditori idoneo satisfactio facta, l. satisfactio, ff. de solutio.

Quæ causa Efficiens?

Voluntas debitoris, vel alterius, nomine debitoris soluentis etiam debitore inuito. Quia soluere pro ignorante & inuito cuiq; licet, cùm sit iure ciuili constitutum, licere etiam ignorantis inuitiq; meliorem conditionem facere, l. soluere, ff. eod.

Quæ Materia?

Est idipsum, quod in obligatione est, modò corporale sit. Nam incorporalia non recipiunt solutionem, nec traditionẽ, l. seruus, §. incorporales, ff. de acquir. rerum dominio.

Quæ Forma?

Est actualis satisfactio, per ipsum debitorẽ, si est habilis persona, vel per alium eius, nomine creditori idoneo, secũdùm q̃ conuentũ est, legitimè facta. Quib⁹ requisita ad solutionẽ cõtinẽ-

tur. Primò enim requiritur, vt persona soluẽs, vel illa, cui soluitur, sit habilis & idonea psona. Quia prodigus, furiosus, pupillus, quãuis debeant, non tamen sine tutorum curatorúmue authoritate rectè soluunt, nec ijs soluitur, Dd. in l. non omnis, ff. de reb. cred. l. q; si fortè &, l. pupillo, ff. eo. Secundò requiritur, vt actualis sit satisfactio, propter res incorporales, quę, sicuti traditi non possunt, ita nec solui: imò satisfactio, q̃ fit sine pignoribus, siue fideiussoribus, volente creditore, pro solutiõe habetur, l. satisfactio, ff. eo. Tertiò requiritur, vt solutio legitimè, & secundùm conuentionis legem fiat. Non enim inuito creditori, alio loco, quàm quo conuentũ est, rectè soluitur, l. i. & l. pen. ff. de eo, quod cer. loco aut alio tempore: nisi citeriore; tempus enim adiectum debitoris gratia videtur, l. quod adiẽ ff. eod. Aut in alia moneta; nisi creditoris nihil interfit, l. Paulus, ff. eo. Deinde, totũ quod debetur, est soluendũ, ad hoc, vt cõtingat liberatio, etiam, eod. Neq; enim per partes solutionem admittere creditor cõpellitur, l. tutor, ff. de vsuris. Et quidẽ ita soluendũ, ne quo modo res auferri possint, siue in specie debeatur, siue in genere, qui sibi, &, l. si rem meam, ff. eod.

Quis Finis & Effectus?

Extinctio obligationis, non tantùm principalis sed etiam accessoriæ. Quia, solutione eius, qd debetur, omnis tollitur obligatio: adeò, vt & pignora & hypothecæ soluãtur. Nec, persoluta sorte retineri possint, ob solas vsuras, nec fideiussor ex fideiussiõe facta manet vlteriùs obligatus, nisi

mul enim cum ipsa obligatione tolluntur omnia, quæ ei accedunt, & veluti appendent, l. per retentionem, C. de vsuris, &, l. solutũ, §. si in sortẽ, ff. de pig. act. Nec interest, quis soluat, vtrùm ipse, qui debet, an alius pro eo. Si tamen fideiussor soluerit, interest: an debitoris nomine, vel suo proprio nomine, soluerit. Nam si debitoris nomine, debitor principalis ipso iure liberatur ab obligatiõe: secus si proprio nomine. eo enim casu non ipso iure, liberatur debitor, sed exceptionis, ex facto fideiussoris competentis adminiculo, l. Papinianus, ff. mandati, l. Stichum, aut Pamphilũ, §. mandato, ff. de solut.

Quæ Affinia?

Acceptilatio, nouatio, delegatio, confusio, oblatio, consignatio, depositio, compẽsatio, transfusio, bonorum cessio, rei interitus, iusiurandũ, pactum de non petendo. Omnia enim hæc obligationes soluunt.

Quid est Acceptilatio?

Acceptilatio est, liberatio per mutuam interrogationem, qua vtriusque contingit, ab eodem nexu, liberatio, siue absolutio, vt Modestinus definit, in l. 1. ff. eo. Et necesse est, quòd per stipulationem debeatur id, quod per acceptilationẽ tollitur, ideoq; si alio contractu debeatur, necesse est, quòd nouetur per stipulationem, & huius effectus est, qui & solutionis. Quia acceptilatione omnimodo ab obligationis nexu contingit liberatio, l. si accepto, ff. eod.

Quid Nouatio?

Nouatio est, prioris debiti in aliam obligationem ciuilem, vel naturalem, transfusio: nec refert vtrùm priùs fuerit ciuilis, vel naturalis, re, verbis, vel qualiterq; contracta, l. 1. ff. eod.

Quid est Delegatio?

Delegatio est, cùm quis vice sua debitorem suum consentientem delegit creditori suo: ita vt debitor promittat per stipulationem debitum creditori: fit enim delegatio, vt Vlp. ait, vel per stipulationem, vel per litis contestationem, l. delegare, ff. de nouat. Ad hoc tamen, vt delegatu procedat, requiritur: l. mandatũ delegantis. 2. Vtis qui delegatur, sit debitor delegantis. 3. Voluntas & consensus delegati. 4. Vt debitor promittat debitum creditori, per stipulationem, nomine delegantis, l. quamuis, ff. de nouat. & l. 1. C. de nouat.

Quid Confusio?

Confusio hic dicitur, si vi successionis obligationes confundantur. Vt si Reus debendi creditori vel ecõtrà creditor hæres debitoris existat, l. si debitor creditori, ff. de fideius.

Quid Oblatio, Consignatio, Depositio?

Oblatio, consignatio, depositio fiunt, cùm congruo loco & tempore res debita offertur, consignatur, & deponitur, liberantq; debitorem, instar solutionis ab obligatione, l. 1. ff. depositi, l. consignatione, C. de solut. l. acceptam, C. de vsuris.

Quid

Quid est Compensatio?

Compensatio est, debiti, & crediti inter se cõtributio, l. 1. ff. eod. quæ ideò necessaria est ad tollendam obligationem, pro rata quantitatis cõcurrentis. Quia interest, nostra potiùs nõ soluere, quàm solutum repetere, l. 3. ff. de compens.

Quid Transfusio?

Transfusio hic dicitur, cùm debitor deportatur, aliudúe delictum cõmittit: propter quod omnia bona eius publicantur. Eo enim casu, transfunduntur obligationes in fiscum: ita vt debitor, ipso iure liberetur, fiscusque obligetur creditoribus, tanquam successor, l. si debitori, ff. de solut.

Quid bonorum Cessio?

Cessio bonorum fieri dicitur, quum debitor profitetur, se velle cedere omnibus bonis, & fortunis suis, siue in iudicio, siue extra iudicium, coram, aut per nuntium, aut per epistolam, l. fin. ff. eod. Propter quam cessionem, debitor beneficiũ competentiæ habet, vt vltrà, quàm facere possit, non condemnetur, l. 4. ff. de cess. bon. Nec tamen ea ab obligatione naturali, vel ciuili liberationem, sed tantùm exceptionem inducit, l. vnica, & ibidem Dd. C. qui bo. ced. possint.

Quæ Pugnantia?

Prodigalitas, furor, minor ætas dantis, vel accipientis, non accedente tutoris, vel curatoris authoritate, simulata solutio, defectus traditionis, deceptio circa monetam, tempus, vel locum solutionis interueniens.

DE DONATIONIBVS.

Titulus XXIIII.

Continuatio.

TItulus iustus transferendi dominij est, ipsa donatio, cùm liberalis in donando ad praestationem rei donatæ iuris remedio compellatur. Nam & hanc sibi quodammodò nobilitas legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit, existimet: Et nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se præstitisse putet, vt ait Gregorius c. 1. extr. eod.

Quid est Donatio?

Donatio est, mera liberalitas, qua id, quod nullo iure cogente debetur, conceditur, d. c. 1. extr. eod. &, l. donari, ff. eod.

Vnde dicitur Donatio?

Donatio diciur à dono, quasi doni datio. Senatus, §. donatio, ff. de donat. causa mor.

Quotuplex Donatio?

Iulianus in l. 1. ff. eod. triplicem commemorat donationem: scilicet, puram & simplicem, conditionalem, & donationem ob causam, l. 1.

Quid est Donatio simplex?

Donatio simplex est, cùm quis, ex mera liberalitate, purè, sine aliqua cõditione, vel causa, dat vel promittit, vt statim velit accipientis fieri nec vllo casu ad se reuerti, l. 1. ff. eod.

Quæ

Quæ causa Efficiens?

Ius ciuile. Eo enim iure donationis ius ita cõstitutum est, vt necessitatem præstandi inducat, l. si quis argentum, C. eod. Et libera donatoris voluntas, l. rem legatam, ff. de adimen. leg.

Quæ Materia?

Res mobiles, & immobiles: quæ etiam alienari possunt, ob id res, quæ non alienatur, donari nequit.

Quæ Forma?

Vt donator, per stipulationem, vel nudo pacto, promittat vel det rem, quę donari possit, ex mera liberalitate: etsi summã 500. aureorũ ipsa excedat, insinuetur notioni magistratus. In rebus autem Ecclesiasticis vel spiritualibus obseruetur forma alienationibus præscripta: scilicet, accedat consensus Capituli, vel Prælati, nullumque Ecclesię damnum ipsa respiciat, c. pastoralis, &, c. fraternitatem, extr. eod.

Quis Effectus?

Condictio ex lege, quæ datur donatario cõtra donatorem, ad tradendam rem donatam, vel ipsius æstimationem, si non habet facultatem tradendi: præstaturq; euictio, si donator quid dolo fecerit, l. si quis argentum, §. sin autem, C. eod. &, l. aristo, ff. de donat. Quamuis enim olim ad donationis perfectionem necessaria fuerit, vel stipulatio, vel præsens traditio: iure tamen nouo ex hoc donatio non inualidatur, quòd stipulatio non intercesserit, vel res tradita non est. Sed et-

iam nudopacto ea perficitur, daturq; inde actio, nempe condictio ex noua Iustiniani constitutione, d. l. si quis argentum.

Quæ Affinia?

Venditio, & alij contractus nominati. Nã hodiè donationes, exemplo venditionum, statim atq; conuenit, perficiuntur, &, pœnitentia exclusa, habent necessitatem traditionis, vt cęteri contractus nominati, l. fin. C. de reuocan. donat.

Quæ Pugnantia?

Ingratitudo: ob quam ipse reuocatur. Eius autem ingratitudinis plures sunt causæ, quas Gregorius IX. in c. fin. ext. eod. & Imperator in l. fin. C. de reuocandis donat. recensent. Sunt autem: 1. Si iniurias atroces in donatorem effundat. 2. Si manus impias inferat. 3. Si graue damnum rebus donatoris dederit. 4. Si vitæ eius fuerit insidiatus. 5. Si placitis & conditionibus donationi adiectis parerenolit. Ob has enim ingratitudinis causas, donatio reuocari potest. Cui⁹ rei est. Ne cuiquam licentia sit, & alienas res rapere, & liberalitatem irridere donatoris, l. generaliter, C. de reuocandis donat.

Quid est Donatio conditionalis?

Donatio conditionalis est, quæ sub conditione concepta est: Vt donatio, causa mortis, quæ consideratione impendentis mortis, aut periculi, est in donatarium transfert. Hac tamen conditione, vt, post ipsius obitum, res maneat potiùs penes donatarium, quàm hæredem donantis: vel si ita conualuerit, malit se habere, quàm ipsum donatarium, l. 1. ff. de donat. causa mortis.

Quæ

Quot sunt Donationis causa mortis Species?

Iulianus in l.2.ff.de donat.cauſ.mor.cõſtituit tres: 1.Cùm quis nullo præſentis periculi metu, cõterritus, ſed ſola mortalitatis cogitatione donat.quod quidem exprimendum eſt, alioquin pura erit etiam à moriente facta donatio, l. Seia,ff.eod. 2. Cùm quis, imminente periculo, commotus ita donat, vt ſtatim res fiat accipientis. 3.Si quis,periculo mortis non ſic det,vt ſtatim faciat accipientis,ſed tum demũ cùm mors fuerit ſecuta:quæ donatio, ſub conditione pendet.Superior ſtatim quidem perfecta eſt,ſed ſub conditione reſoluitur,l.ſenatus, §. mortis, l. ſi alienam,ff.de donat.cauſ.mortis.

Quæ cauſa Efficiens?

Voluntas donatoris,dominium rei donatæ, ſub conditione expreſſa, ſi mors inſecuta fuerit, in donatarium transferentis,d.l.ſenatus,&, l. 1. ff.eod.

Quæ Materia?

Omnes res mobiles,& immobiles,quæ in humanum commercium venire non prohibentur, & quæ teſtamento relinqui poſſunt.vniuerſitas tamen bonorum,non, niſi in vim fideicommiſſi, ita vt ſcriptus teſtamento,vel ab inteſtato heres deducat quartam,mortis cauſa donari poteſt, l. Scæuola,ff.ad Treb.Alc.ad l.licet,C.de pact.

Quæ Forma?

Vt donator,vel in ſcriptis,vel ſine ſcriptura,ſtipulatione,vel nudo pacto,in iudicio, vel extra iudi-

iudicium, coram quinque testibus, sub expressa conditione mortis insecutæ, donatario præsenti docet, l. Seia, &, l. inter mortis, ff. de mortis causa donat.

Quis Effectus?

Retentio rei traditæ. Quòd si non tradita sit, rei vindicatio: quæ competit ad consequendam rem donatã, nulla obstante vsucapione, l. seruus §. 1. ff. de dona. cau. mor. Expensę tamẽ necessariæ vel vtiles, per doli exceptionem recuperantur, l. si mortis, ff. eod. Alter effectus est, translatio iusti tituli vsucapiendi, l. qui alienam, ff. de donat. caus. mor.

Quæ Affinia?

Mortis causa capio, legata, & alię vltimæ voluntates. Mortis tamẽ causa capio differt à donatione causa mortis. Quia in mortis causa donatione obligatur, qui donat plerunque & eiungitur, & plerunque traditur statim res: sed mortis causa capio est, quando post mortem alicuius aliquid datur alicui, causa conditionis implendæ, vt, quicquid, propter alicuius mortem obuenit, lucri, siue ex donatione, siue alia occasione, vt generaliter mortis causa capi, & capio, ex causa lucrativa acquisitio dicitur, l. si mulier, et, l. mortis, ff. de mor. causa donat. Distat etiam donatio causa mortis à legato: quòd legatum regulariter petitur ab hærede: donatio autem plerunque à donante. 2. In legatis inspicitur, vtrùm legatarius capax sit legati, sed in donatione, causa mortis, conditio donatoris attenditur, l. senatus, §. si quis, ff. eod.

ibiq.

tod. Plures differentias vide in glos. institu. eo. tit. §. hæ mortis.

Quæ Pugnantia?

Pœnitentia, & mors donatarij, si ante conditionem donationis impletã contingat. His enim duob' modis, donatio, mortis causa, resoluitur: qua resoluta condictio personalis, vel vtilis in rem actio, ad recuperationem rerum donatarũ competit, l. senatus, &, l. si mortis, ff. eod.

DE PECVLIO CLERI corum.

Titulus XXV.

Continuatio.

CLerici licet de peculio indifferẽter donationem simplicem facere possint: tamen pietatis ratio suadet, vt quæ intuitu Ecclesiæ quæsita sunt, Ecclesiæ remaneãt, c. 1. extr. de testa. &, c. fin. extr. eod.

Quid est Peculium?

Peculium dicitur pusillum patrimonium, seu pusilla pecunia, seruo à domino, vel filiofamilias à patre concessa, & seorsum à rationibus domini, vel patris posita, l. depositi, §. peculium, ff. de peculio.

Quotuplex Peculium?

Quadruplex: puta, profectitium, aduentitiũ, castrense, & quasi castrense, profectitiũ est, quod ex re patris eiúsve occasione, ad filium proficiscitur.

tur. Et hoc acquiritur patri, quò ad proprietatẽ, & vsumfructum, gl. in l. cùm oportet, C. de bon. quæ lib. Aduentitium est, quod non ex re patris, sed aliunde, scilicet, ex donatione, successione, vel ex prosperitate fortunæ prouenit, d. l. cùm oportet. Et huius peculij proprietas filio, vsus fructus autem patri acquiritur. Castrense peculium est, quod à parentibus vel cognatis in militia donatum est, vel quod ipse filiusfamilias in militia acquisiuit, quod, nisi militaret, acquisturus non fuisset, l. Castrense, ff. de Castrēsi pecul. lio. Et hoc quò ad proprietatem & vsumfructū ad filium spectat. Demum, quasi Castrense peculiū dicitur, quod filiusfamiliàs aduocati, ex causarum patrocinijs, præfectus magistratus, vel filiàs in officio constitutus, ex functione, vel publico munere, procurator, notarius, opera sua vel clericus ex sacerdotiorum prouentibus acquisuit, l. fori tui, C. de aduo. diuers. iud. & ibidē Bart. in rub. de pecul. cuius peculij proprietas vsusfructus simul ad filiumfamiliàs spectat. igitur conquisita ex prouentibus sacerdotii eius naturæ, cuiꝰ & bona peculij quasi Castrensia censeantur, hinc quæri solet: an clericus possit illa alienare possit? Et distinguitur: testamentationem, quę cõtingit per actus inter vivos, quæ per vltimã voluntatem. quoniã possit quidem illa in vita sua, prout vult, administrare, distrahere. Non autem testamentario vel fortassorio nomine alicui hęredum prohæredum relinquere. nisi forsan cui Episcopus, pro seruitio ac præstatione Ecclesiæ largiri voluerit, c. hi qui sanè, ext. eo. Quia de rebus Ecclesiæ, vel Ecclesiæ

intuitu quæsitis, testari prohibetur, cùm illa Ecclesiæ, vnde prouenerunt, remanere debeant, c. 1. ext. de testamentis. Præsumitur autem de bonis Ecclesiæ quæsitum, quicquid à rectore Ecclesiæ, tempore promotionis nihil habente, quæsitum est, c. 1. extr. eod.

DE TESTAMENTIS ET vltimis Voluntatibus.

Titulus XXVI.

Continuatio.

CLericus de rebus patrimonialib. pro libitu disponere potest, easq; per viã testamenti, vel aliam vltimam voluntatẽ, alicui relinquere.

Quid est Testamentum?

Testamentum, secundùm Vlp. in l. 1. ff. eod. est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo, q; quis post mortem suam fieri velit: ex eo appellatum, quasi testatio mentis sit.

Quotuplex Testamentum?

Tria testamentorũ genera olim vsurpata fuerũt. Vnum, quod, calatis comitijs in cõcione populi fiebat. Alterum, in procinctu, cùm viri ad prælium faciendum vocabãtur. Tertium, per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhibebatur, Gellius lib. 15. cap. 27. Quibus abolitis, duplex testamenti genus: scilicet, solenne & nuncupatiuum, successit. Dicitur autem solenne, quod, debitis solennibus obseruatis, in scriptis cum subscriptione & consignatione septem te-

testium omni exceptione maiorum, conditum est, l. hac consultissima, C. eod. Nuncupatiuum autē, quod absque scriptura nuncupato tantùm coram septem testibus rogato adhibitis, hærede, Alc. lib. 2. parer. cap. 32.

Quæ causa Efficiens?

Ius gentium, secundùm Theophilum in §. instit. de iure Natu. Gen. & Ciuili, qui testamenti factionem iuris gētium esse asserit, licet forma testandi vtentium moribus fuerit variata. Nā autē iure ciuili certa præscripta, qua, rationem testium, subscriptionis, vel sigillationis, alterius solennitatis requisitæ, vitiata, totus actus concidit, l. si vnus, C. de testa. l. scio, ff. de testibus.

Quæ Materia?

Omnia bona testatoris, tam mobilia, quàm immobilia. Quia de omnibus rebus testari licet, in quibus hæres instituí potest. Cùm igitur omnis iuris sit successor, non poterit hæres in nullo instituí: quia in ea nihil iuris ad hæredem testatore deuoluitur, l. interdum, ff. de hæred. instit.

Quæ Forma?

Forma solennis testamenti est, vt testator habens testamenti factionem, scribat testamentum, vel alium, ad scribendum, adhibeat: in quo instituat hæredem capacem, postq; subscriptionem & sigillationem offerat septem testibus ad hoc rogatis, & omni exceptione maioribus debitas subscriptionibus & consignationibus confirmandum, l. hac consultissima, C. eod.

Forma

Forma nuncupatiui testamẽti est, vt nulla scri ptura interueniente, testator coram septem testi bus voluntatem suam declaret: nec ad eius substantiam scriptura pertinet, licet testatoris volũ tas coram testibus declarata quandoque in scripturam redigatur, argu. l. contrahitur, ff. de pig. act. Nec aliter hoc testamenti genus à solẽni differt, quàm quòd in solenni celetur, in nuncupatiuo autem exprimatur voluntas. Omnia etiam requisita, quæ in solenni testamento desiderantur, & nuncupatiuo testamento adhiberi debẽt, excepta sola scriptura, subscriptione, & sigillatione testium. Requiritur autem ad solẽne testamentũ: primò. Vt testator habeat testamenti factionem actiuam: hoc est, vt possit condere testamentum, de quo habentur tituli in C. &, ff. qui testamẽtum facere possint. 2. Vt fiat institutio hæredis, qui habeat testamenti factionem passiuam: id est, hæres in testamento institui non prohibeatur, de quo in tit. de hæredibus instituendis, C. &, ff. 3. Si testator literas norit, vt propria manu testamentum scribat, aut si non velit, vel non possit, alio scribente, se subscribat. 4. Præsentia septem testium, præter eum, qui loco testatoris scribit. 5. Quòd illi testes sint ad hoc rogati, & non casu accesserint, l. hæredes palàm, ff. eo. 6. Vt illi testes sint omni exceptione maiores, nõ mulieres, impuberes, serui, muti, surdi, furiosi, pdigi, vel potestati testatoris subiecti. 7. Quòd testes se subscribant, si possint, non autem vnus pro alio. 8. Vt testes consignent proprijs annulis vel alienis, si proprios non habent, l. si vnus, eod. 9. Vt omnia illa vno contextu, nullo alieno

actu interueniente fiant: nisi humana necessitas aliud coegerit, l. cùm antiquitas, C. de testa. Vltimò denique requiritur: Quòd testes sint in præsentia & conspectu testatoris, ipsumq; oculis videant. Et prædicta adeò sunt necessaria in testamento solenni, vt si vnum deficiat, vitietur testamentum, ob defectum solennitatis: nisi parens testetur inter liberos: quia tum duos testes adhibere satis est, d. l. hac consultissima, §. ex imperfecto, & ibidem Dd. C. eod. Vel ad pias causas valet enim vltima voluntas, ad pias causas, coram duobus testibus declarata, c. relatum, extr. eod. Imò testamentum, quod Parochianus coram presbytero parochiali & duobus testibus ordinauit iure Canonico subsistere, Alexander III. decreuit, c. cùm tu frater Episcope esses, extr. eodem.

Quis Finis & Effectus?

Successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit. Testamẽtarius enim hæres in ius defuncti succedit. 2. Petitio hæreditatis, quæ dantur tiam ipsi instituto hęredi, aduersùs eum, qui vel res hæreditarias, pro hærede, vel pro possessore, possidet, l. regulariter, ff. de petit. hæred.

Quæ Affinia?

Aliæ vltimæ voluntates, quæ licet careant solennitatibus, eundem tamen, vel non multum diuersum à testamẽtis habent effectum. Vt sunt testamẽta inter liberos, ad pias causas inter, rusticos, tempore pestis aut belli, per preces, Principi, vel magistratui oblatum testamentum, vel apud

pud acta, coram iudice factum, & codicillus. Ad testamentum inter liberos sufficiunt duo testes, siue masculi, siue fœminæ, de quo habetur in d.l. hac consultissima, §. ex imperfecto cum auth. seq. C. de test. & l. fin. C. fam. hercis. Testamenti ad pias causas ratio non secundùm leges, sed secundùm decretorum statuta, quibus ad valorem tres vel duo testes legitimi sufficiunt, exigitur, de quo in c. relatum, extr. eod. Testamentum rustici adhibitis quinque testibus conditũ subsistit, l. fin. C. eod. Testamentum militare, si in castris, vel expeditione à milite fiat, etiam omnibus destitutum solennibus, modò duorum testium depositione possit probari, valet. Adeò vt si in conflictu hostium miles sanguine suo in gladio voluntatem vltimam notauerit, vel pulueri digito inscripserit, testamenti habeat vigorem, l. milites, C. de militari testamento. Testamentum tempore pestis coram duobus vel tribus testibus, conditum etiam subsistit: nam illud instar militaris testamenti iuris gentium, (quod hunc testium numerum exigit) esse censetur, multoqúe magis, ob periculum morbi, ipsa testatoris voluntas, quàm in alijs testamentis requisita solennitas attenditur, Bart. in l. vni. ff. de bonorum posses. ex testamento militis. Testamentum coram Principe factum, dicitur quod Principi vel magistratui offertur, quorum approbatio omnem solennitatem supplet, l. omnium, C. eod. Testamentum apud acta fieri dicitur, non modò, quod fit in iudicio, verùm etiam quod extra iudicium, in præsentia iudicis vel magistratus & notarij publici. Est enim testamen-

menti factio, voluntariæ iurisdictionis, ideoq
in loco publico expediatur, non requiritur, s
tantùm, vt coram iudice explicata in acta pub
ca referatur, Salicetus in l. pacta nouissima, C.
pactis. Codicillus est, vltima voluntas, q
sine solennitatibus requisitis, per fideicomm
sum aliquid relinquitur, l. fin. C. de codi
Nam solennitates : scilicet, septem testium
merus, rogatio, subscriptio, & subsignatio,
non requiruntur : sed tantùm quinque adh
tur testes. Deinde, nec dari, vel adimi hæred
& proinde nemo hęres codicillis instituri po
ne confundantur iura codicillorum, & te
torum, l. 2. C. de iure Codicillorum. Confi
tur autem quatuor modis codicilli: Aut eni
futurum confirmantur testamento, aut in
teritum, aut per fideicommissum testam
non iure facto, aut, sine testamento, ab int
l. 8. ff. de iure codicil. Et denique reuocant
subsequens testamentum, aut codicillos c
rios, licet, si codicilli diuersi sint, subsistan
que, l. 3. C. de codicil.

Quæ Adiacentia:

Institutiones, substitutiones, exhæ
nes, legata & fideicommissa. Institutio
caput & fundamentum testamenti est,
missa, ipsum non subsistit, l. 1. ff. de hæred
tut. & est Ordinatio, qua quis in bonis
lium dominum, qui ea per aditionem hę
tis adipisci poterit, cõstituit, l. cùm hæred
de acquir. possess. Substitutio est in loc

iuscunque instituti hæredis deficientis suppositio: quæ vel directa, vel fideicommissaria est. Directa est, per quam substitutus directò, sine alterius ministerio hæreditatem capit testatoris. Et diuiditur in vulgarem, pupillarem, exemplarẽ, breuiloquam & compendiosam. Vulgaris est, q̃ à quolibet testamenti factionẽ habente, cuilibet capaci, verbis apertis, & vulgaribus directè fieri, & in quemcunque casum concipi potest: sic appellata, quòd sit maximè communis, & vulgò fieri soleat, Bart. & Dd. in l. 1. ff. de vulg. & pupill. Pupillaris substitutio est, Ordinatio hæredis, à patre in testamento filio impuberi in potestate cõstituto facta, sub ea cõditione, si impubes decesserit, Zasius in tractat. substit. cap. 2. Exemplaris substitutio, dicitur, cùm parentes vtriusque sexus substituunt furioso, vel mente capto eius descendentes, vel, his deficientibus fratres, vel etiam extraneos: si scilicet neque ascendentes, neque etiam fratres supersint: dicta exemplaris, quia ad exemplum pupillaris introducta est. Breuiloqua: quæ continet duas vulgares, & duas pupillares substitutiones: Vt cùm duo impuberes in potestate constituti, instituti à parente sibi inuicem reciprocè substituuntur. Compendiosa est, quæ verborum compendio vltra pubertatem porrigitur, & plures etiam substitutiones, seu tempora, complectitur, l. precibus, C. de impub. & alijs substitu. Fideicommissum, seu fideicommissaria substitutio est, per quam substitutus hæreditatem ex manu alterius, & sic via obliqua, capit, de qua tit. in C. de fideicom. &, ff. ad senatus consul. Trebel.

Legatum est, vt ait Florent. in l. legatum, ff. de leg. 1. deliberatio hæreditatis: quia testator ex eo quod vniuersum hæredis foret alicui quid collatum vult. Exhæredatio est, liberorum ab hæreditate & succedendi iure exclusio, propter causam in testamento insertam, & legitimè probatam, à parentibus facta, sunt autem XIIII. causæ, ob quas exhæredatio filiorum fieri potest: quæ notantur in §. aliud quoque, auth. vt cùm de appellatio. cogn. collat. 8.

Quæ Pugnantia?

1. Defectus requisitorum. Nam si testamentum careat solennitatibus, vel qua alia re, quæ necessariò desideratur, destitutum sit: nisi aliqua iusta causa ipsum sustineat, tunc nullum, iniustum, & non iure factum, dicitur. 2. Modi quibus testamentum rumpitur. Rumpitur primò, per agnationem sui hæredis: naturam puta, vel ciuilem: quod fit, si post testamentum factum natus fuerit posthumus, vel testatori aliquem, qui per adoptionem, in eius transeat potestatem, adoptauerit, vel arrogauerit, l. 1. ff. de iniusto rupto & irrito facto test. Secundò rumpitur per posterius testamentum, cùm talium à priore dispositione discedere, & ad extremum vitæ exitum mutare voluntatem suam possit, l. 4. ff. de adimen. leg. 3. Modi, quibus testamentum fit irritum, scilicet, maxima, vel media capitis diminutione, deportatione, vel condemnatione ad pœnam capitalem, ipsius testatoris,

l.si quis filio, ff.de iniusto rupto & irrito facto testa. 4. Modi, quibus inofficiosum redditur testamentum: & dicitur inofficiosum, quod cõtra pietatis officium factum est, quod contingit, si parentes, absque legitima ex hæredationis causa, prætereant liberos: pari ratione liberi parentes, descendentibus non existentibus, vel fratres sororesque vtrinque coniuncti, turpi persona instituta, se prætereant. Ob id prædictis prætieritis personis datur contra quoscunque hæredes subsidiarium remedium, ad rescindendum tale testamentum. Hoc est querela inofficiosi testamenti, qua petitur, vt iudex testamentum ex officio suo rescindat, quasi contra pietatis officium conscriptum, l.2. ff.de inoff.test.l.fratres, C.de inoff.testa.

DE SVCCESSIONIBVS ab intestato.

Titulus XXVII.

Continuatio.

HAereditas duplici iure defertur, vel ex testamento, quæ testamentaria, vel ab intestato, quæ propriè legitima nominatur, quoniam eam lex ipsa absque hominis facto defert.

Quis dicitur Intestatus?

Intestatus decedere dicitur quatuor modis scilicet, si nullum omninò fecerit testamentum

vel fecit sed non iure, vel iure fecit, sed postea ruptum, irritumq; factum est, vel ex eo nullus hæres extitit, l. intestatus, ff. de verb. sig. &, l. 1. ff. de suis, & leg.

Quomodò Intestati successio legitimè defertur?

Primò liberis, secundò parentibus, & cum eisdem fratribus, tertiò à latere coniunctis, habita propinquitatis, & coniunctionis ratione, de quo habetur in Nouel. 118. & auth. in successione, auth. defuncto, C. de leg. lib. &, auth. cessante, & auth. post fratres, C. de leg. hæredibus.

Quomodò Clerico Intestato decedenti succedatur?

Hostiensis in §. qualiter, hoc tit. itá distinguit. Aut clericus patrimonialia bona intestatus decedens relinquit: & tunc propinquiores cognati illi succedũt, c. si. 12. q. 5. c. vlt. §. sed si Episcopus quibus non existentibus, Ecclesia admittitur, c. intuitũ, 12. q. 5. ita tamen, vt vxor si quam clericus habet, Ecclesiæ pręferatur, l. si qs presbyter, C. de episc. & cler. Aut: bona, intuitu Ecclesiæ quæsita reliquit: & Ecclesia omnibus præfertur, intantum, vt nec de ipsis dispositio vltima valeat, c. 1. ext. de testamen. Quòd si autem omnia bona in sint confusa, vt quid patrimoniale, vel ab Ecclesia sit? secerni non possit: in quatuor partes peculiũ est diuidendũ, & vna pars Ecclesiæ, altera Episcopo, tertia pauperib. quarta parẽtibus idoneis assignãda, c. sancto, ext. eo. Quod quidẽ obtinet,

net, si peculia verè confusa esse cõstet: Nã si dubitetur, fueritq; clericus tẽpore suæ promotionis egens, quicquid post Ordinationem acquisiuit, id totum de bonis Ecclesiæ acquisiuisse præsumitur, & ideò sola Ecclesia ad intestati successionem admittitur, c. 1. extr. de pecul. cler. &, c. quicunque. 12. q. 3.

DE SEPVLTVRIS.

Titulus XXVIII.

Continuatio.

NOn tantùm de bonis testatorum, quàm intestatorum demortuorum legitimè distribuendis: sed etiam quomodò Christiani pij & Catholici corpus ab anima relictũ, iuxta morem consuetum, sepulturæ mandetur, cura & solicitudo Episcopo incumbere debet.

Quid est ius Funerandi?

Ius funerandi est, potestas tumulandi Christianorum corpora in cæmeterio Ecclesiastico, ex assignatione Pontificis, vel consuetudine Ecclesiæ proueniens, Hostiens. eod. titu. §. quid ius funerandi.

Quæ causa Efficiens?

Canon, consuetudo funerandi, authoritas Pontificis, vel Episcopi, c. sicuti antiquitùs, 17. q. 4. Licet enim sepulchra quilibet facere possit, in re propria, & in sepulchro proprio siue cõmuni ius funerandi habeat, locus tamen sacer nõ fit,

nisi Episcopi authoritate accedente, Mynſ. §. re-
ligiosum, inſt. de rerum diuiſ.

Quod Obiectum?

Corpora Christianorum ex hac vita piè & re-
ligiosè decedentium, c. qui diuina, 13. quæſt.
Hinc colligi potest: quibus sepultura denegan-
sit: scilicet, paganis, hæreticis, vsurarijs, de-
ctantibus Ecclesiæ persoluere decimas, inua-
possessas, excommunicatis, furibus, latronibus,
raptoribus, apostatis, seipsos interficientibus,
propter propria commissa scelera interfectis,
Ecclesiam, dist. 3. c. fures, extr. de furtis, c. quia
omnibus, extra de vsuris, c. placuit, 23. q. 5. c.
apud, 88. dist. Vide etiam plures casus in Host.
si, §. quibus interdicatur, hoc tit. & Panorm.
tract. de visit. 2. parte, q. 3. num. 56.

Quæ Forma & modus Sepe-liendi?

Vt Christianus hinc piè discedens, in Pa-
ali Ecclesia, vel vbi maiorum suorum sepul-
constituta reperiuntur, aut quem locum ip-
bi delegerit, consueto more sepeliatur, c. pe-
it, 13. quæst. 2. c. 1. extr. eod. c. is qui, &, c. licet,
tit. in 6. Testatur Augustinus ad Marcellin.
De ciuitat. Dei, Romanis magnam sepulturæ
isse curam, multaq; & varia solennia adhi-
fuisse. hinc multa de religione sepulchrorum
pœnæ legibus additæ, qui hoc vel illud com-
serit: vt, qui parentes in calamitate desere-
qui causas mortis non reddiderit, qui alteri
iustè trucidauerit, insepultus abijciatur. Vi-
Con-

Cicero, pro Milone eò infœlicius dixit cadauer Publij Clodij fuisse, quòd honore illo, & consue ta funeris pompa caruerit. Recenset etiam Cicero, lib. 1. Tuscula. morem fuisse Aegyptijs condire mortuos, & domi seruare. Persis cera circum litos, vt quammaximè diuturna permaneant corpora, habere. Magis nō humare corpora, nisi à feris sint anteà dilaniata. Fuit etiam apud Ethnicos vetustissima humandi & sepeliendi homi num corpora consuetudo: sed successu temporis, cùm ab hostibus humatorum corporum reliquiæ in contumeliam ex terra crebriùs eruerentur, cadauera demortuorum hominum igne conflagrari & consumi, vt tantæ exercendæ iniuriæ facultas hostibus abscinderetur, mos irrepsit.

Quis Effectus iuris Funerandi?

Perceptio portionis canonicæ aliarumque rerum Ecclesiæ relictarum, ab eo, quem sepulturæ tradi religiosum fuerat: secus, si, ob delictum, vel aliā causam, sepeliri fuerit prohibitus. Hoc enim casu sepeliens ipso facto excommunicationis sententiam incurret, à qua nisi priùs ad arbitrium diœcesani Episcopi, ijs quibus iniuria irrogata fuerit, satisfactionem competentem exhibuerit, absolui non poterit, nullo priuilegio exemptionis ei suffragante, Clem. 1. eod. titu. Imò qui ita contra Canones sepulturæ traditi sunt, si eorum corpora à corporibus infidelium discernantur, exhumandi sunt, quòd si discerni non possint, ne forsan fidelium reliquiæ effodiantur, non sunt extumulandi.

licet

licet enim non obsit iustis sepultura nulla, vel vilis, impijs tamen celebris vel speciosa nō prodest, c. sacris, extr. eod. Est & iuris funerandi effectus actio funeraria, de qua infrà, eod. titulo.

Quotuplex est portio Canonica?

Duplex Parochialis & episcopalis. Parochialis dicitur portio, quæ parochiali ecclesiæ, vel ipsius Curato & Rectori debetur.

Quæ causa Efficiens Canonicæ portionis parochialis?

Causa efficiens sunt, Conciliorum decreta, & Bonifaciana, vel Clementina constitutio, c. cum super, extr. eod. Clem. 2. eo. tit.

Quæ causa Impulsiua?

Ipsa æquitas, vt parochialium ecclesiarum Rectores, impensi laboris aliquod habeant solatium, Clem. 2. eo.

Quod Obiectum?

Canonicæ portionis præstationi obijcitur habitum seruitiū & munus Rectoris ecclesiæ, quod ipse summo pietatis feruore obire tenetur. Huius enim quasi remunerationem Canonica portio soluitur.

Quæ Materia?

Omnes res corporales, & incorporales, mobiles & immobiles, quæ alij ecclesiæ extra eam, qua quis diuina officia audit & Sacramēta percipit, relinquūtur, ex quibus Canonica portio parochialis ecclesiæ Rectori exoluenda detrahitur.

Qua

Quæ Forma constituendæ Canonicæ portionis parochialis?

Vt quis aduersa valetudine laborans in alia ecclesia extra eam, in qua diuina officia audiuit, vel sacramenta percepit, elegerit, eidemq; res aliquas reliquerit, quarum rerum cõiunctione vel computatione facta, detrahatur quarta pars, vel etiam tertia, vel dimidia, si hoc consuetudinis sit, & Rectori vel Curato parochialis ecclesiæ concedatur, Clem. 2. & c. cùm super, extr. eod. c. certificasti, ext. eod. &, c. vobis, 12. quæst. 2. Dico: (aduersa valetudine.) Quia duo excipiuntur casus, quibus canonica portio, de rebus alteri ecclesiæ relictis, nõ detrahitur: scilicet, primò, si quis sanus, & nulla ægritudine correptus alij ecclesiæ, extra propriam parochiam, quid reliquerit, bona enim sua, tunc non tantùm religiosis, sed etiam priuatis quibuslibet conferre potest, c. donare, 88. disti. Altero, si pro fabrica, anniuersario, pro equis, armis, contra infideles exercendis, vel ad perpetuum cultum diuinum in infirmitate constitutus reliquerit. Non enim, his casibus, detrahitur canonica portio: nisi in fraudem parochialis ecclesiæ hoc factum probetur.

Quæ causa Finalis?

Ne Rectores parochialis ecclesiæ, vel ij, quibus cura animarum commissa est, debitis fraudentur subsidijs. Nam cùm cuilibet liceat, etiam extra illam ecclesiam, in qua diuina percipit, sibi in alia Ecclesia sepulturam deligere, ne quis immemor parochialis ecclesiæ, à qua bona accepit

pit largis donis aliam amplectatur, iure statutū est, vt de relictis quarta vel amplior pars, si moris sit, detracta Rectori parochiæ adiudicetur, cl. Clem. 2.

Quid est portio Episcopalis?

Portio Episcopalis est, quarta pars, quæ de oblationibus, & reditibus, ratione altaris prouenientibus detrahitur, & Episcopo, propter onus episcopale, quod ei incumbit, conceditur, Hostiens. in §. de quibus, hoc tit.

Quæ causa Efficiens?

Canon, vel statutum Pontificis, Episcopo de reditibus & oblationibus canonicam portionē concedentis, c. concesso, 12. q. 2.

Quæ Materia?

Omnes oblationes, & reditus, ratione altar prouenientes, in quibuscunq; rebus illa consistant: de quibus tamen relictis parochiali portio non detrahitur, nec episcopalis detrahi erit, c. fin. extr. de Testa. &, c. cūm inter, extra verb. signifi.

Quæ Forma constituendæ huius portionis?

Vt facta distributione redituum & oblationum in quatuor partes, vna Episcopo, altera clero, tertia pauperibus, quarta fabricæ detur. Reditus enim & oblationes fidelium in quatuor partes diuidenda, varijs Canonibus cautum est. Quarum prima Episcopo, eiusq; familiæ, propter hospitalitatem, & susceptionem, debetur.

Altera

Altera clericis, pro officiorum suorum sedulitate, distribuitur. Tertia fabricæ & Ecclesiæ religiosisq; domibus reparandis impẽditur. Quarta in pauperes & peregrinos erogatur, c. concesso, c. Vulturanæ, c. mos est, c. vobis, &, c. de reditibus, 12. q. 2.

Quæ causa Impulsiua?

Est ipsa æquitas. Quia æquum est, vt onere grauatus commodis subleuetur, c. Romana, de cens. in 6. & Hostien. in §. & vtrùm, vers. quis ergo, eod. tit.

Quæ causa Finalis?

Vt tantò decentiùs & honestiùs Episcopus se alat, hospitaliorq; in pauperes existere possit, nõ debet Canonica portione, propter onus Episcopale, sibi debita, priuari, Hostiens. d. §. & vtrùm, vers. Episcopus, eod. tit.

Quæ Affinia Episcopali portioni?

Parochialis portio: quæ cum episcopali pari passu ambulat: Procuratio, & cathedraticũ. Procuratio est, quæ ratione visitationis, vel pacti, vel consuetudinis, vel priuilegij Episcopo debetur. Cathedraticum verò, quod in signum subiectionis, vnde nec ipsum in alium transferri potest, exoluitur, c. pastoralis, extr. de donat.

Quæ Adiacentia?

Sepulchrum, monumnentum, & impensę. Sepulchrũ dicitur, locus, vbi corpus ossaúe hominum condita sunt, & differt à sepultura, quę pro officio, quod sepeliendis impẽditur, vsurpatur,

c. per-

c.percipiendum,12.quæst.2. Monumentum est quod memoriæ seruandæ causa, existit,dictum à muniendo,quasi causa muniendi eius loci factum sit,in quo corpus impositum est,l.funeris, §.monumentum,ff.de religios.& sump.Sed meliùs Florentinus in l.monumentum,eod. Est enim:monumentum, generaliter res est, memoriæ causa in posterum prodita,in quasi corpus, vel reliquię inferantur,fiet sepulchrum:si verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ causa factum, quod Græci κενοτάφιον appellant. Impensæ recuperantur actione funeraria ad id propriè introducta cõtra hæredes.Actio funeraria,inquit Vlpianus, oritur ex bono & æquo. Continet enim funeris causa tantùm impensam,non cæterorum sumptuum: æquum autem accipitur ex dignitate eius,qui funeratur est,ex causa,ex tempore,& ex bona fide, vt plus imputetur sumptus nomine, quàm datum est,neque tantum quantum factum est,sed dicè factum est,l.& si quis,§.hæc actio,ff.de relig.& sump.

Quæ Pugnantia?

Pactum & promissio de funerando, haeresis apostasia, vsura, suijpsius interfectio, blasphemiæ diuini nominis, excommunicatio, suspensio, homicidium. Et alia omnia delicta ob quæ sepultura denegatur: vt,furtum, latrocinium,&c.

AXIO

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quota sit canonica portio debita Ecclesiæ Parochiali, attenditur loci consuetudo: aliàs quarta pars relictorum esse censetur, c. certificasti, extr. eod. &, c. vobis, 12. quæst. 2.

Decedens intestatus sepelitur in sepulcro maiorum, licet ipse eligere possit aliam sepulturam in alia ecclesia: quo casu ecclesia Parochialis habebit canonicam portionem, eius, quod relinquit ecclesiæ, in qua sepultus est, c. nos instituta, extr. eod.

Si vxor sepulturam non eligat, tenetur sequi sepulturam vltimi viri, si plures habuerit.

Non potest quis, etiam iureiurando à seipso abdicare liberam eligendæ sepulturæ potestatem, c. 1. eod. tit. in 6.

Quibus non communicamus viuis, nec defunctis communicare debemus, c. 2. 24. q. 1.

Pro sepultura non possunt clerici aliquid exigere, nec consuetudo in contrarium valet. Possunt tamen vltrò oblata accipere, glos. in c. abolendæ, extr. eod.

DE PAROCHIIS ET ALIENIS Parochianis.

Titulus XXIX.

Continuatio.

IVs funerandi iuris parochialis species est, & parochiarum rectoribus conceditur: quid igitur sit ius parochiale? scire conuenit.

Quid est ius Parochiale?

Ius parochiale est, administrandi diuina ministeria & distribuendi populo vni ecclesiæ deputato, ab eodemq; percipiendi reditus, & oblationes, potestas, Hostien. §. in quibus, eod. tit.

Quid est Parochia?

Est locus, in quo degit populus alicui ecclesiæ deputatus, certis limitibus constitutus, dicta ἀπὸ τοῦ παρέχειν; quod præbere, vel largiri est: quia ibi fit sacramentorum distributio, c. plures baptismales, 16. q. 1. & Hostiens. ibi.

Quæ causa Efficiens iuris Parochialis?

Est authoritas Pontificis, consuetudo, lex, Episcopi voluntas, & consensus Capituli, iuris authoritate Episcopi. Sicuti enim illi parochiæ certis limitibus determinãdo cõstituere, ita ab earum Rectoribus iura parochialia conceduntur possunt: Licet & ipso iure, illa iura concessa videantur; cùm, qui vult antecedens, vel ita videatur consequens.

Quæ Materia in qua? vel quod Subiectum?

Ius parochiale consistit in iure funerandi, iure decimandi, & percipiendi primitias, iure percipiendi oblationes, & denique iure percipiendi prouentus vndequaque debitos, c. vt dominicis, extr. eod.

Quod Obiectum?

Est cura animarum sibi cõmissarum, de quibus parochialis Sacerdos Deo reddere rationem tenetur, si culpa sua perierint, c. 1. extr. de officio Archidiaco. c. placuit, 16. q. 1. &, c. requisiuisti, extr. de testamen. Cura consistit in munere diuino obeundo, instruendo & docendo populo suæ Parochiæ deputato, administrandisq; sacramentis, &c.

Quæ Forma constituendæ Parochiæ?

Vt consensu Episcopi, vel superioris prælati locus certis limitibus definitus, in quo populus commoratur, alicui ecclesiæ assignetur, Rectorq; qui huius populi, in salutifera institutione, distributione sacramentorũ, administrãdisq; alijs diuinis officijs, diligentẽ curã habeat, constituatur. Qui nec alienũ parochianum, nisi de licentia sui Prælati, vel ad Ordines, vel ad sepulturas admittere debet, c. nullus, extr. eod.

Quis Effectus?

Ipsa perceptio decimarum, primitiarum, oblationum, & prouentuum vndequaq; debitorũ ipsi Rectori parochialis ecclesiæ, ob curam pro animabus sibi commissis habitam.

Quis dicitur Parochianus?

Parochianus dicitur, ratione domicilij: vnde si quis transfert domicilium, parochianus dicetur illius Ecclesiæ, ad quam transfertur, c. fin. extr. eodem. Sed si in diuersis locis pariter

degit, vtriusq; ecclesiæ parochianus intelligitur, l. assumptio, ff. ad municipal. Quæsitum est de scholaribus: & iure Canonico, si de licentia Prælatorum causa studiorum aliò proficiscantur, parochiani fiunt Episcopi, ad cuius ecclesiã secò ferunt, c. relatũ, extr. de cler. residen. iure autem ciuili de eius foro non videntur, nisi per decem annos ibi commorati fuerint, l. 2. C. de incol.

DE DECIMIS, PRIMITIIS & Oblationibus.

Titulus XXX.

Continuatio.

IVs percipiendi decimas, primitias, vel oblationes, ad ius parochiale spectat, Rectoribusq́ue parochiarum ecclesiarũ, pro habitatoribus animarum, quandoq; debetur.

Quid est Decima?

Decima est, quota bonorum mobilium & quæsitorum portio, Deo, tam diuina, quàm humana constitutione debita, &c. Et dico, Quota portio, quia ipsa non vbiq; decima portio, sed pro consuetudine locorum incerta & varia. Consuetudo igitur attenditur in cognoscenda quotam istam, c. ad Apostolicæ, &, c. in aliquibus, extr. eod. Nec potest huius portionis consuetudo exprimi, cùm consuetudo sit, quid sit factum autem varium & incertum, Dd. in Lauti condictio, ff. si cert. petat.

Quot sunt Decimarum species?

Duæ: personales & prædiales. Personales sunt, quæ ex prouentibus propria cuiusq; solertia & industria quæsitis deducuntur: scilicet, de negotiatione, artificio, militia. Prædiales sunt, quæ proueniunt ex ipsis prædijs, vel quæ de fructib⁹ prędiorum penduntur: vt de fœno, lana, de prouentibus molendinorum, etiam eorum, quę vẽto impellente agitantur, & de fructibus alijs, c. ex multiplici, c. 4. &, c. seq. 16. quęst. 1. Sunt tamẽ, qui tertiam speciem, mixtam constituunt: sed ea sub alterutra, cuius naturam magis sequitur, continetur.

Quæ causa Efficiens?

Est lex diuina, quæ ita se habet: Decimas & primitias non tardabis offerre, & quicquid decimum fuerit, sanctificabitur Domino, Exod. 22. & Leuit. vlt. cap. &, c. reuertimini, 16. quæst. 1. Debebantur enim ex veteri lege quatuor genera decimarum: 1. Decimam partem omnium frugum Leuiticæ tribui populus ex lege debebat. 2. Rursus ex ipsis decimis Leuitę, hoc est, inferiorum ministrorũ gradus decimas dabant sacerdotibus. 3. Erant aliæ decimę, quas vnusquisq; de populo Israël in suis horreis separabat, vt cõederet eas, cùm iret in templum, in vrbe Hierusalem, & in vestibulo templi Sacerdotes & Leuitas inuitaret. 4. Erant illæ decimæ, quas pauperibus recondebant. Vnde istud: Qui bonis parentum & opibus sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, proculdubiò sacrilegium com-

committunt, & per abusionem talium, iudiciũ sibi manducant, & bibunt, c. 1. extr. eod. c. quoniam, 16. q. 1. &, c. parochianos, extr. eod.

Quæ Materia?

Fructus rerum mobilium, & immobilium, & se mouentium, & lucra hominum ex negotiatione, artificio, vel militia, quæsita. Non ipsæ res mobiles, immobiles, se mouentes, vel personæ, quæ ex aliqua negotiatione lucrũ faciunt. Vnde de agro iuri decimandi obnoxio decima portio ipsius agri non præstatur, sed fructuũ ipsius agri, & sic de alijs rebus, &c. De pascuis igitur, pensionibus domorũ, prouentibus molendinorũ tam quæ fluuio, quàm quæ vento impelluntur, piscinis, furnis, balneis, argentifodinis, lapidicinis, metallinis, fructibus omniũ prædiorũ & arborũ, vt pomis, piris, oleo, hordeo, tritico, & quolibet genere frugum, & fructibus pecorum lana, &c. & quauis negotiatione, artificio, militia hominum decimæ exoluuntur, c. quæsima, distin. 5. c. decimæ, c. reuertimini, &, c. mas, 16. q. 1. Res se mouentes dicuntur, quæ ma vel intellectiua vel sensitiua viuunt: vt omnia mancipia: putà, homines seruilis conditionis, & bruta animantia cuiuslibet speciei: Non corpora omnis sensus expertia, quę nuda an vegetante mouentur: vt arbores, & alia, quæ materia subiecta indies incrementum sum Hæc enim rectiùs sub rebus immobilibus continentur. Sunt autem res immobiles, prædia vrbana quàm rustica, & quæ his, tanquam corpore, continentur: vt arbores aliaq; in fu

consita; quatenus enim illi cohærent, pars eius, & eiusdem conditionis censentur, l. quę de tota, ff. de rei vind. Mobiles deniq; res dicuntur, quibus motio detrimentum magnum, vel interitū non affert, sed ex suî natura & conditione, ijs permanentibus saluis, de loco in locum transferri possunt: vt vestimenta, omnis generis suppellectilia, pecunia. An autem pensio rebus mobilibus, vel immobilibus annumeretur? Vide Dd. in l. filius familiàs, §. diui, ff. de leg. 1. & l. à diuo, ff. de re iud.

Quod Obiectum?

Est officium Ecclesiasticum. Dominus enim, teste Apostolo, epist. 1. cap. 9. ordinauit, vt illi, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant, c. cùm secundùm Apostolum, extr. de præben. & econuersò: qui viuunt de altari, officium debitum præstent. Vnde dicitur in c. ipsi sacerdotes, 1. q. 1. cùm sacerdotes percipiant oblationes & decimas, preces absq; intermissione ad Deum, pro populo, fundere debent, qui quò digniores, eò faciliùs in necessitatibus exaudiūtur. Ex his patet, impios, imò sceleratos iudicãdos esse, qui patrimonium Christi, scilicet, decimas, oblationes, & pauperũ contributiones, prædicandi Euangelij alterius q; ecclesiastici officij præstãdi causa perceptas, fœdis libidinibus, voluptatibus q; omnis generis exercendis, turpiter insumunt.

Quæ Forma præstandæ Decimæ?

Vt persona non priuilegiata, de omnibus fructi b' & lucris solertia & artificio quodã cõquisitis,

decimam portionem, vel quæ aliàs, ex cõsuetudine loci, dari cõsueuit, (vnde dicitur quota portio omnium mobiliũ ex consuetudine loci constituenda) statim, & absq; diminutione, præstet ei, qui ius decimandi habet.

Requiritur enim primò, ad præstationẽ decimarũ, vt persona talis sit, q̃ priuilegio aliquo nõ sit munita: Vt sunt, Cistertienses, Templarij, & Hospitalarij, qui decimarũ prædiorum suorũ, quæ proprijs manibus, aut sumptibus excolũt, soluere non tenentur, c. ex parte, extr. eo. Alij aũt Monachi regulares & Clerici, sicuti in Concilio Moguntinensi statutũ inuenitur, prędiales decimas soluunt, etiã de noualibus, de quibus antea decimæ soluebantur, c. cunctis, &, c. de decim. 16. q. 1. Et est ratio: vt in d. c. cunctis. Quia quocunque modo, prædia ad illos peruenerint, non tamen debet Ecclesia suo iure priuari. Est aũt nouale, ager nunc primùm ad culturã redactus, de quo quòd aliquando cultus fuerit, memoria non extat, c. 1. extr. de verb. signifi. nisi ipsum priuilegium de decimis non soluendis sit consum: tale enim priuilegium Ecclesiasticæ personæ indultum, noualia & non noualia compræhendit, c. ex parte, extr. eod. &, c. ad audientiam, extr. eod. Non conducta predia, vt traditur in c. dilecti, extr. eod. Et proficit ipsi priuilegiato ad liberationem, si à Summo Pontifice habuerit: non autem, si ab Imperatore, vel alio aliquo Principe, c. tua, extr. eod. Quia sicuti Principes, etiamsi regni gubernacula teneat, ius decimandi non potest conferre, ita neque potest aliquem ab obligatione præstandæ decimæ

decimæ, eximere, c. dudum, ext. eod. &, c. cùm & plantare, extr. de priuileg. Potest tamen priuilegium etiam à Summo Pontifice concessum, si lesionem Ecclesiæ inferat, reuocari, c. suggestum, eod. Ratio est. Quia priuilegia ita interpretanda sunt, ne cui ius suum, & potissimùm Ecclesiæ, auferatur, c. 1. 21. quæst. 1. Ex his perspicuum est, clericos tam seculares, quàm regulares, prædiales decimas soluere non debere, non personales, nisi aliquo gaudeant singulari beneficij concessi priuilegio: Laicos verò Christianos ad præstationem prædialium & personalium indifferenter teneri: Iudæos verò, & à Christiana fide auersos ad prædiales tantùm, c. de terris, extr. eod.

Secundò: Requiritur, vt detur de fructibus & lucris quarumlibet rerum: & sic res mobilis tantùm in præstationem venit, non immobilis. Quia pars decima prædij ipsius, (vt suprà dictũ est) non debetur, sed portio emolumenti & commoditatis, quæ ex ipso prædio percipitur, c. ex transmissa, ext. eod.

Tertiò: Decima, vel quota portio, dari debet: illa enim non semper decima dicitur pars, sed quota portio fructuum ex rebus mobilibus immobilibus, & se mouentibus, prouenientium, quæ ex consuetudine loci variatur. Vbi tamen singularis statuti, vel cõsuetudinis probatio nõ fit, decima portio præstanda erit, c. 1. extr. eod. c. quoniam, 16. quæst. 1.

Quartò: Requiritur, vt statim cùm collecti sunt fructus, non deductis expẽsis, decimæ soluãtur: etiam ante census, & tributorum præstatio-

nem.quod si secus contingat,etiam de illis dec-
ma detrahitur:quia res cum onere suo tranſit,c
& cùm homines,extr.eod.

Quinto Requiritur:vt decima, illi præstetur
cui debetur :Debetur autẽ personalis,parochiæ,
in qua quis sacramenta ecclesiastica percipit,u-
metsi lucrum alibi contigerit.In prædialibetur
tem decimis, vt sciri possit cui debeãtur, an ec-
clesiæ,in qua quis Ecclesiastica sacramenta per-
pit,an in cuius territorio prædia sita sunt:ar-
ditur cõsuetudo,c.cùm sint homines,&,c.de d
postolicæ,ext.eod.Quæ si non sit, decimæ reg-
lariter debentur Ecclesię,in cuius territorio p
dia sita sunt:ita tamen,vt iusta,& canonibus
probata portione seruata,vna Episcopo, a
clero, tertia fabricæ,quarta pauperibus d
tur portio,Hostiens.§.quomodò, hoc tri
quatuor,&,c.Vulturanæ,12.quæst.2.Ho
prædiales à personalibus differunt.Quo
cimis prædialibus persoluendis,nullę d
tur impensæ:Nam neq; semen, neq; sum
lẽdo agro facti,ante decimas capi possu
&,c.ex parte,extr.eod.Nec impensæ,pr
da re factæ,ex fructibus vel pensionibus
huntur:veluti sumptus domui,molen
similibus reficiendis impensi. Ratio est
storalis,extr.eodem. Quia res meliorat
stauratæ, penes dominum permanent:
autem personales, quæ ex industria & ar
vel negotiatione hominis,& similibus co
non æstimantur, priusquam impensæ
tractæ,gloss.in c.pastoralis, &,c.ad Apo
extr.eod.

Quis Effectus & Finis præstitæ Decimæ?

Notatur in c.decimæ,16.q.1. quadruplex effectus.q canõ desumptꝰ asseritur ex Aꝰguſt.Serm. 119.de tempore,siue primæ Dominicæ post Trinitat. Quem tamen sermonem, vt & reliquos De tẽpore,falsò Augustino adscribi docet E. R. in suis cens.ad illos libros. Primus effectus esse dicitur:sanitas corporis. 2. Abundantia fructuum. 3.Sanitas animæ. 4.Acquisitio cælestiũ præmiorum,d.c.decimę,16.quæst.1.si tamen decima non est præstita, competit actio cõfessoria ad petendam eam:imò etiam detrectans, per excommunicationis sententiam ad solutionem cõpelli potest,c.peruenit,ext.eod.l.vti frui,§.vlt. ff.si vsusfructus petat.

Quid est Primitia?

Primitia,teste Hòstiense,est,prima fructuum obuentio, siue pars Domino offerenda, §. fin. hoc tit.

Quæ causa Efficiens?

Lex diuina,iuxta illud Exo. 22.Primitias frugum terræ tuæ in domum domini Dei tui deferes.

Quæ Materia?

Fructuum omnium rerum mobilium,immobilium,& se mouentium.

Quæ Forma præstandi Primitias?

Vt quilibet ex fructibus perceptis,pro loci cõ-

sue-

ſuetudine, (ita tamen vt mediocritas quædam ſeruetur) rectori parochialis eccleſiæ primitiæ det, c. doctos, &, c. moderamine, 16. quæſt. 1.

Quid eſt Oblatio?

Oblatio eſt doni, alicuius rei gratia, vltrò facta præſtatio.

Quot ſunt ſpecies Oblationis?

Sunt tres. Prima eſt alicuius rei donatio Deo vel Eccleſiæ, inter viuos, ſponte facta. Secunda eſt, alicuius rei donatio, Deo vel Eccleſiæ, cauſa mortis facta: quæ ad inſtar & exemplum legatorum hodiè redacta eſt. & hoc nihil aliud eſt, quàm mortuarium, ſiue legatum vel relictum pro anima, de quibus habetur c. officij, extr. diſtam. c. conquerente, extr. de offi. ordi, &, c. ſi, extr. de rebus Eccleſ. non alienan. Tertia eſt, oblatio quotidiana, & eſt donum, quod populus vnius parochiæ, eiuſdem Rectori, pro animarum cura, ad altare offert, c. quia ſacerdotes, 16. quæſt. 1.

Quæ Cognata Decimarum?

Primitia, oblatio, procuratio, cathedraticum, cenſus, exactiones, & alij clericorum prouentus tributa dicuntur, in c. decimæ, 16. quæſt. 1. Decimæ egentium animarum tributa.

Quæ Pugnantia?

Illicita vſurpatio: Vt ſi laicus decimas ſibi aſcribat, arreſtatio, vel in pignus receptio, ſecundùm c. fin. eod. Præſcriptio, præſtationis retentio, diminutio, ſubtractio. Vnde notat Hoſtien-

in §. & quare, hoc tit. Subtrahentem decimas variè delinquere: 1. Præuaricationem diuini mandati committere. 2. Rapinam. 3. Homicidium. 4. Sacrilegium. Vnde dictum Hieronymi: amico rapere quippiam, furtum est, ecclesiam fraudare, sacrilegium est, aut, quod apertissimi scelerisest, exinde aliquod subtrahere omnium prædonum crudelitatem superat, c. quoniam quicquid, 16. quæst. 1.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Domini prædiorum cogi possunt, vt prædia dent colẽdatalibus, à quibus sine contradictione, Ecclesia posit decimas consequi, c. in aliquibus, eod.

Laicis, Ecclesias & decimas conferendi potestas nõ est, etiamsi sint Reges, necex eorũ titulo præstatur causa præscribendi, c. dudum, extr. eod.

Vna Ecclesia contra aliam decimas quadraginta annorum spacio præscribit, c. causam, extr. de præscript. Secus in Laicis.

Decimarum solutio priùs facienda est, quàm census vel tributi: quod si tributorum, aut censuum solutio decimas præcesserit, ab ipsis quoque censibus & tributis decimæ deducentur, c. cùm non sit, ext. eod.

Decimæ sunt egentium animarum tributa: quas si quis dederit, non solùm vbertatem fructuum recipiet, sed etiam corporis & animæ salutem consequetur, c. decimæ, 16. quæst. 1.

Decima omnium fructuum prædij debetur ei, qui decimas ibi præscripsit: sed ad illud prædium præscriptio

non

non extenditur, c. cùm in tuam, extr. eod.

In prædialibus decimis non deducuntur impensæ factæ in prædium, ex quo præstantur decimæ: secus in personalibus: eas enim quis præstare non tenetur, nisi deductis expensis, c. pastoralis, extr. eod.

Cui maius conceditur, minus concessum esse, videtur, c. ex parte, extr. eod.

Imperialis concessio, sub quacunque forma, à solutione decimarum, eximere non potest, c. una, extr. eodem.

Decima personalis solui debet Ecclesiæ parochiali, ibi quis sacramenta percipit, tametsi alibi lucrum attigerit: in prædiali verò consuetudo loci attenditur: sed si nulla sit, iure communi penditur decima illi Ecclesiæ, in cuius territorio prædium situm est, c. ad Apostolicam, eod. titulo.

Cùm decimæ non ab hominibus, sed à domino institutæ, quasi debitum exigi possunt, c. parochiani, extr. eod.

Priuilegium interpretandum est, ne cui lapsum ferat, c. suggestum, extr. eod.

Personales decimas, vt de proprijs laboribus, soluunt, c. decimas, 16. quæst. 1.

Bonus perspector is est, qui vniuersas sibi commissas oues alit, atq; in necessitatibus iuuat, non qui illicitis actionibus opprimit, c. nulli, 16. quæst. 1.

Quicquid habent Clerici pauperum est, & bona illorum omnibus debent esse communes, c. quoniam, 12. quæst. 1.

DE REGVLARIBVS, ET transeuntibus ad religionem.

Titulus XXXI.

Continuatio.

CLericorum duo sunt genera: quidam enim dicuntur Clerici seculares, quidam Regulares. De secularibus suprà satis superq; dictum: restat de regularibus, siue religiosis.

Quis dicitur Regularis, vel Monachus?

Dicitur, qui per emissionem professionis, vel paternam deuotionem, sequenti ratihabitione, Prælati imperio sub aliqua speciali Regula subijcitur, Abb. in rub. hoc tit. gloss. in Clem. cùm ex verb. tertio, de sententia excom. & Hostiens. in §. quis sit.

Quot Religiones Monachorum?

Quatuor religiones, à quibus omnes aliæ proficiscuntur, esse dicunt: scilicet, Basilij, Benedicti, Augustini, & Francisci, Sum. Angel. ver. religiosus.

Quæ causa Efficiens?

Professionis vel voti emissio, & paterna deuotio. Nam ex triplici capite quis fit monachus: aut ex propria professione, aut ex voti emissione, aut denique ex paterna deuotione.

Quomodò

Quomodò ex paterna deuotione quis fit Monachus?

Ex paterna deuotione quis fit Monachus, cũ pater filium impuberẽ monasterio offert. Quo casu, filius post pubertatis annũ, si voluerit, monasterium egredi, poterit: quod si verò professionem fecerit, vel factam de se priùs ratã habuerit, pœnitentiæ locus vlteriùs non datur. Cumq; professiõe facta regulæ illius monasterij adhæxerit, c. cùm virum, ext. eod.

Quid est Professio?

Professio, secundùm Hostiens. nihil aliud est, quàm certæ religionis solennis promissio, qua quis se obseruationi certæ alicuius Monachalis regulæ obstringit, Hostiens. §. ad quid, verb. professio, eod. tit.

Quotuplex Professio?

Expressa & tacita. Expressa est, quæ expressis & ad voluntatem profitentis cognoscentibus commodis verbis cõtingit. Tacita autem, quæ gestu & habitu profitendi voluntatem declarat: veluti, si quis vltra probationis tempus, in monasterio permanserit, habitumq; siue is noui & professis communis, vel distinctus est, gestauerit. Vnde Toletano Concilio cautum est, vt clerici, qui se fingunt habitu & nomine monachos, & non sunt, corrigantur, vel vt veri clerici vel monachi fiant, compellantur, c. vt clerici, eodem.

Quæ Forma professionis Expressæ.

Vt nouus religiosus professurus pubes, [illegible]

rã Abbate, vel Priore, alterius q; nominis Prę-
to, vel coram ſimplici etiam monacho, vel reli-
gioſo, à Prælato mandatum habente, eius reli-
gionis, quam ipſe ſibi delegit, promiſsionem ac-
cipiente, Conuentu pręſente vniuerſo, huius ſen
tentiæ promiſsionem faciat, ſcilicet, ſeſe Deo, &
ſanctis eius, & Prælato promittere, quantũ auxi
lij ſibi Deus conceſſerit, operam nauaturum, vt
continentiam pro imbecillitate humana, ſeruet
inuiolatam, vtq; Pręlato obedientiam, & obſer-
uantiam, ex ipſius Regulæ præceptis debitã prę-
ſtet, vitæq; corruptos mores, & malam conuerſa
tionem præmiſſa teſtatione, repudiandi ſui pa-
trimonij in melius reformet, notat Specula. tit.
de regula, per c. vidua, c. porrectum, &, c. ex par-
te, 20. quæſt. 1. c. ex tranſmiſſa, extr. de renunciat.
c. cùm ad monaſterium, extr. de ſtat. monach. de
betq; hęc profeſsio in ſcriptis fieri, vt ſcripturae-
ius contrariam conuincat voluntatem, d. c. vi-
dua, &, c. omnes fœminæ, 27. quęſt. 1.

Qui Effectus?

Titulus, de ſtatu Monachorum, effectus expli
cat. Primus eſt, ſubiectio, qua monachus præla-
to ſubijcitur, tot. tit, de ſtat. monach. Secundus,
abdicatio proprietatis, vel patrimonij: Monach,
enim nihil proprij habere debet, & ſi peculiũ ha
bet, ſine licentia ſui Prælati, monaſterio, in quo
ab initio conuerſatus eſt, ſub Abbatis ſui Regula
competenti coercitione reddere cogitur, pœna
habetur c. monachi, extr. de ſtat. monach. Scili-
cet: remouetur ab altaris communione, & ſi ſic
deceſſerit, ſepultura & fratrum communione

priuatur, c. Iohannes, extr. eo. Tertius, quòd q̃cquid monachus legitimè acquirit, monasterio acquirat, habetur enim loco filij. Quartus, quòd testamẽtum vel aliam vltimæ voluntatis dispositionem facere non possit. Quintus, quòd actus iuris ciuilis ipsi sunt interdicti, nisi sui Prælati accedat assensus, c. cùm ad monasterium, extr. de stat. Monach. Vltimus effectus est, obligatoria, qua monachus professione facta regulę monasticæ illius Ordinis obstringitur.

Quæ Cognata?

Seruilis cõditio, clericalis ordo, aliudq; genus, & personæ qualitas, qua iuri alterius subijcitur. Vt, sunt adscriptitij, filijfamiliàs in fatris cõstituti. Oẽs enim illi, ratiõe subiectionis affinitatem quãdam inter se habent. sicut enim seruus iure dominico, filius iure patrio, adscriptitius iure reali fundi constringuntur: ita etiam monachus suo prælato subijcitur, & quia professionis factæ vinculo ad Regulæ monasticæ obseruantiam ligatur.

Quæ Adiacentia?

Professio, probationis annus, cõsensus parentum, habitus, gestus, abdicatio proprietatis, & custodia castitatis. Adeò enim annexa, abdicationem proprietatis, & custodiam castitatis, Regulæ monachali asserit Innocẽtius III. c. cùm ad, ext. de monach. vt contra eam, nec Summus Pontifex licentiam indulgere possit, d. c. cùm ad.

Quæ Pugnantia?

Contraria protestatio, clerici gestantis habitum c. consulti, eo. furor., c. sicut, eo. plagium, rectius

tio præstandæ professionis, impudicitia, rebellio, peculij retentio, repetitio mariti per vxorẽ in professionem non consentientem, matrimonij contractus, omnia crimina & delicta, quibus quis ab Ordine remouetur pupillaris ætas, non facta ratihabitione, reuocatio patris. Nam si filiusfamiliàs impubes monasteriũ ingressus fuerit, intra annũ à patre reuocari potest, nõ post annum: si autem à patre eidem fuerit traditus, post pubertatẽ intra probationis annũ exire potest, non post. Quòd si exeat, & pater se cum suis bonis, & filio impubere obtulerit, filio egredienti debetur, de illis bonis ad monasteriũ trãslatis, legitima, c. cũ simus, c. si quis, &, c. ad nostrũ, ex. eo.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Qui vltra annum habitum gerit, censetur professus, c. ex parte, extr. eod.

Illicitum iuramentum nullo modo seruari debet, c. veniens, extr. eod.

Charitas est fons proprius, cui non communicat alienus, c. licet, extr. eod.

Professio nec fieri nec recipi debet intra annũ probationis: sed facta & recepta tenet, c. ad Apostolicã, ex. eo.

In subsidium fragilitatis humanæ annus probationis est concessus, d. c. ad Apostolicam.

Impubes monasterium ingressus, post elapsum annũ, à parentibus reuocari non potest, c. si quis, eod.

Non potest quis ad religionem admitti, nisi sit legitimæ ætatis, & spontanea voluntate illud petat, c. nullus, extr. eod.

Episcopus contra generale Concilium dispensare nō potest, c. cùm dilecti, extr. de elect.

Professio facta ante 14. annū nō obligat: post 14. verò, si fiat per susceptionem habitus, professorem etiam non obligat, nisi detur perseuerantia tridui, c. ad nostram, extr. eod.

DE CONVERSIONE CONIUGATORUM.

Titulus XXXII.

Continuatio.

ETiam coniugati conuersi, si ante consummationē matrimonij, vel perfecto matrimonio vtraq; coniugum volente monasticam vitam eligant, & professionem faciant, regulari obseruantiæ obstringuntur.

Quis dicitur Coniugatus?

Coniugatus dicitur, qui sponsalia de præsenti cum aliqua contraxit: siue matrimonium sit coniunctione perficiatur, siue non. Quamuis enim non concubitus, sed consensus faciat matrimonium, c. de sponsal.

Quid est conuersio Coniugatorum?

Conuersio coniugatorum hic dicitur, cum inter coniugum, post contractum, vel consummatum matrimonium, se ab alterius cōuersatione seiungit, & professione facta, ad monasticam vitam conuertit.

Quotuplex coniugatorum Conuersio?

Duplex. Vna, quæ ante perfectionē matrimonij

nij contingit, sponsalibus tamen de præsenti cõtractis, post consensum enim legitimum de p̃senti, licitum est alteri coniugũ, altero etiã repugnãte monasterium eligere, dummodò carnis cõmixtio non interuenerit: quo casu remanens, non prohibetur ad secũda transire vota, c. verùm, ex. eod. Altera, quæ fit post confirmatum & cõsummatum matrimonium: quæ non conceditur, nisi vterq; coniugum concordes monasterio se dicarint: vel alter coniugum nulla conuersationis malę suspicione, vel infamia notatus, continentiam vltrò promiserit, c. coniugatus, &, c. ex parte, ext. eod.

Quæ causa Efficiens?

Volũtas vnius cõiugis cõuersi, nuptijs nondũ cõsummatis: vel volũtas vtriusq;, si cõsummatũ sit matrimoniũ, c. verùm, &, c. cõiugatus, ext. eo.

Quod Obiectum?

Vita regularis, cui se conuersus addicere præsumpsit, c. sanè, extr. eod.

Quæ Forma?

Quòd ante perfectionẽ & confirmationẽ matrimonij volens conuerti, statim religionẽ ingrediatur, & professionẽ faciat, vel si differat, & nihilominùs consotiationem coniugalem fugit, iudex certum terminum, intra quẽ, vel religionem ingrediatur, vel in coniugio constãs sit, sub receptione idoneæ cautionis, præfigat, c. ex publico, &, c. ex parte, ext. eod. Verùm, post consummatum matrimonium, vel vterq; coniugũ trãseat, vel alter coniugum trãsitionem volens permittat:

mittat: qui tamen de conuersatione mala non su
spectus continentiã se seruaturũ promittere de-
bet, alioquin cõuersio illa non approbatur; cùm
matrimonia legitimè contracta, & confirmata,
hac religionis causa dirimi non debeant.

Quis Finis & Effectus?

Primus est. Quòd si conuersio ante perfectio-
nem matrimonij fiat, obligatio ex cõtracto legi-
timo matrimonio tollatur: ita vt sponsa, quę vi
constitutæ obligationis, antè non potuerit reti-
lire, & cum alio contrahere, nunc possit, c. verũ,
extr. eod.

Secundò. Quòd cõiugatus subijciatur regulari
obseruãtiæ, professione facta, nec mortua vxore
inde recedere possit, d. c. consuluit. Si tamen mo-
nasterium nõdum intrauerit, professioné tunc
vxore consentiente fecerit: Si mortua vxore vo-
alia contrahat, non valebit matrimoniũ, sed re-
ligionem intrare compellitur, c. ex parte, extra

Tertiò. Si cõuersio, vel professio legitimè
fiat: vt si vir cum cõsensu vxoris professus fue-
xore verò suspecta, nec continentiam vouen-
vel, si, altero coniugum ignorãte, professio fac
conceditur professi repetitio, & restitutio, c. ex
cũ sis, ext. eo. Aliàs vxori maritum repetere non
permittitur: et si post ingressum continere non
possit, c. veniens, extr. eod. &, c. dudum, eo. Re-
titus autem vxore mortua ad monasterium re-
dire non cogitur, c. placet, eo. Licet postea illi cõ
trahendi denuò matrimonij facultas interdi-
tur, c. quidam intrauit, extr. eod.

Quartò. Quòd, etiamsi cõiugatus ad ingre-
dum monasteriũ dolo, vel ex causa falsa indu-
ce

fit: tamen libera egrediendi facultas non detur, c. veniens, &, c. dudum, ext. eod. &, c. ex parte, eo. Quia dolus in ſpiritualibus nõ ita, ſicuti in contractib⁹, reſcindit actum, c. pen. ext. quod metus causa, &, c. cùm dilecti, extr. de contrah. emp. & vend.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Si coniuges continentiam promittẽdo, ſeinuicem abſoluerunt, & vterq;, vel alter eorum, religionem profiteatur, alter alterum repetere non poteſt, c. dudũ, ex. eo.

Per religionis profeßionem, non, per propoſitum caſtitatis ſeruandæ, diſſoluuntur ſponſalia de præſenti, c. ex parte, extr. eod.

Maritus religionem intrare non poteſt, niſi etiam vxor ingrediatur: vel niſi ſuſpecta non ſit, & continentiam promittat, c. cùm ſis, &, c. coniugatus, ext. eod.

Qui, inuita vxore, profeßione facta, poſtea ad petitionem eidem reſtituitur, non tenetur defuncta vxore, denuò monaſterium intrare, c. quidam, eod.

Ante perfectionem matrimonij poteſt alter coniugum, altero inuito, & etiam repugnante, religionem ingredi: quo tamen caſu remanens, ad ſecunda vota conuolare poterit, c. verùm, eod.

Maritus ingrediens religionem, etiam cum conſenſu vxoris, ſi vxor libidinoſa omnibus de ſe malam ſuſpicionem faciat, nec continentiam promittat, Epiſcopali auctoritate, maritus ad conſortium coniugale compellitur, c. 1. eod.

Vxorẽ habẽs in Epiſcopum promoueri nõ poteſt, niſi

vxor religionem profiteatur, c. sanè, extr. eod.

Parium, si eadem subsit ratio, eadem est iuris dispositio, sumpto argumento à rationis paritate & similitudine, c. constitutionem, de regula. & transeun. ad relig. in 6.

DE CONVERSIONE Infidelium.

Titulus XXXIII.

Continuatio.

COntingit quandoq; vt sicuti fideles ad religionem, ita infideles ad fidem conuertantur.

Quis dicitur Infidelis?

Infidelis dicitur, qui à fide Catholica discrepat. Quicquid enim à fide Christiana discrepat, infidelitatis appellatiõe cõtinetur, & fidei Christianæ contrarium est, arg. 9. 11. 19. & 30. dist. part.

Quæ causa Efficiens?

Deus ipse, qui hominem infidelem, ad cõtendum diuinitùs impellit, & propria conuertentis voluntas.

Quod Obiectum?

Fides Christiana, pér meritum Christi, hominem conuertentem saluans.

Quæ Forma?

Vt per regenerationẽ sacri Baptismi, & fidei Christũ, nõ coacta, sed libera volũtate cõuertentis, &

tis, & impellente diuini Spiritus instinctu, cõuersio fiat.

Quis Finis & Effectus?

1. Fruitio æternæ salutis & fœlicitatis: deinde quod propriè huius loci est, Diuortium. i. rescissio matrimonij inter conuertentes consistentis. Hic tamen effectus quadam distinctione explicatur. Aut initio matrimonij contracti vterq; cõiugum erat infidelis, aut fidelis: &, matrimonio constante, alter lapsus est, in hæresim, vel gentilitatis errorem. Primo casu: si infidelis non vult cohabitare, vel cohabitare quidem, non tamen sine contumelia & blasphemia nominis Christi, & matrimonium quò ad substantiam dissoluitur: ita, vt coniuge etiam infideli viuente, liceat conuerso contrahere. Sic intelligunt Canonistæ dictum Pauli 1. ad Corinth. 6. Si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus ob id frater vel soror, c. si infidelis, 28. quæst. 2. Excipitur vnus casus: Nisi vxor ad fidem Christianam conuertatur, viro Iudæo existente. tunc enim, quia Iudæi habent Legem & Prophetas, quibus muniti animas simpliciũ facilè fallere possunt, licet absq; blasphemia nominis Christi cohabitare velit vir, non tamen permittitur, c. Iudæi, 28. quæst. 1. Posteriore casu: si commixione corporum consummatum sit matrimoniũ ipsum, per lapsum alterius coniugũ in infidelitatem vel hæresim, non quò ad substantiam, sed quò ad thorum dissoluitur, vt notatur in c. quanto, §. si verò alter, extr. de diuortijs.

DE VOTO ET VOTIRE demptione.

Titulus XXXIIII.

Continuatio.

VOTI emissione ad dedendum se monachorum Regulæ, quis quandoque obligatur.

Quid est Votum?

Votum est, alicuius rei licitæ faciendæ, vel non faciendæ, cum deliberatione animi, Deo facta promissio, Abb. hîc in rub. Voti enim præstationem deliberatio animi natura præcedere debet: quod enim ex facilitate animi potiùs, quàm ex arbitrio discretionis emittitur, non est obligatorium, c. veniens, extr. eod. c. charissimus, &c. veniens, extr. de conuers. coniugatorum.

Vnde dictum Votum?

Votum à voluntate dictum est: tanquam primo mouente rationem ad vouendum.

Quot species Votorum?

Duæ. Nam aliud necessitatis, aliud voluntatis est. Necessitatis votum dicitur illud, quod quis promittit in Baptismo, vt renuntiare Satanæ, tenere fidem: & alia, in quibus salus consistit, c. prima, de consecrat. distinct. 4. &, c. hinc Episcopi, §. ecce, 1. quæst. Vnde cùm homo peccat post Baptismum dupliciter reus est: & quia peccat, in eo quod committit, & quia votum præua-

præuaricatur. Votum voluntatis est, ad quod faciendum, quis sponte sua ducitur, nec aliquã necessitatem habet: vt, continentiæ, peregrinationis, abstinentiæ, &c. Votum voluntarium, vel est simplex, vel solẽne. Simplex dicitur, quia simpliciter, & sine aliqua solennitate emittitur. Solenne autem, quod debita solennium obseruatione fieri contingit, vt notat Hostiens. in §. quot sint, eod. tit.

Quæ causa Efficiens?

Ius naturale & diuinum. Quia perhibetur, votum iure naturali, & diuino, esse inductum & approbatum, glos. in c. ruffus, extr. qui cler. vel vouen. Causa autem propinqua est, deliberata voluntas emittentis votum. Hoc enim, licet ab initio sit voluntatis, ex post facto tamen, est necessitatis, c. magnæ, extr. eod.

Qui Vota facere possunt?

Omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem omnes illi, qui quò ad votum emittendum, non habent liberam voluntatem: vt sunt, Episcopus, qui sine Papæ authoritate non potest se adstringere voto, per quod dissoluatur vinculum matrimonij, quod inter ipsum & ecclesiã, sponsam suam, esse intelligitur, c. nisi cùm pridem, extr. de renunt. Secundò, clericus non potest vouere, absque licentia Prælati sui, per quod officij iuncti executio impediatur, c. admonet, ext. de renuntiat. Tertiò, monachus pari ratione prohibetur præstare votum, quo Regulę monachali, ad tẽpus, vel in perpetuum,

exima-

eximatur. Quartò, impubes absq; tutoris autho ritate etiam prohibetur, ne facilitate ductus, ad votum faciendum, quod illi non expediat, pro cedat, c. 1. &, c. 2. 20. q. 2. Quintò, vxori non conceditur emittere votum, quod nexui matrimoniali aliquo modo repugnet: vt est votum peregrinationis, & continẽtiæ. Sicuti enim maritus, ad reddendum vxori coniugale debitum, obligatur, ita vxor viri arbitrio subiecta est, vt ipsa nihil, quod in damnum matrimonij cedat, absq; viri licentia, præsumere, vel tentare possit, c. no luit manifestum, 33. q. 5. &, c. si tu, 27. dist. Sextò, seruus voluntatem per se consideratam, & liberam non habet, sed ea ex arbitrio Domini, in cuius potestate constitutus est, dependet. Votum igitur à se præstitum ipso iure, nullum est, nisi domini assensu confirmetur, & ratificetur, argumẽto, c. mulieres, extr. de sent. excom. &, c. ex antiquis, distinct. 54. Denicq; nec filius impubes in facris patris constitutus, absq; voluntate patris se voto obstringere potest. Hoc enim, sicut & alia, quæ ex alieno arbitrio dependent, non subsistit emissum, c. 1. &, c. 2. 20. q. 2.

Quod Obiectum Voti?

Obiectum voti est, opus, quod vouens sibi bonum proponit: vt sunt ieiunia, orationes, eleemosynæ, peregrinationes, religiones, abstinentiæ, continẽtiæ, & huiusmodi. In omnibus enim pijs causis, licitis & honestis faciendis, vel contrarijs non faciendis, regulariter consistit votum. Votum autem rei alicuius turpis, impossibilis, & facti, ex quo inducitur peccatum, ipso iure, non subsistit. Quia neque per iuramentum pactum

pactum stipulationem, consuetudinem, legem, vel praeceptum, talis obligatio constitui potest, 22.quæst.4.§.fin.&, c.inter cætera, extr. de iureiurando, c.quanto, extr.de off.Archidiac. Et quidem propriè materia voti est, opus, quod in nostra voluntate consistit, & præstiti voti ratione fit debitum: ergo quatenus opus est legis obligatione, debitum non cadit sub voto, quia non pẽdet ex nostra voluntate, vt sit debitum, sed ex necessitate legis. At verò, quia præcepti necessitas, non est simpliciter necessitas, sed voluntariè illud implemus aut transgredimur, hac ratione cadere potest sub voto: non quidem, vt ad id obligemur, ad quod non tenebamur, sed vt ad id q̃ tenebamur, gemina simus obligatione constricti: vt putà, præcepto temperantiæ ad fornicationem euitandam tenemur, emisso nunc eiusdem rei voto, obligamur insuper virtute religionis. Possumus igitur nos ad talia opera arctiori vinculo adstringere.

Quæ Forma?

Tria ad obligationem voti necessaria sunt, scilicet: deliberatio, propositum, & promissio. Cõstituitur igitur votum, si vouens non tantùm in animum inducat, & proponat, se aliquod bonum opus peracturum, (hoc enim casu tantùm initiatum dicitur votum) sed etiam, si id certo, deliberato, & firmo animi proposito stabiliat, (quo casu confirmatum dicitur) & demum animi fixum propositum promissione Deo facta confirmet, ipsoq; facto comprobet (tunc cõsummatum votum dicitur.) Quæ quidẽ forma simplicis

plicis voti est, si verò huic solennia quædam, vt professio tacita, vel expressa, secundùm formã suprà præscriptam, vel sacri Ordinis susceptio accesserint, solenne efficitur, Abb. c. 3. extr. eod. & est tex. in c. vnico, eod. tit. in 6. Nam per sacri ordinis susceptionem, & professionem tacitam, vel expressam, votum continentiæ solennizari (vt dicitur) Canonibus traditum est, c. placuit, 32. distinct. &, c. nullum, 28. distinct.

Qui Effectus?

Est obligatio constituta per votũ, qua vouens ad voti redditionem tenetur: ita vt hæres, qui adiuit hæreditatem, implere vota defuncti obstrictus sit. Quod ita intelligitur: si votum reale sit, non autem si personale, nisi hæres ad hoc se obligasset, Dd. in c. licet, extr. de voto, &c. Nec Papa vel Episcopus, vel quiuis alius superior in his dispensare possit. Quia voti redditio, est de iure naturali & diuino: contra quæ Papa dispensare non potest: nisi tamen legitima subsit dispensandi causa, c. sunt quidam, 35. q. 1. & §. nisi rigor, 1. q. 7.

Vnde sex notantur casus, quibus à voto discedi potest. Primus. Si votum præstitum commutetur in melius, c. 3. extr. de iureiurando, 2. Si ad actum non est processum, c. Cõsaldus, 17. quæst. 1. 3. Si votum, sub conditione fuerit concessum, quæ postmodum deficiat, c. non solùm, 22. q. 5. Si illa conditio sit expressa, siue ex sui natura non sit voto, putà. Si potero, Si vixero, &c. 4. Vbi vouens non habet liberam voluntatẽ vouendi. 5. Vbi votũ authoritate Superioris ex causa dilatum

latum est, vel redemptum, vel mutatum. 6 Si votum ex sui natura sit illicitum & iniustum: quo casu non solùm potest, imò debet, ab omni voto, discedi. Et notandum hic est, licet de voto dispensatio facilè non concedatur, declaratio tamen iuris permittitur. Quòd si igitur votum abstinentiæ, vel peregrinationis quis fecerit, non prohibetur idipsum, pro ratione qualitatis, declarare, vt subintelligatur, rebus ita stantibus: vel si commodè fieri possit. Hæc enim conditio & interpretatio intentioni vouentis consentanea ex sui natura emisso voto inest, argumentum, c. quinta vallis, extr. de iureiurand. &, c. veniens, extr. de dilat. Secundus effectus est. Quòd, licet votum simplex, non minùs, quàm solenne, DEO obliget: Quia DEVS, inter solennem promissionem, & simplicem loquelam, non facit differentiam, ob id vtriusque violatio mortalè peccatum inducit, tamen differunt & isto effectu. Quòd scilicet solenne votum, non solum matrimonium contrahi impediat, sed etiam contractum dirimat: Simplex autem votum, non contractum rescindat: sed contrahendo impedimentum præstet c. Vnico, eodem titu. in 6. c. rursus, & ibi glos. extr. qui cleri. vel vouer. &cæt. & per Innocen. in c. quæ in Ecclesiarum, extr. de constitut. Quòd si autem præstito simplici voto, quis contrahat, tenet matrimonium, &, ob voti emissi violationem, imponitur pœnitentia, c. 1. &, c. 2. distin. 27. Nec obstat, quòd dicitur, Deum inter simplicem loque-

loquelam, & ſolennem promiſsionem, non facere differentiam: Eccleſia enim, in facti ſpeciebus, conſiderat circunſtantias, c. homo, 40. diſt. & verborum ſolennitates attendit in voto, ſicut in iuramento, c. iuramenti, 22. quæſt. 5. & diuerſum ius ſtatuit in vtroq; , etiam diuerſam pœnã in violatione vnius, quàm alterius imponit, vt patet in c. ſi vir, 22. diſtinct. Quis enim dubitet, ſceleratius eſſe, commiſſum, quod grauius iudicatur, c. non afferamus, 24. q. 3. violatione autem ſolennis voti, Deus & conſtitutio Eccleſiæ grauiùs offenditur, quàm ſi à ſimplici voto recedatur: grauior igitur imponenda pœna fuit, &c.

Quæ Affinia?

Profeſsio, iuramentum, promiſsio, pactum, conſuetudo, præceptum ſiue ſanctio, lex, ratione effectus. Quia omnia ex ſe obligationẽ productam conſtituunt.

Quæ Adiacentia?

Ordinis ſuſceptio, profeſsio ſimplex, siue ſolennis, iuramentum, &c.

Quæ Pugnantia?

Voti tranſgreſsio, voti iniquitas, iniuſtitia, turpitudo, dolus, metus, mutatio, reuocatio, diſpenſatio, conditionis, ſub qua votum conceptum fuit, defectus, voti emiſsi facilitas, votum dependens ex alieno arbitrio, ſolenne votum priori ſimplici contrarium.

AX 10.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Secundum votum solenne religionis, derogat priori simplici, c. qui post votum, de regularibus, & transf. ad relig. in 6.

Vota possunt eleemosynis redimi, vel in aliud commutari: intercedente Superioris authoritate, & iusta causa redimendi, vel mutandi, c. 1. ext. eod.

Reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis obseruantiam commutat, c. scripturæ, extr. eod.

Ecclesia compellit hæredem laicum, per excommunicationem, & bonorum subtractionem, ad executionẽ voti, ad quod se obligauit, c. licet, extr. eod.

Cessante causa, cessat effectus, c. magnæ, eod. tit.

Senectus est onerosa & languida, nec dolores & labores ferre potest, d. c. magnæ.

Mulieres maritos suos sequi debẽt, c. quod super, ext. eo.

DE STATV MONACHORUM & Canonicorum regularium.

Titulus XXXV.

Continuatio.

DIstinguitur superior titulus, De regular. & transeuntibus, ad relig. ab hoc. Quòd in illo potissimùm modus adipiscẽdi statum regularem traditur: hic autem, quomodò is, qui hunc statum adeptus est, & in eo constitutus, se gerere debeat, docetur.

Circa quæ consideratur status Monachorum & Regularium?

Consideratur circa habitum, vitæ institutũ, mores, disciplinam, conuersationem, continentiam, subiectionem, obediẽtiam, humilitatẽ, patrimonij abdicationem, paupertatem, abstinentiam ciborum, familiam, correctionẽ, temperãtiam, modestiam. Quæ omnia in c. cùm ad monasterium, &, c. in singulis, eod. fusè explicãtur.

Ad quid tenentur Monachi, seu Regulares?

Licet hæc, quæ recensita sunt, quemlibet regulari obseruantiæ adstrictum obseruare oporteat: sunt tamen tria substantialia Regulæ, ad quæ præcisè tenẽtur monachi, vt nec Summus Pontifex cõtra hæc dispensare possit, c. cùm ad eos. Scilicet: 1. Propriæ voluntatis renunciatio. 2. Proprietatis abdicatio. 3. Castitatis obseruatio.

In quibus conueniunt & differunt Monachi & Regulares?

Regulas statui præscriptas, & potissimùm quæ substantiam Regulæ monasticæ constituunt, & mores, disciplinam, vitæ institutũ, atq; honestæ vitæ congruentia concernunt, indifferenter omnes obseruare debent, & in eo cõueniunt. Differunt aũt, quia facilitùs canonicus regularis q̃ monachus regularis præficitur ecclesiæ parochiali, eiq; cura animarum committitur, iuxta c. quod Dei, extr. eod. Secundò, monachi regulam strictissimam obseruare tenentur: regulares autem

tem laxiori subijciuntur regulæ. nam & in esu carnium, & habitu, alijsque differunt. Ne tamen per contemptum & neglectum Regulę, ad cuius obseruationem tenentur. monachi, sacrilegia, alteriusq; generis crimina committantur, certus modus visitandi monasteria, per Innocentium III. in Concilio generali institutus est, c. in singulis, ex. eod.

Quid est Visitatio?

Visitatio est, inquisitio morum, vitæ, & aliorum in clericis, facta per eos, quibus hoc de iure licet, vel commissum est, d. c. in singulis, extr. eo.

Quæ causa Efficiens?

Quilibet, habens ordinariam iurisdictionẽ in aliquos. Sicut Archiepiscopus, in tota prouincia, c. Romana, &, c. perpetuò, de cẽsibus, in 6. Et Episcopus in sua diœcesi, c. cõquerente, extr. de off. Ordina. Item Archidiaconus & Decanus, c. cùm Apostolus, extr. de censib. &, c. mandamus, extr. de off. archi. Item Abbates & Prælati religiosorum visitant monasteria, & monachos secundùm eorum instituta, c. penul. &, c. vlt. extr. de stat. monach. Item Legati Apostolicæ Sedis, et quibus committitur à Papa, vel à Prelatis Ordinarijs, ipsis impeditis, c. Episcopum, 10. q. 1. &, c. inter cætera extr. de off. ordina.

Quod Obiectum?

Vitæ institutum, mores, disciplina, habitus, conuersatio. Et de materia? circa quam versatur visitatio: & quod sit visitatorum officium? Vide c. inter cætera, extr. de off. ordina. &, c. Episcopũ, 10. quæst. 1.

Quæ Forma?

Forma visitandi præscribitur, in c. Romana, de censibus, & exact. in 6. &, in c. fin. & Dd. in c. cùm ex officij, extr. de præscript. c. relata, c. placuit, 10. q. 1. & in c. Episcopus in Synodo, 35. q. 6. Inquit Innocentius IIII. in d. c. Romana, de censibus & exact. in 6. Statuimus, vt quilibet Archiepiscopus suam volens visitare prouinciã, priùs ecclesiæ suæ Capitulum ac ciuitatem & diœcesim propriam plenè visitare procuret: nec sit solùm erga maiorum, sed etiam minorum Ecclesiarum, nec circa clericorum tantùm, sed etiam populorum visitationem, intentus. & si cõmodè absq; difficultate accedere ad vnamquamque non poterit: de pluribus locis ad vnum congregatum clericos & laicos studeat conuocare, ne illius visitatio postponatur. Deinde liceat ei per totã prouinciam, vel eius partẽ, visitationis officium exercere, ciuitates & diœceses, suffraganeos & eorum subditos, Cathedralium, & aliarum ecclesiarum Capitula & monasteria, ecclesias & alia religiosa & pia loca, cleros & populos libere visitando, ac procurationes à locis tantùm recipere visitatis. Ex quo tamen aliquam de prouinciæ diœcesibus visitare cœperit, nunquam postea desistat: sed totam, siue partem eius visitauerit, reuertatur causa visitationis ad illam priùs, quàm ad omnes reliquas ipsius prouinciæ diœceses in toto vel in parte, (quas securè visitare poterit) & illas denuò fuerint visitatæ. Quòd si fortè eadẽ diœcesis, vel aliqua ibi ecclesia plus alijs indigeret visitari, tunc aliarum visitatione intermissa re-

deat

deat ad eandem: si à loci diœcesano requisitus extiterit, vel de omnium aut maioris partis Episcoporum eiusdem prouinciæ processerit, consilio & assensu: ad quod idem se promptos exhibeant, ne animarum profectus aliquatenus negligatur. Si verò malitiosè, in his difficultatem adhibuerint, Archiepiscopus licentiam super hoc à Sede Apostolica postulet cõfidenter. Postquam autem semel omnes prouinciæ suæ diœceses visitauerit, licitum sit ei posteà (priùs tamẽ Suffraganeorum suorum requisito consilio, & ipsius definitione super hoc habita, coram eis, quæ in scriptis redigi volumus, vt possint alijs esse nota) visitationem per eãdem reiterare prouinciam, iuxta modum superiùs annotatum: etiamsi non interueniat in hoc Suffraganeorum ipsorum assensus, illam semper prouidentiam adhibendo, vt in posterioribus visitationibus illas ecclesias, eosq; cleros & populos priùs visitet, qui non fuerant ab eo in prioribus visitati: nisi magis sit alijs visitationis officium oportunum. Sanè huiusmodi impensurus officiũ, proposito verbo Dei, quærat de vita & conuersatione ministrantium in ecclesijs, & locis alijs diuino cultui deputatis, ac cæteris quæ ad officium ipsum spectant absq; coactione, exactione qualibet iuramenti, ad ipsorum emendationem per salubria monita: nunc leuia nunc aspera, iuxta datam sibi à Deo prudentiam diligenter intendens. Quòd si de aliquibus orta fuerit infamia, contra eos Ordinarijs ipsorum (vt super his solenniter inquirant) denuntiet, si viderit expedire. Notoria verò crimina, quæ examinatione nõ

egeant,(cùm ſuper his meritò notari poſsit Ordinariorum negligentia eorundem) liberè corrigat,pœnam pro illis debitam infligendo.Procurationes autem recipiat, ſecundùm quod eſt in Canonibus conſtitutum:nullam tamen pecuniam ipſe,vel aliquis de ſua familia, occaſione alicuius officij aut conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo earum nomine, ſed in victualibus expenſas tantùm recipiat moderatas.Caueat inſuper,ne ipſe, vel quiſquam ſuorum, aliquod munus quodcunque ſit,& qualitercunq; offeratur præſumat recipere:Vt non quæ ſua ſunt,videatur quærere, ſed quæ Ieſu Chriſti. Quòd ſi fuerit contrà præſumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam(niſi duplum reſtituat) liberetur. volumus enim in ius fraudem quamlibet penitùs euitari. Hanc autem viſitandi formam, ab vniuerſis etiam Epiſcopis,alijſq; Prælatis ordinario iure, ſuos ſubiectos viſitantibus,plenè obſeruari præcipimus. ſaluis ſuper hoc rationabilibus & approbatis religioſorum conſuetudinibus & regularibus inſtitutis.

Quæ Forma viſitandi Monachos?

Vt religioſi ſingularum prouinciarum de triennio in triennium,ad Capitulum conueniãt, & in eo ex Prælatis quatuor, qui ſimpliciter & de plano in Monachos, ſiue regulares, iuriſdictioni & regulæ ſuæ ſubiectos,inquirãt,& corrigant,quæ viderint corrigenda,cõſtituant. Modus autem viſitandi Monaſteria, quot mitti debeant,quali cum apparatu, quomodo in officio viſita-

visitationis se gerere, quæ summo studio expedire, & à quibus abstinere teneãtur? Habetur in c.singulis,&,c.fi.extr. eod.& tradit Pauin. tract. de visitat.q.2.prima parte,&c.

Quis Finis & Effectus?

Vt correctione clericorum facta, Ecclesia ipsa in melius reformetur,d.c.Romana.Secundò,vt à tali correctione nulla concedatur appellatio, c.ad nostrã,extr.de appel.&,c.relatũ,ext.ne cler. vel monach.&c.Nisi corrigẽdi modus excederetur,c.quia peccat,23.q.4.Nam,vt dicitur in c.beatus,45.dist.nimiæ asperitatis interpretatio neque correctionem,neq; salutem recipit,&c.Tertiò,perceptio procurationis, à cuius præstatione immunem nullam esse ecclesiam, vel monasterium,etiam præscriptionis prætextu, esse decet,c.cùm ex,extr.de præscrip.debetq; ipsa procuratio præstari in victualibus, non autem pecunia,c.pecunia,§.procurationis,de censib. in 6. de qua titul.de cens. exact. & procurat. infrà latiùs.

DE RELIGIOSIS DOMIbus, vt Episcopo sint subiectæ.

Titulus XXXVI.

Continuatio.

Visitatio per Ordinariũ,sub cuius iurisdictione religiosæ domus sitæ sunt,fieri contingit:scire nunc operæpretium est, cuius iurisdictioni religiosæ domus subiectæ sint?

Quæ dicitur religiosa domus?

Religiosa domus est, quæ ad pium vsum constructa est: vt est Xenodochium: locus, vbi peregrini pauperes recipiuntur. Orphanotrophiũ, vbi orphani, hoc est parentibus orbati, nutriũtur, Bethotrophium, vbi infantes pauperum, & expositi aluntur. Nosochomium, in quo ægroti paupertate simul laborantes curantur à morbo. Gerontochomium, vbi senio cõfecti & valetudinarij sustentantur, c. in qualibet, 23. q. 8. & l. omnia, C. de Episco. & cle.

Cuius iurisdictioni religiosæ Domus subiectæ sint?

Generaliter in Aurelianensi Concilio statutũ est, omnes basilicas, quæ per diuersa loca constructæ vel quotidiè construuntur, in Episcopi potestate consistere, în cuius territorio sitæ sunt, c. omnes, 16. quæst. 7. nisi singulari priuilegio, se exemptas, docere possint, c. cùm venerabilis, extr. eod. Quo tamen priuilegio capella ei subiectæ non gaudent: sicuti etiam quibus certa rei, vel ratione loci, priuilegium exemptionis concessum est, eodẽ priuilegio pro aliare, aliove loco non potientur, c. cùm capella, extr. de priuileg.

Quis huius subiectionis Effectus?

Cùm religiosa domus, quò ad duas leges subijciatur, scilicet diœcesanam, & iurisdictionalem, dubium non est, quin Episcopus ea, quæ sunt legis diœcesanæ, iuris episcopalis, vel iurisdictionis contentiosæ, in ea hominibusq; illi de-

pu-

putatis exercere posit, c. monasteria, 18. q. 2. & Hostiens. hoc tit.

DE CAPELLIS MONACH. & aliorum Religiosorum.

Titulus XXXVII.

PAri ratione capellæ monachorum Episcopo, in cuius territorio sunt sitæ, subijciũtur: ita, vt nulla consuetudine obstante, de ipsis Episcopus pro arbitrio statuere possit: nisi huiusmodi iurisdictioni speciali priuilegio, vel legitima præscriptione probentur exemptæ, c. cùm venerabilis, &, c. seq. c. constitutus, extr. de relig. dom. &, c. auditis, extr. de præscrip.

DE IVRE PATRONATVS.

Titulus XXXVIII.

Continuatio.

INstitutio regulariter non fit, nisi ad præsentationem patroni, cui competit ius patronatus in beneficio quod alicui, per institutionem, conferendum est.

Quid est Ius Patronatus?

Ius patronatus est, potestas præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum, simplex & vacans, Hostiens. in §. quid sit, hoc tit.

Quot modis accipitur Ius Patronatus?

Varijs modis. Primò: pro iure præsentandi instituendum. Altero: pro iure, quod ac-

quiritur ex manumissione proprij serui, dicitur etiam aduocatus patronus, qua in causa patrocinium præstat, tot. tit. ff. de postulando.

Quæ causa Efficiens?

Diœcesani Episcopi authoritas, & patroni Ecclesiam fundantis, ædificantis, vel dotantis voluntas. Vnde ait Hostiens. in §. ex quibus, eod. tit. tria faciunt aliquem patronum, scilicet. dos, ædificatio & fundus, &c. Et quia non tantùm fundatione, vel ædificatione ius patronatus constituitur, sed etiam in constructione Diœcesani consensum secundùm formam præscriptam in c. nemo, de consecrat. dist. 1. interuenire oportet, vt iuri patronatus locus sit, pars ad efficiendum ius patronatus Episcopi authoritatem quandoq; desiderari.

Quod Subiectum?

Beneficium, in quo patrono competit patronatus. Vnde non dicitur liberum, vt alia beneficia, quę per collationem transferuntur, sed patronatu positum.

Quod Obiectum?

Officium, quod præsentatus pro beneficio, in quo per Episcopum institutus est, præstare tenetur. Collatio enim beneficij, necessitatem præstandi officij inducit: cùm, iuxta CHRISTI ordinationem: Qui de altari viuit, eidem etiam vt seruiat, æquitati & religioni conueniat.

Qui

Quæ Forma?

Forma consistit in modis constituendi ius patronatus: vt, sunt fundatio, dotatio, & reparatio. fundatione constituitur ius patronatus, cùm quis Ecclesiam, accedente Diœcesani Episcopi consensu, iuxta formam in tit. de const. consecrand. Eccles. &cet. construxit. Dotatione verò, cùm quis Ecclesiæ constructæ collatione quorundam bonorum succurrit, vel bona quædam in dotem Ecclesiæ, quæ non est dotata, assignat, c. nemo, de consecrat. dist. 1. Reparatione denique. Si quis collapsæ Ecclesiæ, vel ædificando de consensu Episcopi, vel conferendis prouentibus subuenit, auth. vt nullus ædificet, §. 1. col. 5. Transfertur autem ius patronatus, per successionem, permutationem, donationem, vẽditionem, &c. Quæ sit forma institutionis ad præsentationem patroni? suprà de institutionibus dictum est.

Quæ est causa Impulsiua introducti iuris Patronatus?

Ipsa æquitas. Cùm enim patronus è fundamentis Ecclesiam construxit, vel interituram reparauit, vel indotatam dotauit, æquum est, vt loco quasi remunerationis, hoc ius patronatus, in eadem sibi competat, & ad eius præsentationem (si modò persona idonea præsentetur) institutio fiat.

Quis

Quis Finis & Effectus?

Primus est, potestas præsentandi instituendũ: quæ præsentatio ab Ecclesiastico patrono, intra sex menses fieri debet, nec præsentationis factæ variatio conceditur: à Laico autem intra quatuor, post quod tempus etiam variare potest, c. si laicus, §. verùm, eod. tit. in 6. eo autem tempore elapso, nulla admissa præsentatione, Episcopus, pro libito, idoneam aliquam personam instituere, & Ecclesiam ordinare non prohibetur, c. si verò ordinatio, ext. eod. Patrono autem demortuo, relictis pluribus hæredibus, ad eos ius patronatus distributione legitimè facta, deuoluitur. Si autem vnus ex pluribus patronis moriatur, in eius hæredes transit ius patronatus per stirpes: ita vt vnius patroni plures hæredes vocem habeant in præsentatione vnius, possintque ipsi patroni de rectore ab ijs alternis vicibus præsentando liberè conuenire. Quibus etiam, ex eadem causa, permittitur, vt plures ad vacatem Ecclesiam eo modo, præsentare possint personas vt vna ex ijs per Episcopum eligi & admitti valeat, Clem. plures, eod. tit.

Secundus est, potestas defendendi Ecclesiam. Quia patronus potest, imò debet Ecclesiæ tutelam suscipere, & eum ab omni iniuria tueri; ideò si institutum Ecclesiæ inutilem esse cognoscit, vt quia sit dilapidator, bonorum concoctor ipsum honesta conuentione compescere, aut Episcopo, vel iudici competenti denunciare potest, c. filijs, 16. quæst. 7.

Ter-

Tertius effectus est, necessarium vitæ subsidium. Nam si fortè ipsi aut eorum filij eo inopiæ redacti fuerint, vt suppetijs alienis egeant, illis modestè, & pro temporis vsu succurrendum erit, c. quicunque, &, c. decernimus, 16. quæst.7.

Quartus effectus est: processionis honor. Primus enim & eximius in ordine locus in confessu vel processu, patrono inter clericos eiusdem Ecclesiæ debetur, c.nobis, extr.eod.

Quæ Cognata?

Huic iuri patronatus non multùm absimile est ius protectionis. Et cùm religiosi Ecclesiam aliquam sibi subiectam habent, tam quò ad spiritualia, quàm quò ad temporalia; in qua tamen pleno iure instituere non possunt, nec curam populi cõmittere, sed authoritas Episcopi consideratur. nam hoc ius ita à patronatu differt, quod qui illud habent, ipsi reditus Ecclesiæ illius percipiunt, & congruam portionem rectori assignant, at qui patronatum habent, nihil redituum percipere possunt, sed integri prouentus rectori instituto permittuntur, c. vni. de capel. monach. in 6. & Clem. vni. de sepul. Affinia etiam sunt, ius eligendi, ius conferendi, ius patriæ potestatis, cura, tutela, &c.

Quæ Adiacentia?

Præsentatio, cura, tutela, protectio, institutio, non tamen in eadem persona, institutio & ius patronatus locum habent. Quia patronus instituere non potest, sed tantùm præsentare, ad

cuius

cuius præsentationem à Diœcesano necessariò fieri debet institutio, c. præterea, extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Sunt modi, quibus ius patronatus tollitur: 1. est cessio, vt si patronus ius suum Ecclesiæ contulerit. 2. Patientia reformatæ Ecclesiæ: vt si Ecclesiam sine reseruatione iuris competentis collegiatam fieri patiatur. 3. Interitus Ecclesiæ: quod fit, si sacræ ædes igne conflagratæ, vel terræ motu, aut alio vitio, interierint. 4. Violenta occupatio: vt si ab infidelibus Ecclesia, ex qua competit ius patronatus, occupetur. 5. Delictum: quod varium est, in cuius pœnam priuatio iuris patronatus contingit. 6. Hæresis. Hæretici enim omnia bona, sub quibus ius patronatus continetur, confiscantur, c. excommunicamus, 1. & 2. extr. de hæret. Pugnant etiam, dolus, error, venditio, per quæ ius patronatus comparatum est, idipsum enim vendi, vel per patronum propria authoritate alienari non potest, nisi cum vniuersitate vendatur, c. præterea, &, c. de iure, extr. eod. & institutio per patronum, propria authoritate facta, c. præterea, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIÆ.

Donatio iuris patronatus laici facto loco Ecclesiastico, etiam, sine consensu Episcopi, tenet, non tamen præiudicat iuri Episcopali, c. si laicus, eod. in 6.

Lai-

Laicus quadrimestre tempus habet ad præsentandum: Ecclesia verò semestre, licet à Laico ac quisiuerit ius patronatus, d.c, si laicus, §. verùm.

In plures hæredes vnius ex pluribus patroni demortui transit ius patronatus, per stirpes, Clemen. plures, eod. tit.

Si quæstio iuris patronatus, inter patronos, non definitur, intra quatuor menses, Episcopus ordinabit Ecclesiam, sine præiudicio eorundem, c. cùm propter, extr. eod.

Patronus Ecclesiæ vacantis, quamquam sit Clericus ad eam tamen seipsum se præsentare non potest, c. per nostras, &, c. consuluit, extr. eod.

Patronus ius patronatus, propria authoritate alienare non potest, nec ab Ecclesia aliquid temporale exigere, nisi tempore fundationis, à Diœcesano illud fuerit sibi reseruatum, c. præterea, c. de iure, &, c. nullus, extr. eod.

Si patroni in præsentando discordant, præfertur præsentatus à maiori parte, si est idoneus: & si hoc sine scandalo fieri nō potest, vel patroni intra tempus debitum non præsentant, Episcopus ordinabit Ecclesiam, c. quoniam, extr. eod.

Ius patronatus consistens in aliqua vniuersitate temporalium, transit cum ipsa vniuersitate, etiamsi vniuersitas transeat tantùm, quò ad vtile dominium, nisi ius patronatus specificè sit exemptum, c. ex literis, extrà, eodem.

DE

DE CENSIBVS, EXACTIONIBUS, & Procurationibus.

Titulus XXXIX.

Continuatio.

PAtronus non tantùm vi iuris patronatus ius præsentandi, sed etiam ius exigendi, certam annuæ pensionis summam, si ipse illud ius, cùm Ecclesiam fundaret, cum authoritate Diœcesani sibi reseruauit, habet.

Quis Census?

Census nihil aliud (teste Hostiense) hîc est, quã quædam pensio, quæ de prouentibus Ecclesiæ persoluitur, c. quæsitum, 1. quæst. 3.

Quot modis Census accipitur?

Duobus. Generaliter & specialiter. Generaliter accipitur, cùm quicquid in quantitate vel in summa annuatim præstatur, censum appellem⁹, c. olim causam, &, c. in canonicis, ext. eod. Specialiter autem nomine census: qui Episcopo vel Ecclesijs in argumẽtum subiectionis tribuitur, cathedraticum appellatur, eo quòd ob honorem cathedræ persoluatur, c. 1. 10. quæst. 1. &, c. conquerente, extr. de off. ordinat.

Quæ causa Efficiens?

Authoritas Episcopi cum consensu Capituli, & fundatoris voluntas, cum authoritate Episcopi. Episcopus enim, propria authoritate, neque no-

nouum censum constituere, neque veterem augere potest, sui commodi gratia. Quòd si in vtilitatem Ecclesiæ sibi subiectæ, census constitutio, vel veteris census augmentatio vergat, Capituli accedente consensu, censum nouum imponere, vel veterẽ augere, minimè prohibetur, Clem. fin. de reb. eccles. non alienand. &, c. 1. eod. tit. in 6.

Quæ Materia?

Res, quæ pondere, numero, & mensurà consistunt, prouentus & fructus rerum mobilium & immobilium. Quia non tantùm in nummis, sed etiam frumento, vino, oleo, capis, gallinis, pullastris, & alijs id generis annuis, census constitui potest, c. cùm canonicis, c. ex parte, extr. eod.

Quod Subiectum?

Ecclesia, vel res ipsa, cui census imponitur, argum. c. 1. extr. de reb. eccles. non alienand.

Quod Obiectum?

Persona, cui census præstatio fieri debet. Debetur autem census, vt plurimùm Episcopo, in signum subiectionis, & patrono, loco remunerationis, si cum consensu & authoritate eorum, quorum authoritas requiritur, constitutus fuerit.

Quæ Forma constituendi Censum?

Vt Episcopus consensu Capituli, & eius Ecclesiæ, cui census imponitur, ex iusta causa, & legitimo tempore, moderatum constituat censum,

in rebus ad Ecclesiam pertinentibus: quæ ex se fructus & reditus aptæ sunt producere. multa enim ad constituendum censum requiruntur, putà: primò authoritas Episcopi. 2. Consensus Capituli, arg. c. pastoralis, &, c. tua, extr. de his, quæ fiunt à maior. par. Cap. 3. Consensus Ecclesiæ, cui imponitur census; si est collegiata, c. 1. extr. de rerum permutat. 4. Iusta causa. Causa iusta est, causa remunerationis, releuãdę paupertatis, & indigentiæ, redimendæ vexæ: & denique illa iusta iudicatur, quæ euidentem Ecclesiæ affert vtilitatem, glos. & Dd. in c. nisi, ext. de præbend. 5. Legitimum tempus, quale quadruplex notatur: aut fundationis, aut consecrationis, aut donationis, aut immunitatis indultæ tempus, Hostiens. in §. quis imponere, eo. tit.

Contingit enim, cùm Ecclesia citra Ordinarij consensum nec ordinari, nec dedicari possit, vt eo tempore Episcopus in signum subiectionis annuatim sibi exoluendum constituat census. Quod & in patrono, qui Ecclesiæ vltra necessariam dotem contulit, obseruatur: vtpote loco annuæ pensionis cum consensu Diœcesani aliquot reditus reseruet. Est autem dos necessaria, sine qua Ecclesia in statu debito, & conuenienti, sustentari non debet, argu. c. 1. extr. de institut. &, c. cùm sicut, extr. de consecrat. Eccles. fiarum.

Quæ causa Impulsiua?

Ipsa æquitas. Episcopo enim, qui spiritualia impartit, æquum est, vt aliquid temporale à subie-

subiectis ecclesijs reddatur. Par quoque æquitatis ratio suadet, vt Episcopus patrono fundationis tempore in compensationem beneuolentiæ exhibitæ, ex eadem Ecclesia, quam largè & liberaliter dotauit, annuos sumptus, instar pẽsiõis, quotannis persoluendæ, decernat & constituat.

Quis Finis & Effectus constituti Census?

Est ipsa obligatio. Cuius vigore census debetur, & ipsa annua perceptio rerum censualium; Quod verum est, si is, cuius rebus census impositus est, solutionem iniustè nõ remoretur, vel detrectet. Quòd si autem is, qui ad census præstationem obligatus est, præstationem neget: effectus est, actio in factum, interdictum recuperandæ, vel retinendæ, vel etiam, vt putat Speculat. tit. de censib. §. 1. actio ex stipulatu præsumpta. Potissimùm si triennij spacio census fuit solutus, l. de in rem verso, ff. de vsuris, vbi filius ad præstationem vsurarum tenetur, eò quòd pater illas triennio persoluerat, licet obligationis constitutæ alia documenta non extiterint. Ratio est. Quia triennalis præstatio coniecturam & argumentum perpetuæ pensitationis & constitutæ obligationis inducit, d. l. cùm de in rem verso, ff. de vsuris, &cet. An autem intermissa præstatio census triennij spacio, ius commissi, (sicuti in emphyteusi) tribuat? Pulchra quæstio est, & quotidiana praxi agitata, gloss. in c. constitutus, extr. de religios. dom. asserit quòd non. Nedum, si mille annis à præstatione census cessetur, illam intermissionem tribuere

ius commissi. Ratio est. Quia licet censualis contractus hoc commune habeat cum emphiteusi, vt concedenti, hæredibusque eius annua pensio debeatur: differt tamen eo, quòd in emphyteusi vtile tantùm dominium, remanente directo penes ipsum dominum, transferatur in ipsum emphyteutam: in contractu autem censuali, ob annuam pensitationem, ius vniuersum tam vtile, quàm directum dominium, penes ipsum, qui ad solutionem census tenetur, constitutum sit.

Quid est Exactio?

Exactio est, petitio eius, quod ratione personę, facultatum, negotij, vel alterius cuiusdam rei gratia ex iusta causa debetur.

Quotuplex Exactio?

Est multiplex. Quædam est collectarum vectigalium, munerum personalium, patrimonialium, Pedagiorum, Salinariorum, Guidagiorum, & similium.

Quæ causa Efficiens?

Lex, statutum, vel consuetudo alicuius rei exactionem fieri permittentia.

Quod Obiectum? vel Materia circa quam?

Est munus ciuile. Quod in tria membra dividitur, personale, videlicet, patrimoniale, & mixtum. Personale est, secundùm Arcadium, quod animi prouisione, & corporalis laboris intentione, sine aliquo gerentis detrimẽto perpetratur, l. 1. &, l. fin. ff. de munerib. & hono. Et in huius exactione, ætas, facultates, vita & fama, inspicẽ-

da

da sunt, auth. præsides, C. de Epis. & Cler. Patrimoniale est, quod sumptibus patrimonij & dãnis administrantis expeditur, & id imponitur pro modo possessionum masculis & fœminis. Mixtum est, quod de vtroque participat. Quando videlicet personale munus gerens de proprijs facultatibus impensas faciat, vel annonam exigentes desertorum prædiorum damna sustineant, l. fin. §. mixta, ff. de mune. & honoribus.

Quæ Forma?

Vt exactio rei licitæ fiat, & modo, lege, vel consuetudine, permissis. Multis enim canonibus prohibitum, ne Episcopi, vel quibus ius collectandi vel exigendi est, modum in exigendo excedant, c. ea quæ, &, c. innouamus, extr. eodem.

Quis Effectus Exactionis iniustæ?

1. Quod exactores modum iustum exigendi excedentes priuentur officio, c. ea quæ, ext. eod. 2. Quòd excommunicentur, nisi desistant, d. c. innouamus. 3. Prætor induxit actionem in factum, ex edicto de publicanis, per quam coguntur exactores tributorum, si exegerint vltra debitum, restituere duplum intra annum: post autem, simplum ei, à quo ipsi, vel eorum familia, exegerunt, l. 1. ff. de publi. & vectigalib.

Quid Procuratio?

Procuratio est, exhibitio sumptuum necessariorum facta illis, qui diœcesim peragrando Ecclesias subiectas visitant.

Quæ causa Efficiens?

Ius commune, consuetudo, pactum, vel priui-

legium, Specula. §. sequitur, tit. de consuet. &, c. seruitutum, 18. quæst. 2.

Quod Obiectum?

Est visitatio quæ singulis annis fieri debet, ab illis, qui ius visitandi habent. Habent autem ius visitandi, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Sedis Apostolicę Legati, nuncij, Archidiaconi, Decani, Abbates, alijq; omnes, qui ordinariam iurisdictionem habent, de quo suprá.

Quæ Materia?

Omnis generis victualia, vel in victualibus expensa. Nam Pontificio iure proditum est, visitatorem, vel aliquem de sua familia, occasione alicuius officij aut consuetudinis, pecuniam vel munus, qualitercunque oblatum, recipere nullo modo posse, sed tantùm expensas in victualibus moderatas, c. Romana, §. procurationes, eod. tit. in 6.

Quæ Forma?

Est præstatio mediocris victualium vel expensarum, à qualibet ecclesia (nisi singulari priuilegio incontinẽti se probet exemptam) pro ratione personæ & dignitatis, sub cautione quarumlibet circunstantiarũ, facienda Episcopis, Archidiaconis, vel quibuslibet alijs etiã Apostolicę Sedis Legatis, aut nuncijs, & Prelatis iurisdictionẽ ordinariam habentibus, Ecclesias in sua prouincia vel Diœcesi sitas visitantibus, vel quibus id muneris cõmissum fuit, d. c. Romana, de cauſ. & exact. in 6. c. procurationes, &, c. cùm Apostolus, extr. eod.

Quæ

Quæ causa Finalis?

Ne Prælatis hoc visitationis officiũ dispẽdio fit, si suis sumptibus peregrinentur.

Qui Effectus?

Est, causa sustentationis necessariæ, iusta & legitima perceptio contributionum, quarum in exigendo vel alias ecclesias grauando, modum excedens, pœna dupli infra mensem exoluendi punitur. Quod duplum, si intra illud tempus non præstiterit, ab ecclesiæ ingressu remouetur, & inferiores officio & beneficio vsque ad sufficienter factam solutionem suspenduntur, d. c. procurationes, §. fin. &, c. 2. de censib. in 6.

Quæ Affinia?

Omnia illa affinitatem quandam inter se habere videntur, canonica portio, cathedraticum, census, procuratio, collectæ, pensio, tributum, Charitatiuum subsidium. Charitatiuum subsidium est, quod Episcopus, vel Papa, propter superuenientes necessitates cum charitate moderatum, ab ecclesijs sibi subiectis exigit. Canonica portio, ab omnibus reditibus & oblationibus detrahitur. Census, de quouis prouentu ecclesiæ annuatim exoluitur. Cathedraticum in signum subiectionis, ab ecclesijs in eadem Diœcesi constitutis exigitur. Procuratio, ratione visitationis Prælatis, pro necessarijs sumptibus, exhibetur. Collectæ, pro ratione possessionum & patrimonij imponuntur. Pensio cum censu: & tributum, cum cathedratico,

conuenit. Quia & tributum probatio subiectionis est, c. omnes, extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Auaritia, c. ea quæ, eod. Præscriptio, mutatio rei soluendæ, c. cùm canonicis, eod. grauamen Ecclesiæ, interitus, reformatio Ecclesiæ, partium conuentio, pactum, consuetudo, contraria remissio ex causa cum consensu Capituli, nimia sterilitas, Ecclesiæ paupertas, Hostiens. hoc tit. §. in quo casu.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Naturæ consentaneum est, vt is non recusset onus, qui rerum commoda complectitur, Clemen. 1. eodem titulo.

Priuilegia strictè sunt intelligenda, & tantùm futura, & non præterita respiciunt, nisi expressè contrarium statuatur, Clem. cùm sit, eod. tit.

Visitator non in pecunia, sed victualibus, recipere debet procurationem moderatam, c. Romana, §. præterea tiones, extr. eod.

Omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta est, c. omnis, eod. in 6.

Tributum in probationem subiectionis præstatur, d. c. omnis, extr. eod.

Afflictis afflictio non est addenda, c. licet, extr. eod.

Ad antiquam monetam, vel si non est in vsu, ad eius æstimationem, soluendæ sunt pensiones, c. cùm canonicis, extr. eod.

Argumen-

Argumentum à loci vicinitate valet: ob id Ecclesiæ in procurationibus & alijs vicinarum consuetudinem in dubio seruabit, c. super eo, extr. eod.

Episcopus remittens Ecclesiæ seruitia, quæ sibi debebat, & statuens, quòd aliud seruitium non imponatur, procurationem non intelligitur remisisse, c. cùm venerabilis, extr. eod.

Ecclesiæ tenentur Episcopo, in cuius diœcesi sunt, respondere, de procurationibus, quarta decimarum, & alijs episcopalibus, c. cùm olim, extr. eod.

Præscriptio etiam antiquum modum soluendi census tollit, c. olim causam, extr. eod.

Nouus census ecclesiis imponi non potest, nec antiquus augeri. quod si contrà factum fuerit, hoc irritum habetur, c. prohibemus, &, c. grauis. extr. eod.

Prælatus seu Rector Ecclesiæ non potest, præsertim, post mortem, ecclesiam suam propria authoritate constituere censualem, c præterea, &, c. ecclesiis, extr. eod.

Per collusionem constituens ecclesiam censualem, illa priuatur: quòd si collectores grauent subditos, ab officio deponuntur, c. cùm clerici, &, c. ea, quæ, extr. eod

Noua pedagia sine consensu Principis imponens, communione priuatur, c. innouamus. extr. eod.

Obligatio aliquid præstandi vniuersitati, & singulis, qui sunt in vniuersitate, etsi in vniuersitate numerus creuerit, tamen omnibus & singulis tenetur, etsi hoc grauaretur nimiùm, per iudicis officium sibi prouidebitur, c. quanto, extr. eod.

DE CONSECRATIONE EGcleſiæ & Altaris.

Titulus XL.

Continuatio.

TEmpore conſecrationis imponitur cenſus in ſignum ſubiectionis ab eccleſia conſecrata præſtandus.

Quid eſt Conſecratio?

Conſecratio eſt ritus ſacrãdi res Deo, cùm adhibitione certarũ ſolennitatũ, antiquitùs introductᵃ, & ex inſtituto veterũ Patrũ tractus, c. vnico, §. vnde in veteri teſtamẽto, ext. de ſac. vnct.

Quæ cauſa Efficiens?

Deus ipſe & ſtatuta Pontificũ, d. c. vnico, ext. de ſacra. vnct. & per tot. diſt. 1. de conſec.

Quod Subiectum?

Perſona, quæ habet cõſecrandi facultatẽ, vt eſt Põtifex, Epiſcopus, Diœceſanus. Nõ aũt inferior quidã clericorũ, etiã ex Epiſcopi delegatõe. Quia licet Epiſcopus ea, q̃ iuriſdictiõis ſunt, inferiori demãdare poſsit, nõ tamen ea, q̃ ſtrictioris ſunt, inferioris gradus clerᵒ cõmittere permittitur, Ab. in c. fi. ext. de cler. ęgro. &, c. penu. ext. eo.

Quod Subiectum?

Res vel ꝑſona, cuius cõſecratio fit. Quę aũt ſint vide tit. de ſacra vnct. lib. 1. & diſt. 1. de conſecrat.

Quæ Forma?

Forma cõſecrandi Pontifices & Imperatores, habetur c. vnico, ext. de ſacra vnct. De forma cõſecrandi Epiſcopos legitur in c. Epiſcopus, diſt. 23

23.c.1.dist.75.Panor.& Dd.in.c. si Archiepiscop', extr.de tẽp.ordin.& in c.porrò,66.dist.De consecrationis modo aliorũ clericorũ, habetur in c. presbyter,&,c.seq.vsq; ad c.psalmist.dist.23.For ma consecrãdi ecclesias traditur in auth.de monachis,§.illud,& auth.de eccles.titulis,§.si quis, &,c.placuit,1.q.1.&,c.1.dist.1.de consecrat. For ma consecrandi altaria,aliasq; res sacras, explicatur in d.c.vnico,§. vngitur,ext.de sacra vnct. c.altaris,&,c.placuit, dist.1.de consecrat. Debet autem fieri consecratio diebus festiuis, quò ad commodè fieri possit,vel etiam priuatis,& tantùm semel,nisi iterãdi causa legitima subsit, c. ecclesijs,dist.1.de consecrat.

Quis Effectus Consecrationum?

De effectibus consecrationum, vide Hostiens. in §.quis sit effectus, tit.de sacra vnct.Qui variarum consecrationum effectus ponit.

Quæ Contraria?

Pollutio.Quæ in ecclesijs contingere dicitur homicidio, etiam citra sanguinẽ,& seminis,vel humani sanguinis effusione,& excommunicati humatione. Sed hæc pollutio purgatur per reconciliationem, quæ qua forma fiat? vide c.ecclesia semel,c.solennitates,distinct.1.&,c.consuluisti,extr,eod.

AXIOMATA.

Ea quæ sunt ordinis,non ita,sicuti quæ iurisdictionis sunt,per delegationem transferri possunt,c.penul.extr. eodem.

Eccle-

Ecclesiis Deo sacratis non est denuò consecratio adhibenda, ni aut incendio, aut alia ruina dissecrata sint. Quo casu omnia ex integro agenda erunt: perinde ac si nunquam consecratæ fuissent, c. ecclesijs, dist. de consecr.

Episcopus, crescente fide fidelium, nouam ecclesiam construere, & vnam in plures diuidere potest, c. præcipimus, 6. quæst. 1. & c. nulli, dist. 99.

DE CELEBRATIONE MISSARUM: & Sacramento Eucharistiæ: & diuinis officis.

Titulus XLI.

Continuatio.

NOn tantùm altariũ, ecclesiarum, aliarũq; rerum consecratio fit, verùm etiam ad tremendi illius sacrosanctę Synaxeos, seu Eucharistiæ sacramẽti perfectionem, debita Diuini verbi prolatio, siue consecratio, declaratur.

Quid est Eucharistia, & vnde dicitur?

Eucharistia est, Sacramentum, quod sub speciebus visibilibus, panis, scilicet, & vini, verum sacrosanctum corpus & sanguinem Christi continet: ex cuius sumptione ingentem Dei gratiam & vitam animæ consequimur. Dicta Eucharistia, quasi bona gratia, vel gratiarum actio, c. in quadam, &, c. cùm Marthæ, §. quęsiuisti, extr. eo. c. species, dist. 2. de consecrat.

Quæ

Quæ continet Eucharistia?

Sacrosancta Eucharistia à seinuicẽ tria discreta continet: species, scilicet, visibiles. 2. Veritatem sacrosancti Corporis & Sanguinis Christi. 3. Vberem spiritualis gratiæ virtutẽ. Quod enim oculis nostris apparet, species sunt panis & vini. Quod sub speciebus fides nostra comprehendit, verum corpus & sanguis est Christi. Quod autem ex participatione sacrosanctæ Eucharistiæ consequimur, virtus est gratiæ spiritualis, & vita æterna, c. quia corpus, distin. 2. de consecrat.

Quæ causa Efficiens?

Deus Optimus Maximus: Qui celebrata cum discipulis suis agni paschalis Cœna, hoc sacramentum in suî commemorationem obseruari præcepit, Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22.

Quæ causa Impulsiua.

Amor ille ingens: quo Dominus suos dilexit, vt ait Ioannes 13. Cùm Dominus dilexisset suos, in finem dilexit eos. Cuius quidem amoris, vt diuinum aliquod, atq; admirabile pignus daret, sciens horam iam veniſſe, vt transiret ex hoc mundo ad patrem, ne vllo vnquam tempore à suis abesset, inexplicabili consilio, quod omnem naturæ ordinem & conditionem superat, perfecit.

Quæ Materia?

Elementum panis & vini. In hoc enim Eucharistiæ sacramento, visibiles panis & vini species,

quæ

quæ tantummodò ſacramentum, i. viſibile ſignum ſunt rei ſacræ: hoc eſt, Corporis & ſanguinis Chriſti: quæ ſunt res huius ſacramenti, & non modò per has res quadam ſimilitudinè ſignantur, ſed ſub ipſis ſpeciebus reuerà continentur, conſiderantur. Deinde eadem ſimilitudinis ratione, verum illud Chriſti Corpus ſacramentum eſt myſtici illius Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia: cuius caput eſt, Chriſtus, quod in Euchariſtia quidem non continetur, atque tamen veri illius corporis ſimilitudine ſignificatur. Nam quod in vero Corpore eſt diuerſitas membrorum, hoc eſt in Eccleſia diuerſitas donorum & gratiarum: quam diuerſitatem charitas compingit, & dirigit in vnitatem, cuius commercio, quod in ſingulis Eccleſiæ membris excellens eſt, & bonum, id in communem omnium cedit vtilitatem. Huius autem myſtici corporis communio & incorporatio, præcipua Euchariſtiæ efficacia & principalis virtus, ſi veri corporis & ſanguinis Chriſti participatione acquirimus. Vnde Apoſt. 1. Corint. 10. vim vel & præcipuã Euchariſtiæ efficaciã diuinitus inſinuaret, veri corporis & ſanguinis Chriſti participationẽ in illud myſticũ corpus ordinat. Calix benedictionis, inquit, cui benedicimus, nónne cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Et huius ſanctæ participationis fructus inſinuans, ſubdit: Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Eſt igitur nobis vſus Euchariſtiæ præſtat, vt in com-

munione

nionem mystici illius corporis Christi, quod est Ecclesia, velut membra arctiùs inseramur. Ad quam vnionem insinuandam & commendandam, panis & vinum aptissimè seruiunt: Nam & panis ex multis granis in vnum coalescit, & vinum ex multis racemis confluit. Sic nos per vsum huius diuini mysterij, cùm multi simus, in vnum coalescimus, & per Spiritum sanctum adunamur, eodemq; pacis & charitatis vinculo, velut membra, in vnum corpus colligamur, &c. c. quia passus, distinct. 2. de consecrat.

Quæ Forma?

Verbum Christi idem efficiens, quod significat. Est autem tale, quod Christus in institutione huius Sacramenti protulit, & legitur apud Matthæum 26. Marc. 14. Luc. 22. &, 1 Corinth. 11. Sub hac orationis forma: Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus, noui testament, qui pro vobis, & pro multis, effundetur, in remissionē peccatorum. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in mei commemorationem. Sacramentum enim Eucharistiæ ipsa cõsecratio, quæ verborum forma sub pane & vino exprimitur, efficit, c. panis & calix, &, c. non omnis, distinct. 2. de consecrat. Hinc Augustinus: Verbum Christi, si ad elementum accedat, fit

fit sacramentum, & Matth. 26. benedixit licet accipere.

Quæ causa Finalis instituta Eucharistiæ?

In hunc finem instituta est Eucharistia, vt passionis & mortis Christi recordemur, eamq; annuntiemus perpetuò. Sic enim ipsus ait: Hoc facite in mei commemorationẽ. Et Paulus: Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Vult autem ob id Dominus meminisse nos suę passionis, ac mortis: 1. Vt ea recordatione fidẽ nostrã subinde & excitemus & cõfirmemus, persuasi scilicet, ipsius mortem, esse redemptionem ac vitam nostram: ipsius sanguine ab omnibus peccatis nos mundatos esse, & etiamnum mundari, c. quia morte, dist. 2. de consecrat. 2. Vt ad gratiarum actionem, ipsi pro tam effabili beneficio iugiter offerendam incitemur. 3. Vt ad peccatorum abdicationem, bonorumq; contrà operum ac innocentiæ studium animemur. Cogitantes nimirùm seriò, nos iam factos esse membra Christi, eoq; actiones etiam dignas tanto capite nostro dignas: hoc est, prorsus Christianas. 4. Vt ad fraternæ quoque charitatis insãmemur officia. Sic nempe totos nos impendentes proximis, quemadmodum ipse Christus sese totum nobis impendit, &c.

Qui Effectus?

Primus est: Vt de sacro Domini Corpore & sanguine participantes in membra eius trãseamus, & vniamur cum illo, non solùm secundùm spiritum

ritum, fide, & charitate, sed vera corporis vnione: vt iam ipsi velut membra capiti inhæreamus, & vnum cum illo corpus efficiamur, secundùm Iohannem 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, & qui manducat hunc panem, viuit in æternum. Alter effectus ex primo dimanat, est aditus ad æternam hæreditatem, quæ noui atq; æterni testamẽti iure ad nos venit: in Christo enim manentes, vitam æternam, & similem cum illo immortalitatis gloriam, in ipso & per ipsum possidere poterimus, nec iam vllius gratia cum illo nobis intercedat diuortium, Nec possit vnquã alibi fieri diuersum, quod hic tam firmo arctissimoq; vnionis vinculo est colligatum. Vnde Iohannes 6 Qui edit meam carnem, & bibit meũ sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die. Deniq; sumptione Eucharistiæ confirmamur in fide, munimur aduersũs omnis generis vitia, ad bonorum operũ studium extimulamur, & ad charitatem inflammamur.

Quæ Affinia?

Mannæ distributio, Patribus facta, & azyma, c. inquit, &, c. vbi pars est, dist. 2. de cõsecrat. Quæ quasi Eucharistiæ præfiguratio fuerunt. Differunt tamen effectu secundùm Iohannem 6. Hic est panis ille, qui è cœlo descendit, nõ sicut comederunt patres vestri manna, & mortui sunt: Qui ederit hunc panem, viuet in æternũ. Et Apostolus Paulus, 1. Cor. 5. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus

itaque epulemur, nō in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Et alia sacramenta, quò ad collationem spiritualis gratiæ, Eucharistiæ affinia sunt, licet ex omnibus sacris mysterijs, quæ nobis tanquam diuinæ gratiæ certissima instrumenta Dominus Saluator noster commēdauit, nullum sit, quod cum sanctissimo Eucharistiæ sacramento comparari queat.

Quæ Adiacentia?

Spiritualis gratia, diuinitas Christi, fidelitas sumentis.

Quæ Pugnantia?

Omissio verbi diuini, contemptus solennium, aliarumq; rerū, quæ Ecclesia obseruari præcepit, simulatio consecrationes, infidelitas, c. de homine, &, c. fin. ext. eod.

De cælebratione Missarum habetur in c. cùm Marthæ, extr. eod. & per totum, dist. 2. &, dist. 4. in fin. de consecrat.

De diuinis officijs clericorum agitur in c. 2. &, c. dolentes, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Ecclesia gremium non claudit redeuntibus, c. sanctis, dist. 2. de consecrat.

Corporeum illud manna nunc est tanti res miraculi, quia venit quod perfectum est: perfectus autem panis de cælo corpus est, ex virgine natū, c. corporeum, eod. dist.

Corpus Christi quod sumitur, & figura est in specie, & veritas in substantia, c. corpus, dist. 2.

Sancta nocent malis, & mala prosunt bonis, c. & sancta, dist. 2. eod.

Mentis

Mentiri Deo: ipsum fallere nō potes, c. panē, dist. 2. co.

Non corpus, sed animæ substantiam fulcit panis vitæ æternæ, c. non iste, dist. 2.

Credere in Christū, est panem & vinum manducare: qui credit in eum, manducat eum, c. vt quod, dist. 2. eod.

Non natura nascitur, sed consecratione conficitur nobis Corpus & Sanguis Christi, c. panis, dist. 2.

Sacrificium visibile, inuisibile est sacramentum, id est, sacrum signum. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, c. sacrificium, dist. 2.

Signum est res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire, c. signum, dist. 2. de consecrat.

Vbi pars est corporis, est & totū. Eadē ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præcessit, de quo dicitur: Qui plus collegerat non habuit amplius, neq; qui minus parabat habuit minus. Nō enim quātitas visibilis in hoc æstimatur mysterio, sed virtus sacramenti spiritualis, c. vbi pars est, dist. 2. eod.

DE BAPTISMO ET EIVS Effectu.

Titulus XLII.

Continuatio.

BAptismus, qui quasi ianua est, qua in Christianæ vitæ societatem ingredimur, consecratione quoq; perficitur.

Quid Baptismus?

Baptismus definitur sacramentum, quo quis recta animi intentione, & debita verborum forma obseruata, alium non contrasentientē, aqua elementari abluit, pro remissione peccatorum.

Sed magis appositè, Baptismus definitur, sacramentum esse regenerationis, per aquam in verbo, iuxta illud Apostoli, Ephe. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo. Et Iohannis 3. Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Natura enim ex Adam filij irę nascimur, per Baptismũ verò in Christo filij misericordiæ renascimur. Siquidem dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Iohan. 1.

Quæ causa Efficiens?

Christi mandatum, & voluntas, iuxta illud Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & huic promissioni, innititur. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, is saluus erit, Marci. 16.

Quæ Materia?

Omne naturalis aquæ genus, siue ea maris sit, siue fluuij, siue paludis, siue putei, aut fontis, quæ sine vlla adiunctione aqua dici solet. Nam, vt Saluator docuit: Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnũ Dei. Et Apostolus inquit: Ecclesiã lauacro aquæ mundatã esse. & Diui Iohannis epistola scriptum legimus: Tres sunt, qui testimonia in terra dant, scilicet Spiritus, Aqua & Sãguis. Vnde in c. 1. dist. 4. de cõsecrat. dicitur: Renascitur homo ex aqua, visibili sacramento, & spiritu inuisibili, sed licet intellectu, vt Symbolum Baptismi visibiliter accipiat, & spirituale intellectum ipsius Symboli percipiat: vel ex aqua visibili, & Spiritu sancto

sancto: Vt enim aquæ natura & vis ineſt eluendarum rerũ corporaliũ ſordes: ita aqua Baptiſmi ſignificat animi ſordes in Baptiſmo purgari. nõ tãtùm verò purgatio hęc animi per aquã illã ſignificatur, ſed & re ipſa vereq; in Baptiſmo fit.

Quæ Forma?

Formam Baptiſmi oſtendit Chriſtus cùm Apoſtolis iuſsit, Vt in nomine Patris, & Filij, Spiritusq; ſancti baptizarent credentes. Eſt autem hæc forma Baptiſmi perfecta & abſoluta, qua actio miniſtri, & perſona eius, qui baptizatur, exprimitur: vt, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hoc enim eſt verbum, quod aquam ſignificat, & ad abluendas etiã internas, animi ſordes, efficacẽ reddit, Matth. 28. Si tamen miniſter ignorans Latinè loqui diceret: Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta, ſi non animo introducendi errorẽ, vel hæreſim, ſed intentione baptizandi infringendo linguam, ita dixiſſet, baptizatus non eſt denuò baptizandus. Cùm talis error linguæ, Baptiſmi effectum nõ impediat, c. retulerunt, diſt. 4. de conſecrat, &, c. ſi non ſanctificatur, diſtinct. 4. eod. Baptiſmus igitur formam ſuam ab Euangelio habet, c. penult. extr. eod. alia verò, quæ in Baptiſmo dicuntur, fuerunt inſtituta ab Eccleſia, c. propriè, de conſecrat. diſt. 4. & fuit Apoſtolis conceſſum baptizare, in nomine Chriſti tantùm, propter nomen Chriſti ampliandum, d. c. propriè, & vide tex. in c. à quodam, de conſecr. diſt. 4. & ibi Arch. & gloſ.

Quæ cauſa Finalis?

Vt in hæredes Chriſti recipi, & æternæ felici-

tatis participes esse possimus. Hoc enim sacro-sancto Baptismatis fonte, quasi regenerationis lauacro mundati, & ab omni noxa liberati, per gratiam Dei, ad diuinam in omnem perpetuitatem cum beatis perfruendam hæreditatem: qua per casum Adæ indigni facti fueramus; rursus admittimur. Magnæ igitur necessitatis sacramẽtum est, Baptismus: sine quo aliàs Christianæ societati & hęredibus Dei aggregari nõ possimus. Sicut enim in rebus externis, nulla huius vitæ commoda sentire potest homo, nondum natus: sic nec spiritalium bonorum participatione frui quisquam potest, nondum renatus, priusquam spiritalem vitam, suscepto regenerationis lauacro, inchoauerit.

Qui Effectus?

1. Baptizatus, eo eripitur à regno & tyrannide diaboli, c. primùm, dist. 4. de consecrat.

2. Donatur remissione omniũ suorũ peccatorũ c. maiores ex. eo. &, c. ex quo instituta, di. 4. eo.

3. Donatur spiritu sancto, & vera innocentia, c. non potest, dist. 4. eod. &, c, per aquam, eod.

4. Ad hoc Baptismus valet, vt dicitur in c. ad hoc, dist. 2. de consecra. vt baptizati Christo incorporentur, & membra eius habeantur, consepeliantur q; & oblati per sacramentũ charitatẽq; fideliũ reconciliẽtur Deo: vt in eo viui, salui, liberati, redẽpti, illuminati q; fiant, d. c. ad hoc. Baptizati addicuntur cõsecrãtur q; Deo Patri & Filio, & Spiritui sancto: huius deniq; fiunt filij atq; hęredes, d. c. maiores, ext. eo. 6. In Baptismate omnis malorum fomes extinguitur: nõ vt nõ sint, sed vt nõ obsint, c. per Baptismũ, dist. 2. de cõsec.

Quæ

Quæ Cognata?

Circuncisio, in cuius locum salutari Christi institutione Baptismus est suffectus, c. quod autē, dist. 4. de cōsecrat. Diluuium, transitus maris rubri, & aliæ ablutiones, de quibus tam in veteri, quàm in nouo testamento legimus. Diluuium enim, quo mundus purgatus est, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cūcta cogitatio cordis intenta ad malum, huius aquę figuram & similitudinem gessisse, Apostolus in priori epistola ostendit. 1. Pet. 3. Et maris rubri transitum eiusdem aquæ sacrosanctæ significationem habuisse, Diuus Paulus ad Corinthios exposuit, 1. Corin. 10. Vt interim omittam tum Naaman Syrij ablutionem, tum probaticę piscinæ admirabilē vim, & alia id genus multa, in quibus huius mysterij symbolū inesse facilè apparet. De prædictionibus aūt dubitare nemo potest, quin aquæ illæ, ad quas tā liberaliter Isaias Propheta ōes sitientes inuitat, vel quas è templo egredientes Ezechiel in spiritu vidit, tū prætereà fons ille, quem domui Dauid habitantibus Hierusalē paratum in ablutionē peccatoris, & mēstruatæ, Zacharias prænuntiauit, ad salutarem Baptismi aquam indicandam, & exprimendā pertineant.

Quæ Adiacentia?

Examinationes, promissiones, renuntiationes, ritus & cæremoniæ. de quibus habetur in c. baptizandi, c. postea, c. deinde, c. sacerdotes, c. si quis, c. post Baptismum, dist. 4. eod. susceptio, fides susicipientis, & baptizādi, si sit adultus, alioquin offerentiū fides sufficit, quæ paruulos fideles reddit. ij enim per verba gestantiū quodam-

modò fidem confitentur,& diabolo mundoque renuntiant. Et hoc fieri dicitur vi sacramenti & diuinæ gratiæ, quam Deus Ecclesiæ concessit, c.paruuli,distinct.4.de consecrat. c. mater,eod. c.in ecclesia,eod.&,c.illud perscrutari,distin.4. Imò paruulus baptizatus fidem habere dicitur, propter fidei Sacramentum: etenim ita fideles vocantur,non rem ipsam,mente abnuendo,sed ipsius rei sacramentum percipiendo,c. nihil est aliud,dist.4.de consecrat.

Quæ Pugnantia?

Infidelitas baptizantis & baptizandi adulter: non enim tam ablutione corporis, quàm fide cordis Baptisma constat,c.verus,dist.4.Simulatio ficta. Vnde qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur; quia spiritus disciplinæ effugiet fictum;aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa iterum per fictionem replicantur,c.quomodò,&,c. tunc valere,dist.4.eod. Baptismi reiteratio. reiteratur enim baptisma non debet,cuius formam constat integrè collatam,c. hi de quibus,c.ostenditur,§. si qui apud,dist.4. Nota tamen,quòd etsi ab hæretico vel pagano Baptismus sit collatus,animo baptizandi,reiteratio non concedatur:idem est, si minister sit in mortali peccato cõstitutus, vel peruersis moribus præditus. Sicuti enim Sol transiens per sordida loca non contaminatur, ita nec sacramenta administrata per malos non possunt vitiari. Nõ enim tàm ministri rectè administrare volentis officiũ, quàm spiritus Dei subministrantis gratiam diuinam attendimus, c.Romanus,c. si inter bonos,distinct. 4. eod. &

vt

vt dicitur in c. baptismus, ead. dist. Non merita ministrorum, sed virtus Christi in Baptismate, alijsq; sacramentis operatur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Necessarium est visibile Sacramentum aquæ, ad ablutionem visibilis corporis: sicut necessaria est doctrina inuisibilis fidei ad sanctificationem inuisibilis animæ, c. 1. dist. 4. de consecrat.

Finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti, c. si quis, distinct. 4. de consecrat.

Sicut per bonum, ita per malum ministrum, æquè Baptisma ministratur, c. si inter bonos, dist. 4.

Non merita ministrorum, sed virtus Christi in Baptismate operatur, c. Baptismus, dist. 4. eod.

Verba erroris per imperitiam prolata, non impediunt aquæ sanctificationem, c. si non, dist. 4.

Qui in Baptismo paruulos suscipiunt, pro eis apud Deum fideiussores existunt, c. vos ante, dist. 4.

Qui in maternis sunt vteris, ideò cum matre baptizari non possunt: quia qui natus adhuc secundum Adã non est, secundùm Christum regenerari non potest, c. qui in maternis, dist. 4.

Tanta est baptismi virtus in sancta compage corporis Christi, vt semel regeneratus per aliorum voluntatẽ deinceps non possit vinculo alienæ iniquitatis obstringi; cũ nulla sua voluntate consensit, c. quæris à me, dist. 4.

Anima patris, est anima filij, d. c. quæris, eod

Peccato alterius, sine sua conscientia nemo tenetur, d. c. queris, eod.

Gratia non tantùm peccata dimittit, sed etiam legem implere facit c. gratia, distinct. 4.

Non tam ablutione corporis, quàm fidei veritate baptisma constat, c. verus, dist. 4.

DE PRESBYTERO NON BAptizato, Et: An Ordinatio presbyterinon baptizati subsistat?

Titulus XLIII.

Continuatio.

CVm non, nisi per meritum Christi, & baptismum, iuncta fide in Christum, Christianorum nomẽ adipiscamur: patet presbyterum antequam baptizatus sit, ordinari nõ posse: de facto ordinetur, tamen ordinis characterem non recipere, c. 1. &, c. veniens, extr. eod. Enim Baptismus fundamentum Christianae societatis, quo deficiente, nullius Ordinis character imprimi potest: item est, si Baptismus processerit: sed in eo forma non fuerit seruata, dubium sit: an baptizatus sit, vel forma immutata? Et sic de iure vel facto Baptismi ignorato. Potest enim hoc casu Baptismus ante ordinem conferri, nec ob id Baptismi iteratio fieri dicitur. Quia non videtur iteratum, quod ambigitur esse factum, c. fin. §. fin. ex. eo. &, §. verùm, 32. quæst. 6.

DE CVSTODIA EVCHARISTIAE, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.

Titulus XLIIII.

Qua pœna Custodis negligentis obseruare res sacras?

IS, cui cura custodiendi res sacras, cõmissa est, nihil negligẽtię admittere debet: quòd si secꝰ, etsi nihil nepharium, contingat, custos in pœnã negligentiæ triũ mensium suspẽsioni subijcitur: vel, si inde turpe quid sequatur, pro arbitrio iudicis punitur. Si quis autem per ebrietatẽ, vel voracitatem Eucharistiã euomit, si laicus sit 40. diebus: si clericus 70. pœnitere debet, c. si quis, dist. 2. de consecrat, licet si per infirmitatem contingat, 7. dierum pœnitentia statuta sit.

DE RELIQVIIS ET VENERATIONE Sanctorum.

Titulus XLV.

Qui pro Sanctis venerandi sunt?

NOn oẽs, qui miracula faciunt, quia quandoque etiam per malos miracula fieri possunt, c. teneamus, 1. quæst. 1. Sed qui Apostolica authoritate approbati, & in numerum sanctorum relati, vel canonizati sunt.

Quid est Canonizare?

Canonizare est, vt ait Innocentius in c. 1. ex. eo. sanctos canonicè & regulariter statuere, vt approbatione præmissa, pro Sanctis, ob vitæ sanctimoniam, præclaras virtutes, vel miracula, vltra potentiam humanam, & quasi diuinitùs facta, honorentur.

Quæ

Quæ Formia Canonizandi?

Notat Hostiens. in Summa. Primò oportet inquiri de vita, moribꝰ, rebus præclarè gestis, c. miramur, dist. 91. Secũdò, vtrùm in vita persecutiones passus fuerit, c. omnis, 7. q. 1. Tertiò inquirẽdum de miraculis in vita, & post mortem factis. In quibus quatuor requiruntur. 1. Quòd à Deo non ex arte quadam procedant, c. teneamus, 1. q. 1. 2. Quòd sint contra naturam. 3. Quòd non ex vi verborum, sed ex pietate hominis hæc contingant, c. cùm Marthæ, extr. de celebrat. Missa, 4. Quòd sint ad confirmationem fidei, arg. c. catechumenum, dist. 4. de consecrat.

Quid de Reliquijs?

Præcipit Innocentius III. in Concilio generali Prælatis, vt non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias, causa venerationis accẽdunt, varijs figmentis, aut falsis documẽtis decipi, sicuti in plerisque locis occasione quæstus fieri consueuit, c. cùm eo. extr. eod. ideò ne quid in posterum Christianæ religioni detrahatur, vt antiquæ reliquiæ extra capsam nullatenùs ostendantur, nec exponantur venales: inuentas autem de nouo nemo publicè venerari præsumat, nisi prius authoritate Pontificis fuerint approbatæ, decreto veræ, c. fin. extr. eod.

DE OBSERVATIONE IEIVniorum.

Titulus XLVI.

Quid est Ieiunium?

IEiunium, teste Innocentio, in c. 1. extr. eod. est parsimonia victus, & abstimentia ciborum certis

ãs ab Ecclesia institutis temporibus seruanda.

Vnde dicitur Ieiunium?

Ieiunium dicitur à quodam intestino ieiuno vocato, quod semper vacuum est, subtile, & ieiunum, mediaq; viscera vacua & exinanita relinquit, Innocent. d.c.1. extr. eod.

Quotuplex Ieiunium?

Ieiunium triplex dicitur esse: Primum est afflictio carnis, ex abstinẽtia ciborum certis ab Ecclesia institutis diebus, ab hominibus communiter obseruanda, de quo propriè hoc titulo disseritur. Alterum dicitur perfectum, scilicet abstinentia à cunctis illecebris, iniquitatibus, & illicitis voluptatibus: de quo habetur in c. ieiuniũ, dist. 5. Tertium dicitur, discreta & moderata ex naturali ratione conueniens refectio, secundùm quam non luxuriosam sed temperatam vitam ducimus: de quo legitur in c. sint tibi, distinct. 5. de consecrat.

Quæ causa Efficiens?

Potentia appetitiua hominis, & decreta Pontificum, ieiunia certis temporibus indicentium, c. consilium nostrum, ext. eod.

Quod Obiectum?

Abstinentia ciborum & vitiorum. Vnde ieiunium non tantùm ab escis, sed à cunctis illecebris dicitur abstinentia.

Quæ Forma?

Ieiunij obseruatio regulariter secundũ naturæ legẽ constituitur: tantum enim cibi & potus, (vt ait Cicer. in Catone maiore) sumẽdũ est, quo reficiantur, non opprimantur vires tam corporis quàm ingenij. Sed determinatio temporis &

mo

modum ieiunandi secūdùm Pontificū institutū Canonibus traditur, scilicet, c. solēt, de cōsecrat. dist. 1. & tot. tit. hoc, de obseruat. ieiuniorum.

Qui Effectus?

Humilitas, continentia, & castitas. Nā, vt dicit Augustinus, purgat animam, mentem subleuat, propriam carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit.

DE PVRIFICATIONE POST partum.

Titulus XLVII.

An mulier post partum æditum arceatur ab ecclesiæ ingressu?

LEge Mosaica, mulier, post partum, iudicabatur immunda: ideò pariens masculum, vsq; ad 40. fœminam autē si pareret, vsq; ad 80. dies ab ingressu templi arcebatur. Hodiè verò, cùm vmbra legis euanuerit, veritasq; Euangelij illuxerit: si mulieres post partum editum, actura gratias Deo, ecclesiam intrare voluerint, ne pœna illis in culpam conuerti videatur, nullus mulieribus ad ecclesiam se conferre volentibus, aditus præcludi debet, c. volens, extr. eod.

DE ECCLESIIS AEDIFICANdis vel reparandis.

Titulus XLVIII.

An nouæ ecclesiæ extrui possint? Et quæ requirantur?

Non tantùm ecclesiæ ruinam minantes ex fabri-

brica, alijsq; contributionibus reparari, verùm etiam, iusta causa vrgente, è fundamentis nouæ extrui debent: Adeò, vt nec obstante iuramento de rebus ecclesiæ non alienandis, Episcopus ecclesias & oratoria ob iustam causam ædificare possit, c. fin. extr. eod. Sunt autem iustæ causæ: 1. Populi incrementum, d. c. fin. extr. eod. &, c. felix, 15. quæst. 1. 2. Nimia distantia ecclesiæ. Nã vult Alexander III. propter nimiam distantiã ecclesiæ, potest noua ecclesia, certa portione de antiqua sibi assignata in ipsius parochia extrui, c. ad audientiam, extr. eod. 3. Qualitas temporis, c. & temporis qualitas, 16. quæst. 1. 4. Pietatis ratio, ob morbum contagiosum: vnde leprosis vnà habitantibus ecclesiam vel oratorium ædificare permittitur, c. 2. extr. eod.

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM, cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

Titulus XLIX.

Continuatio.

ECclesijs, religiosis domibus, eorundẽq; rebus & ministris, immunitates tam Imperialibus cõstitutionib⁹, quàm Pontificũ decretis, sũt concessæ. Quibus ab omni onere, exactionum & collectarũ solutiõe religionis fauore liberãtur.

Quid est Immunitas?

Immunitas est, ab onere vel munere in fauorem alicuius concessa liberatio, toto tit. ff. de iure immun.

Vnde

Vnde dicitur Immunitas?

Immunitas dicitur, quasi sine muneribus data libertas, Hostiens. in §. & vnde, hoc tit.

Quotuplex Immunitas?

Triplex: Localis, Personalis & Realis.

Quid est Localis?

Localis est, quæ sacræ ædi, religiosis domibus, cœmeterijs, alijsq; religiosis locis conceditur. Vnde cùm Ecclesia Dei, secundùm Euangelicam veritatem, vt ait Lucius tertius in c. cùm Ecclesia, extr. eod. domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum, seculares iudices, causas, vbi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in Ecclesijs vel cœmeterijs agitare, sub interminatione anathematis prohibetur. Et ratio est. Quia absurdū & crudele videtur, ibi iudicium sanguinis exercere, vbi est tuta refugij constituta, d. c. cùm Ecclesia: nec in domibus ecclesiarum causas ciuiles, vel canonicas decidere, vel hospitium habere possunt, Missus, Comes, Iudex, vel minister publicus, c. 1. extr. eod. Imò, non tantùm iudicia secularia, verùm etiam publicæ quarumlibet societatum, & vniuersitatum conciones & consilia, nundinarum, aliorumq; secularium tractationes, confabulationes, fœda & prophana colloquia: & alia quæcunque, quæ diuinum cultum turbare vel impedire, aut oculos diuinæ maiestatis offendere possint, ab ecclesijs penitus amoueri debent, c. decet, eod. tit. in 6. Immunitates autem locis religiosis concessæ, non tantùm ratione sui, verùm etiam illorum, qui eo loci degunt, commoran-

tur

tur,& accedunt,intelliguntur. Vnde confugientes ad ecclesias,inde extrahi iure vetãtur.Distinguitur tamen: Aut seruus confugit, aut liber: si liber: aut ob debita, aut ob commissum delictum, eo confugit: Si ob debita: siquidem reipublicæ debeat,non extrahitur,si tamen post citationem legitimam ipse per se,vel per procuratorem,non compareat, proceditur contra eum ad primum & secundum decretum, & mittitur creditor vel actor in possessionem suorum bonorum,Nouel.de mand.princip. &, l. præsenti, C.de his,qui ad eccles.confug. Si verò sit priuati hominis debitor,iudex triginta illi securos dies cõcedet,ad allegandum suas legitimas exceptiones, si quas habet & se defendendum,& si condemnetur, iudex sententiam latam, prout legitimè potest,exequetur,d.l.præsenti. Si autem, ob delictum confugit, ius ciuile inter leuiora & atrocia delicta distinguit,d.l.præsenti. Ius autẽ Pontificium quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit: Non tamen violenter ab ecclesia extrahendum, nec inde ad mortem,vel ad pœnam damnandum statuit.Et ratio est. Quia honor ecclesiarum conseruari debet,c.Reum ad ecclesiam,17. quæst. 4.Excipit tamen Innocentius III.duos casus:Nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum:qui,dum itinera frequentat, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidijs, illi enim iuxta canonicas sanctiones impunitate non præstitã ab ecclesia extrahi possunt.Ratio est. Quia ecclesia non vult esse receptatrix eorum, quos ob nimiam turbationem tranquillitatis humanæ Deus ipse æterna le-

na lege puniri præcipit, c. inter alia, ext. eo. & ibi Panor. Sin autem seruus ad Ecclesiam confugerit, interest, an propter seruitia, quę domino prę stare detrectat, an ob nimiam domini sæuitiam & immanitatem, ad Ecclesiam cõfugerit? Et priori casu, domino petenti seruus restituendus est. Posteriore autem, si domin⁹ de impunitate sua clericis iuramentum præstiterit, seruus etiã inuitus ad seruitium domini sui redire compellitur: alioquin à domino propria authoritate extrahi poterit, d. c. inter alia, extr. eod. Quæ tamen omnia Gregorius IX. ita intelligit: Nisi sub spe immunitatis in ecclesijs vel cœmeterijs delictum: putà, homicidium vel mutilatio membrorum, pateretur. Frustrà enim legis auxilium inuocat, qui in legem ipsam committit, c. immunitatem, extr. eod. Intelligitqúe non tantùm de ecclesia consecrata, verùm etiam de ea, in qua diuina mysteria celebrantur: licet adhuc non sit consecrata. Quia obsequijs diuinis dicata, nullius est temerarijs ausibus profananda, c. ecclesiæ, extr. eod.

Tandem definit Concilium Toletanum, ipsã immunitatem non tantùm ipsi ecclesiæ, verùm etiam ampliùs circumiacenti loco tribui: scilicet, vt liceat confugienti, intra triginta passus ab ecclesię ianuis progredi, in quibus 30. passibus vniuscuiusque ecclesiæ in toto circuitu, reuerentia defendatur, intantùm, vt si quis confugientẽ ad ecclesiam, vel intra triginta passus consistentem, inde violenter abstraxerit, sacrilegij crimine reus excommunicetur, alijsq; legitimis pœnis plectatur, c. definiuit, 17. q. 4. c. frater, c. 5. sicut,

cut,c.constituimus,&,c.si quis contumax,17. q. 4.Is autem qui tumultum, vel seditionem conclamationibus & aggressibus concitet,vltimo supplicio subijciatur, l. denunciamus, C. de ijs qui ad eccles.confug.& per Guilhelmum de Cuneo ibidem. Iudæi autem ad Ecclesias confugientes,non debent suscipi, priusquam vniuersa debita soluerint, vel susceptí de crimine se purgauerint,l.1.C.de ijs,qui ad eccle.confug.

Quid est Realis Immunitas?

Realis immunitas est,libertas, qua res ecclesiasticæ,ab onere tributorum,aliarumq; exactionum,quæ à seculari potestate imponuntur, eximuntur. Vnde nulla persona iurisdictionem secularẽ exercens,potest tallias,collectas, vel exactiones imponere ecclesijs, vel ecclesiasticis personis,vel ab ijs exigere,pro domibus, prędijs in eiusdem territorio sitis:vel quibuscunq; possessionibus,ab ijs acquisitis vel acquirendis. Item: ecclesiæ & ecclesiasticæ personę,nõ coguntur soluere pedagia vel guidagia, nec tallias pro rebus suis proprijs,quas nõ causa negotiãdi deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt,c.si diligenti,ext.de præscript.c.ecclesia,extr.de constit. c.si clericus,ext.de foro comp.&,c.præsenti,extr.de cens. Si tamẽ tãta sit in Republica necẽsitas,aut vtilitas,vt Episcopus cũ clero suo laicorum nõ suppetentibus facultatibus,cõmunes vtilitates per subsidia ecclesiastica subleuandas duxerit, Romano priùs consulto Pontifice,omni penitus cessante coactione, poterit aliquid in commune conferre, quod laici humiliter ac deuotè

cum gratiarum actione suscipere debent, c. non minus, &, c. caduersus, extr. eod. Ab angarijs autem, parangarijs, vel plaustris, alijsque muneribus, propter Principis expeditionem incumbentibus, res ecclesiæ non sunt immunes. Quod & Canõ in decretum relatus de tributis statuit, c. si tributum, 11. quæst. 1. inquiens: Agri ecclesiæ soluant tributum: si agros desiderat Imperator, potestatem vindicandi habet. Tollat igitur eos, si libitum est: non tamen Imperatori eos donamus, sed vindicanti non negamus, d. c. si tributum.

Quid est Personalis Immunitas?

Personalis immunitas est, qua personis ecclesiasticis à iurisdictione Laicorum, muneribusq; personæ industriam & factum concernentibus contingit exemptio: Clerici enim à iurisdictione Laicorum, de iure diuino, cùm res quasi spirituales sint, eximuntur. Eo enim ipso, quod quis ordinatur in clericum, efficitur res sacra, & transfertur in sortem domini, c. cui portio, 12. quæst. 1. c. quanquam, de cens. in 6. &, c. Imperator, 96. distinct. A muneribus etiam personalibus immunes sunt clerici, teste Leone Augusto, in c. generaliter, 16. quæst. Qui ait: Generaliter sancimus, omnes viros reuerendissimos, Episcopos, necnon presbyteros, seu diaconos, & subdiaconos, & præcipuè monachos, licet non sint clerici, immunitatem ipso iure omnis habere tutelæ siue testamentariæ, siue legitimæ, siue datiuæ, & non solùm tutelæ esse eos expertes, sed etiam curæ non solùm pupillorum, & adultorum, verùm etiam furiosorum, & mutorum, alie-

aliarumq; personarum, quibus tutores vel curatores à veteribus legibus dantur. Tamẽ cùm pietas & vrgens necessitas quemlibet ad negotia impellere debeant, personæ, quibus immunitatis priuilegium cõcessum est, à cura viduarum, orphanorum, aliarumque miserabilium personarum, excusationem non habent, nec tempore magnæ necessitatis clerici à murorum vigilijs, excubijs, & defensione: quæ inter res omnes, seditiosis tumultibus, & bellis conturbatas, etiam susceptis armis, saluti patriæ recuperandæ & conseruandæ impenditur, liberi sũt: sed omnes ad hoc generaliter compellũtur, quatenus cunctis vigilantibus, melius valeat ciuitatis custodia procurari, & hostile malum plurium præsidio auerti. Naturæ enim lex quemlibet in defensionem patriæ totis viribus incumbere monet, c. peruenit, extr. eod. &, c. si nulla, 23. quæst. 8.

Quæ causa Efficiens?

Decreta Pontificum, & Imperiales constitutiones, quibus personis, locis & rebus Ecclesiasticis singulari fauore religionis, immunitates concessæ sunt, c. non minùs, extr. eod. c. 2. eod. tit. in 6. &, l. præsenti, C. de ijs, qui ad ecclesias confugiunt.

Quod Subiectum?

Ecclesiæ, & loca religiosa, eorumque res, & personæ, siue ministri his deputati, quibus priuilegia immunitatum conceduntur, c. frater, 17. quæst. 4. &, l. sancimus, C. de sacrosanct. eccles.

Quod Obiectum?

Munus,& alia,à quibus ecclesiæ, eiusq; rebus & personis liberatio datur. Munus, teste Paulo, tribus modis dicitur: vno, donum, altero, onus, tertio, officium, l. munus, ff. de verb. signif. Et hoc rursus vel patrimoniorum, vel personarũ, vel mixtum dicitur. Personale est, quod animi prouisione, & corporalis laboris intentione, sine aliquo gerentis detrimento perpetratur. Patrimoniale dicitur, quod sumptibus patrimonij & damnis administrantis expeditur. Mixtũ est, quod ab vtrisque participat. Quorum varia exempla vide in l. 1. & l. fi. ff. de muneribus & & honorib.

Quæ Forma?

Vt singulari religionis fauore immunitas, vel personis, vel locis, vel rebus ecclesiasticis detur. Ad consequendum autem ius immunitatis ecclesiæ, requiritur, vt ipsa vel consecrata, vel diuinis officijs destinata sit. Nã ecclesia obsequijs diuinis dicata, licet nondũ consecrata gaudet immunitatis priuilegio: ita, vt nemo ipsam temerario ausu profanare possit: ita in constituenda & defendenda immunitate personali desideratur, vt clericus ad maiores ordines promoueatur. Quoniã clericus in sacris non constitutus, personale munus subire compellitur, c. ecclesiæ, extr. eod.

Quis Finis?

Vt debitus honor ecclesiæ conseruetur: &, vt cultus Diuinus diligentiori cura clericorum

pro-

promoueatur, c.reum, 17.quæst.4. &, c. cùm ecclesia, extr.eod.

Quis Effectus?

Est ipsum immunitatis ius, quod eius temerarium violatorem subijcit excommunicationi, alijsq; legitimis pœnis, c.non minùs, extr. eod.c. 2.eod.in 6.&, c.frater, 17.quæst.4. & contra seditiosum turbatorem pro infligenda pœna capitali competit, criminalis accusatio, l.denunciam', C.de ijs, qui ad eccles.confug.

Quæ Cognata?

Priuilegia, indulgentiæ, rescripta, gratia, dispensatio, quæ nihil aliud est, quàm quædam relaxatio facta à iure, causa cognita, ab eo, qui ius dispensandi habet.

Quæ Pugnantia?

Contrariantur personali immunitati & alijs immunitatibus personæ concessis, enormia delicta clerici, quæ inducunt irregularitatem: vt sũt homicidium, sacrilegium, adulterium, falsũm testimonium, &c.c.si Episcopus, 5.dist.&, c. Apostolus, 81.dist. Reatus enim omnem honorem excludit, l.1.C.vbi senatus.& clarissi.& priuilegium amittit, qui permissa sibi abutitur potestate, c. priuilegium, 11.q.3. &, c.suggestum, extr. de decim. Pugnat etiam contemptus habitus clericalis: eo enim casu perdit priuilegium, c.fin.ext. de vita & honest.cler. &, c.1.&, c.priuilegijs, ext. de excess.priuileg. Ratio est. Quia cùm, spreto sui status & ordinis habitu, vitam delegerit secularem vt similem in legibus sentiat disciplinam, æquũ est, c.reçolentes, extr. de statu monachorum.

NE CLERICI VEL MONACHI secularibus negotijs se immiſceant.

Titulus L.

Continuatio.

Cùm clerici et monachi ꝓſonalis immunitatis priuilegio gaudeant: in hunc finem, vt tantò liberiùs, quaſi in ſortem Dei electi, diuinis vacare poſsint: Nõ debẽt ipſi ſe negotijs ſecularib⁹ ingerere, vt vel miniſterij debiti negligẽtiã admittãt, vel iacturam æternæ felicitatis faciant.

Quæ ſunt Secularia Negotia?

Multa & varia ſecularia negotia ſunt. Quorũ quædam ex Concilio Moguntino, quæ clericis monachisq; interdicũtur, enarrãtur: ſcilicet, munera iniuſta accipere, vel dare, pro aliquo ſeculari quæſtu, pretio, aliquem conducere, conuentiones, rixas, vel lites amare, in placitis ſecularibus diſputare, excepta pia defenſione, ſcilicet, orphanorum aut viduarum, conductores ſecularium rum, aut procuratores eſſe turpis verbi, vel ſecti, eſſe ioculatorem, vel iocum ſecularem diligere, aleas amare, ornamentum inconuenies propoſito ſuo quærere, in delitijs viuere, gulam & ebrietatem ſequi, pondera iniuſta vel menſuras habere, negotium iniuſtum exercere, canes & aues ſequi ad venandum, & omnibus cuiuslibet cauſis, illicitis & ſuperfluis intereſſe. De his & alijs hic non notatis inquit Apoſtolus: Nemo militans Deo implicet ſe negotijs ſecularibus, c. multa ſunt, extr. eod.

Qui

Quæ pœna in Clericos & Monachos, qui se secularibus negotijs immiscent, statuta est?

Pro varietate negotij, cui clericus, vel monachus incũbit, varia pœna Canonibus statuta est. Vnde clericus in sacris constitutus iudicium sanguinis exercens, ab officio & beneficio deponitur: vel Propositi secularis vel Vicecomitis officium gerens, si commonitus non desistat, excommunicatur, c. clericus, extr. eo. Et si religiosus sit: grauiùs punitur, c. sed nec, extr. eod. clerici, per beneficiorum subtractionem vt desistant à tabellionatus exercitio, compellũtur, c. sicut, ext. eo. si mercimonia exerceant instar laicorum, si tertiò moniti non destiterint, priuilegiũ, de immunitate patrimoniorum clericis indultum amittunt, c. fin. ext. de vita & honest. cler. &, c. contingit in audientia, extr. de sent. excom. Religiosi professi audientes leges vel Physicam, nisi intra duos menses ad claustrum redierint, sicuti excõmunicati ab omnibus euitari, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiri, & in choro, & in mensa, & in Capitulo vltimi fratrũ existere debent, c. nõ magnopere, ext. eod. Quòd si autem religiosi, ita moribus peruersis, vt corrigi non possint, dediti sint, vt incorrigibiles de monasterio expelli, & ipsum monasterium de fratribus alterius ordinis, si eiusdem ordinis deficiant, reformari poterit, c. relatum, extr. eod.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QVARTVS.

Libri Quarti obiectum est, coniugium: nam causas matrimonij aliarumqúe cõiunctionum, quarum tractatio latè se diffundit, explicat.

DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIJS.

Titulus 1.

Continuatio.

MAtrimonium: Quo coniuges ipsi ad perpetuam vitæ consuetudinem inuiolabiliter conseruandam sibijnuicem deuinciuntur: quo ad diuinam institutionem, diuinique mysterij effectum, rebus diuinis annumeratur.

Quid Sponsalia? Et vnde dicta?

Sponsalia sunt, mentio & repromissio futurarum nuptiarum, c. nostrates, 30. q. 5. &, l. 1. ff. eod. Vlp. sponsalia dicta esse à spondendo putat. Nã moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi vxores futuras: Vnde sponsi & sponsæ appellationem natam asserit Florentinus, in l. 2. & l. 3. ff. eod.

Quotuplicia Sponsalia? Et quid sunt sponsalia de futuro?

Sponsalia sunt duplicia: videlicet, de futuro, & de præsenti. Sponsalia de futuro sunt promissio futurarũ nuptiarum, quæ fiunt per verba

ba futuri temporis: vt, Ego te ducam in vxorẽ, c.penul.extr.eod.

Quotuplicia sunt Sponsalia de futuro?

Alia sponsalia sunt nuda, & simplicia, alia firmata & duplicia. Nuda & simplicia dicuntur sponsalia, cùm sponsus sponsæ nudè & simpliciter promittit, quòd eam ducet in vxorem, & econuersò, c.ad audientiam, &, c.cùm inter, extr. eod. Firmata verò sunt, quæ vel arrhis interuenientibus, vel pignoribus loco arrharũ datis, vel, interueniente annuli subarrhatione, vel fide & iuramento interposito, cõtracta sunt, &, c.si quis vxorẽ, c.si quis desponsauit, 27.q. 2. c. præterea, c.ad nos, &, c.commissum, extr.eod. Ex his patet firmata sponsalia varijs modis celebrari: 1. scilicet, interuentione arrharũ. 2. Pignoratione, loco arrharũ facta. 3. Annuli datiõe. 4. Interpositione fidei vel iuramenti, c. requisiuit, &, c. commissum, ext. eod. Nota tamen: quòd aliud sit, annuli subarrhatio, aliud desponsatio. Desponsatio enim consistit in pactione sponsaliorum: Subarrhatio verò in sponsalitia datione, vel etiam interuenientibus donis, & muneribus, iuxta loci consuetudinem, c. 1. extr. de matri. contra interd. eccles.

Quæ causa Efficiens?

Voluntas & consensus contrahentiũ per verba futuri temporis expressus, c. præterea, extr. eod. l. 4. &, l. sponsalia, ff. eod.

Quod Subiectum?

Sunt personæ contrahentes sponsalia pro se non pro alijs: quales sunt masculi, & fœminæ liberæ

liberæ conditionis cuiuſcunq; ætatis poſt infantiam ſint, ſic enim ait Modeſtinus in l. in ſponſalibus 2. ff. eod. in ſponſalibus contrahendis ętas contrahentium definita non eſt: vt in matrimonijs. Quapropter à primordio ætatis ſpõſalia effici poſſunt, ſi modò id fieri ab vtraq; perſona intelligatur, id eſt, ſi non ſint minores, quàm ſeptem annorum.

Quod Obiectum?

Sunt verba inducentia promiſsionem futurarum nuptiarũ: ſiue ſubarrhatio annuli, iuramentum, & datio arrharum illis acceſſerint, ſiue non, c. 1. & ibi Canoniſtæ, extr. de ſponſ. duorũ.

Quæ Forma?

Vt is, qui contrahere poteſt per ſe, vel per aliũ, putà, nuntium vel parentem, per verba de futuro, ſimpliciter, vel ſubarrhatione annuli, vel datis donis & muneribus, vel iuramenti interpoſitione, coràm vel abſens fidem contrahendi matrimonij det. Primò enim quælibet perſona contrahere ſponſalia poteſt, quæ non prohibetur. Prohibentur autem, minores ſeptem annis, furioſi, mente capti, &c. Quia intellectus vel conſenſus, qui in ſponſalibus contrahendis deſideratur, ipſis deeſt, d. l. in ſpõſalibns, &, l. furor, ff. de ſponſalibus. Secundò, conſenſus illarum perſonarum, de quarũ coniunctione quæritur, quouis modo declaratus, ſponſalibus contrahẽdis, de neceſsitate adeſſe debet. Colligitur autẽ conſenſus variè: ſicuti etiam ſponſalia non vno, ſed varijs modis, contrahuntur, vt putà re, verbis, literis, & conſenſu expreſſo. Re contrahuntur, per nudam ſubarrhationem, vel annuli immiſsio-

missionem, vt dictum est, Abb. in c. fin. extr. de impub. Verbis fiunt per promissionem super spõ. de futuro matrimonio per verba de futuro: vt, Ego accipiam te in meã vxorem, &c. Literis contrahuntur spõsalia, vt si absentes inter se per epistolam, missum nuntium, vel procuratorem, super futuro matrimonio paciscuntur, Hostiens. in §. qualiter, hoc tit. Licet & parentes liberis absentibus, sponsalia contrahere possint: ita tamen si liberi consentiant: præsumuntur autem consentire, nisi expressè parentum voluntati repugnent, vel euidenter dissentiant, non autem quauis ratione à patre dissentiendi licentia filiæ conceditur: Sed tantùm si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater eligat, l. Sed ea, quæ, &, d. l. in sponsalibus, ff. eod. Consensu tantùm sponsalia contrahuntur, cùm duo impuberes, quorum malitia non supplet ætatem, & qui pubertati non sint proximi, vel etiam alter tantùm sit impubes, per verba de præsenti, matrimonium contraxerint: talis enim contractus, cùm in ea solus attendatur contrahentiũ consensus, & volũtas, in sponsalia de futuro resoluitur, & ex ea iustitia publicæ honestatis inducitur, c. cùm super, extr. de off. deleg. &, c. à nobis, extr. de spon. impub.

Quis Finis?

Finis est, vt ex postfacto matrimonium contrahatur: per sponsalia enim de futuro nuptiæ non sunt contractæ, sed habitus tantùm tractatus de futuris nuptijs contrahendis, c. penul. extrà de sponsal.

Qui

Quis Effectus?

Primus est. Iustitia publicæ honestatis: cuius causa consanguinei sponsi cũ spõsa per mortem sponsi, vel alio modo sponsalibus rescisis, contrahere non possunt, & econuersò, c. sponsam, c. ad audientiam, & c. iuuenis, extr. eod.

Secundus. Quòd ipse spõsus vel sponsa, alterutro inuito cum alio contrahere nõ possint: Et per censuram ecclesiasticam matrimoniũ contrahere & consummare cõpellantur, Hostiens: §. quis sit, hoc tit. c. si inter, &, c. sicut, extr. eod.

Tertius. Quòd, sequente copula carnali, ex huiusmodi sponsalibus verum perficiatur matrimonium. Quia licet non concubitus, sed consensus faciat nuptias: tamen hocipso coniũctionis actu, satis superq; consensus exprimitur, c. is qui, ex. eod.

Quartus. Quòd per triennium, exspectato sponso in exteris locis degente, eo elapso sponsa domi commorans liberam cum alio contrahendi matrimonij consequatur facultatem, l. liberum, C. de repudijs.

Quintus. Si alterutrius odio, vel alia de causa, quæ tamen sua culpa contingit, rescinduntur sponsalia de futuro: Si arrhæ datæ sint, is, qui in culpa est, ad restitutionem duplicatarum arrharum tenetur, l. mulier, C. eod.

Sextus. Quòd si alterutra pars rescisioni causam non dederit, & vel sponsus, vel sponsa moriatur, donatio vtrinque facta rescinditur, & vel superstiti, vel eius hæredi restituitur. Nisi osculum interuenerit: tunc enim ex rebus sponsæ donatis, ipsa sponsa dimidiam partem,

tem, altera demortui sponsi hæredibus restituta, lucratur. Quia osculo dato, virginitas quodammodò delibata videtur, l. si à sponso, C. de dona. ante nupt.

Quæ Pugnantia?

Sunt illi modi, quibus sponsalia de futuro dissoluuntur: 1. Morbus contagiosus & sonticus: vt si alteruter, sponsus, vel sponsa, lepra vel paralysi corripiatur, nec pristinæ sanitati restituatur. 2. Amissio membri: putà, si oculus eruatur, nasus præscindatur, vel alius corporis defectus magnam deformitatem, vel debilitatem inducens, inferatur. licet superuenientes morbi & corporis deformitates, defectusque contractum matrimonium non dirimant, c. fin. extr. de coniug. leprof. &, c. quemadmodùm, extr. de iureiur. 3. Lapsus temporis, vel diei conuentionalis in contractu sponsalium per contrahentes adiecti, c. sicut ex literis, extr. eod. 4. Lapsus temporis vel diei legalis, si per contrahentes certi temporis nulla est facta mentio. Est autem legale tempus triennium, intra quod si absens in remotioribus locis, absque legitima, & iusta causa non reuertatur, liberè contrahendi facultas datur præsenti, nec vlteriùs absentẽ exspectare tenetur, c. ex illis, extr. eod. &, d. l. liberum. 5. Superueniens fortius vinculum: Vt si sponsus per verba de præsenti, cum alia contrahat: Sponsalia enim de futuro per sponsalia de præsenti, postea contracta rescinduntur. Nisi sponsalia de futuro commixtio corporum subsecuta fuerit, c. 1. extrà, de spon. duo.

c. vo-

c.venient,&,c.is qui,extr.eod.6.Affinitas superueniens,c.super eo,extr.de consang.& affinitat. 7.Transitio ad religionem, c. commissum,eod. 8.Contradictio puberis, qui impubes sponsalia contraxit,c.de illis,&,c.à nobis, extr. de de spō. impub. 9.Canonicum impedimentum, de quo tamen fama constet,c.super eo,extr.de test. &,c. cùm in tua,extr.eod. 10. Pollutio:illam enim, quam quis per adulterium antea polluit, in vxorem ducere,non potest,tot.tit.extr.de eo,qui dux.in matr.quam poll.&c. 11.Fornicatio corporalis,c.raptor,27.q.2. 12.Fornicatio spiritualis: vt si alteruter in hæresim, vel idololatriam inciderit,c.non solùm,&,c.iam nunc,28.q.1. 13. Dissensus vtriusque partis,vel vnius tantùm,c. præterea,extr. eod. Quos modos Iacob de Are. his versibus comprehendit:

Dissensus,fuga,tempus,& ordo,secunda,
Morbus,& affinis,vox publica cunq; reclamant.

Quid sunt sponsalia de præsenti?

Sponsalia de præsenti,nihil aliud sunt,quàm contractus matrimonij per verba de præsenti celebratus,c.1.c.tuæ fraternitati,&,c.si inter virū, extr.eod.

Quotuplicia sunt sponsalia de præsenti?

Duplicia,clandestina & publica.& hæc iterū, vel pura,vel conditionalia.

Quæ dicuntur sponsalia pura & publica?

Sponsalia publica dicuntur,quæ cum consensu,tàm cōtrahentium, quàm ipsorū parentum, in præsentia certorum testium,per quos probari possit, palàm fiunt, & absq; omni dilatione, seu

seu conditionis adiectione contrahuntur. Et hęc proculdubiò, propter expresè accommodatum consensum, statim veri matrimonij rationem habent. Quia non concubitus: sed nudus consensus nuptias facit, l. nuptias, ff. de reg. iur. & Panorm. in c. super eo, colum. 2. extr. de cond. appos.

Quid est Matrimonium.

Matrimonium est, coniunctio legitima maris & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem, & diuini humaniq; iuris communicationem habens, Hostiens. in §. quid sit, tit. de matrim. & 27. q. 1. §. 1.

Vnde dicitur Matrimonium?

Matrimonium dicitur à matre & munio. i. officio, vt ait Hostiens. in §. & vnde dicatur: eo. D. Dicitur enim matrimonium, quasi matris officium, quia efficit mulieres vel virgines esse matres. Et licet pater generationis sit actor, tamen in procuratione sobolis, plus oneris & laboris sustinet mater, quàm pater. Vnde dicitur in c. ex literis, extr. de conuers. fidel. Quòd infans ante partum matri sit onerosus, in partu doloroſus, post partum verò laborioſus. Ideò putat Hostiens. in §. & vnde dicatur, eod. Patrimonium dictum esse à patre: eò quòd in eo conquirendo pater plus industriæ & laboris impẽdit, quàm mater, arg. c. 1. extra. de parochijs.

Quæ causa Efficiens?

Matrimonij efficiens remota causa est, Deus, qui matrimonium in Paradiso instituit, c. 1. ext. de frig. & malef. &, c. mulierem, 33. q. 5. Sed pro-

pinqua causa est, ius diuinum, ius naturæ, ius gentium, ius ciuile, & ius canonicum. Nam matrimonium, quò ad institutionem, est iuris diuini, quò ad coniunctionem, est iuris naturæ, quò ad consensum, est iuris gentium, quò ad pacta dotalia & stipulationes, iuris ciuilis: & denique quò ad solennitates & prohibitionem certorum graduum iuris diuini & canonici simul. Propriè tamen consensus per verba de præsenti declaratus, est causa efficiens matrimonij, vt dicitur in c. 27. q. 2.

Quod Subiectum?

Vnus mas, & vna fœmina, sub vno nomine cõiugum, ob indiuiduam vitæ consuetudinem comprehensi, iuxta illud: Et erunt duo in carne vna.

Quod Obiectum?

Verba de præsenti, & solennitates: quales sunt arrhæ, annuli, dos, donatio propter nuptias, cõuentiones, publica nuptiarum celebratio, traductio in Ecclesiam, copulatio, benedictio sacerdotis, velamen sponsæ, de quibus in c. sponsus, 30. q. 5. c. qualis, c. nullum, &, c. aliter, 30. q. 5.

Quæ Forma?

Vt liber homo, legitimæ ætatis, consensu parentum adhibito, cum persona eiusdem conditionis, & sectæ, extra quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum constituta, purè vel sub conditione: quæ pro non adiecta haberi possit, contrahat nuptias. Cõiunctio enim maris & fœminæ, quę matrimonium facit, debet esse legitima. Legitima autem dicitur, si hæc quinq; adfuerint: scilicet, libertas, iusta ætas, consensus parentum,

tum, consensus cõtrahentium, & ne obstet propinquitas sanguinis.

Primò. Libertas ad matrimonium contrahendum requiritur. Quia inter personas seruilis cõditionis, matrimonium esse non dicitur. quod quidem verum est, quò ad effectus matrimonij, qui de iure ciuili producuntur. Ius autem canonum, quod matrimoniũ Sacramentum statuit, inter personas nõ distinguit, cùm æquè omnes Christianam fidem profitentes sacramentorũ diuinorũ sint participes, c. 1. ext. de cõiug. seruo.

Secundò. Iusta ætas iure ciuili, in masculo, circiter 14. annos, in fœmina autem circiter 12. iudicatur: verùm, ius canonicum iustam ætatem nõ ex annorum numero, sed ex habitudine corporis, (vt is pubes, & ad matrimonium idoneus intelligatur, qui concipere & generare possit) colligit, iuxta c. puberes, extr. de desponsat. impub.

Tertiò. Ad legitimas nuptias requiritur parentum consensus. Non quidem, vt aliqui dicunt iure ciuili de necessitate tantùm: sed etiam iure diuino, iure naturæ, & iure canonico. Ius enim naturę parentibus obtemperare præcipit, ius diuinum parentum consensum nuptijs contrahendis adesse iubet, Genes. cap. 28. Ius Canonicum matrimonium per legitimum viri & mulieris consensum contrahi asserit. Legitimus autem consensus non est, nisi paternus interueniat, c. aliter, 39. quæst. 5. c. non omnis, §. fin. 32. q. 2. glos. in c. sufficiat, 27. quæst. 2. c. cùm apud, ext. eodem. Arch. in d. c. non omnis: Et alij affirmantes de iure Canonico parentum consensum

non neceſsitatis, ſed tantùm honeſtatis cauſa, nuptijs contrahendis adhiberi, conſtitutiones pontificiales deprauant & confundunt, cùm tamen illę non nudum contrahentium cõſenſum tantùm, ſed legitimum (vt ius ciuile) neceſſariò requirant. Nam d.c. non omnis, 32. q. 2. Paternũ iudicium in matrimonijs filiorum deſiderari ſatis innuit. Et Pontifex Euariſtus ante annos 1400. in quadam ſua ad Epiſcopos Aphricæ epiſtola claris verbis teſtatur, legitimum non eſſe coniugium, niſi vxor ab ijs petatur, in quorum eſt poteſtate, & à parentibus deſponſata publicè copuletur, & benedicatur à ſacerdote, cum precibus & oblationibns, c. aliter, 30. q. 5. Sic enim ibi ait: aliter legitimũ nõ eſt matrimoniũ, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere vidẽtur, & à quibus cuſtoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter (vt mos eſt) cum precibus & oblationibus, à ſacerdote benedicatur. Et à paranymphis (vt conſuetudo docet) cuſtodita & conſociata, à proximis, congruo tempore petita à legibus dotetur, ac ſolenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant. Item: ita peracta legitima ſcitote eſſe cõnubia: aliter verò præſumpta, non coniugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra vel fornicationes potiùs, quàm legitima coniugia eſſe non dubitatur: etiamſi voluũtas propria ſuffragauerit, & nota, ſuccurrerint legitima. hæc ille Euariſtus. Et nota quòd pro (niſi) legendum ſit (etiamſi) vt teſtatur Democh. Reſſonæ: ex manuſcriptis

scriptis lib. Indubitatò igitur liberi parentum, in quorum potestate sunt, cõsensum habere debent, si nuptias cõtrahunt, vt ait Iust. §. 1. inst. de nup. Nã hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet. Ciuilis quidem: quia eo iure filius patris potestati subijcitur. Naturalis autẽ: quia naturali iure siue gentiũ cõparatum est, vt patriæ & parentibus obediamus. Si tñ filius, non adhibito parentũ cõsensu, cõtraxit, distinguendum est. An persona sit pari, cõditionis, honesta, vel non? Nã si inhonestam personã filius facilitate & imprudentia ductus vxorẽ sibi acceperit, interposita authoritate, possunt parẽtes matrimoniũ illegitimè contractũ rescindere. Quòd si honesta sit & paris cõditionis, familiæ, & stemmatis, difficulter parentes, filio resilire nõ volẽte, vel carnali copula secuta, tales nuptias dissoluunt, c. cùm causa, extr. de raptoribus, & Dd. d. c. sufficiat. Possunt igitur parentes, vt nuptiæ legitimè iudicentur, eas ratas habere: Nec obstat, si dicatur: quòd ad legitimas nuptias, parẽtum desideretur iussus. Licet enim subtilitate iuris ciuilis iussus parentum, nuptias præcedere debeat, §. 1. instit. de nupt. tamen quemadmodum in bonorum possessione hæc subtilitas æquitate prætoria sublata est, ita vt nunc rati habitio, etiam negotium sequens, pro iussu habeatur, l. 3. §. acquirere, ff. de bon. possess. ita & hic dicendũ est. Quæ tamen si à parentibus ex post facto ratę nõ habeantur, etiamnũ nuptiæ ipsæ, consideratis quibusdã effectibus reprobantur, iniustę, & illegitimæ cẽsentur. Nec liberi ex tali matrimonio procreati, aui paterni potestati subijciuntur. Ra

tio. Ne ex hisce nuptijs quibus auus non præbuit consensum, hæres ipsi inuito nascatur, quæ tamen ratio in filia cessat.

Quartò: Consensus personarũ, de quarum cõiunctione quæritur congruentibus verbis & signis ad negotiũ aptis declaratus, & volũtarius in nuptijs desideratur, nõ per illatũ metũ, vim, minas extort⁹, emẽdicatus, vel coactus. Quia matrimonia debẽt esse libera, & coactiões solét frequenter difficiles habere exit⁹, c. requisiuit, &, c. cũ locũ, ext. eo. Filius tñ vel filia, submittẽs se patris arbitrio, nec cõtradicẽs, cũ pater eũ desponsaret cõsentire videtur, d. l. sed q̃ patris, ff. eod.

Quintò requiritur, vt matrimoniũ subsistat, ne obstet propinquitas necessitudinis, sanguinis, vel affinitatis. ipsum enim inter personas in gradibus non prohibitis contrahi necesse est: prohibetur autem vtroq; iure, tam ciuili quàm canonico in quarto gradu cõsanguinitatis & primi generis affinitatis inclusiuè, in secundo verò vel tertio affinitatis genere nuptiæ sunt concessæ. Quæ quomodò accipiãtur & gradus in vtroque iure distinguantur, ex sequentibus patebit.

Quæ causa Finalis?

Sunt duæ principales: scilicet, procreatio sobolis, & fornicationis vitatio. Ob id, inquit Apostolus, quilibet fornicationis vitãdæ causã habeat suã vxorẽ, & vnaquęq; vxor suũ virũ, c. in presentia, ext. eo. &, c. pen. ext. de frig. & malef. Min⁹ aũt principales causę plurimę sunt: putà, personarũ cõiunctio, amicorũ & diuitiarũ conquisitio, pacis reformatio, iucunda conuersatio, solatiũ humanitatis, & potissimũ in senibus, c. nuptiarũ bonum,

bonũ,27.q.2.Hinc est, quod lex Papi prohibẽs maiorẽ 40.annis nubere,abolita sit,l.sancimus, C.de nup. *Qui Effectus?*

Primus est,firmitas constitutæ dotis.2.Quòd filius ex legitimis nuptijs procreatus legitimus dicatur.3.Patria potestas,cui filius legitimꝰ subijcitur.4.Successio liberorũ in hereditate.5.Consanguinitas. Quę rationè matrimonij legitimè cõtracti inter ascendẽtes, descendentes,& collaterales,efficitur. 6.Affinitas, quæ pari ratione inter personas,quæ sibi non sunt coniunctæ per nuptias conuentione duorum celebratas,contrahitur. 7.Indissolubile vinculum,quod, nisi per diuortij modos,separari nõ potest. 8.Transitio vxoris in potestatem viri.Et econtrà. Quia mulier non habet potestatẽ sui corporis,sed vir, &ecõuersò. Vnde nec alter altero inuito vitam mutare,&ad religionẽ cõuolare potest,c.sũt qui dicũt,17.q.2.9.Est obligatio reddẽdi debiti,licet enim dicatur,qꝰ nõ cõcubitꝰ,sed cõsẽsus nuptias faciat:hoc tñ q̃ ad constitutionẽ, non autẽ consummationẽ & perfectionem matrimonij intelligitur.Vnde dicitur despõsatione,vel spõsalib. matrimoniũ initiari,consensu ratificari,copula aũt cõsũmari. Maritus igitur, nulla tẽporis ratione habita,vxori petẽti debitũ reddere tenetur,c.2.ext.de cõiu.lepro.Sicuti etiã vxor marito volẽti cõmiscere,morẽ gerere debet:nec hocipso castitas violatur,si modò potiꝰ suscitãdę ꝓlis,q̃ insatiabilis libidinis explẽdę gratię fiat.Vnde Philosophus:adulter est in suã vxorẽ amator ardentior. Et Iob: Sapiens iudicio amat coniugem, non affectu. Non regnat in eo impetus

voluptatis, nec præceps fertur ad coitum. Et nihil est fœdius, quàm vxorem quasi adulteram habere, per totum, 32.q.2.&,q.4.

Quæ Cognata?

Bigamia, trigamia, contubernium. Bigamia est matrimoniũ iteratũ, & successiuè cũ duabus vxoribus legitimè cõtractũ. Vnde bigamus maritus duarũ vxorũ dicitur: nõ quidẽ vno tẽpore, sed diuerso: putà demortua prima, si alteri se iũxit, &c. Pariter, trigamia dicitur, cũ ter fuerit, prioribꝰ vxoribꝰ defunctis, iteratũ matrimoniũ & sic deinceps. Cõtuberniũ, ꝓpriè inter seruos, q defectu libertatis matrimoniũ olim nõ cõtrahebãt, esse dicitur; sed cũ matrimoniũ sit iuris naturalis, & diuini, quorum iuriũ serui participes sũt, nõ incõueniẽter ad seruos matrimoniũ etiã pertinere dicitur, per tot. tit. ex. de cõiug. seruo. Aduertendũ etiã est, quòd matrimoniũ coniugium, connubiũ, cõsortiũ, nuptiæ, sint synonyma & nominis voce tantùm differũt. Dicitur n. coniugiũ à iugo, vel iungẽdo. Vnde cõiuges, qui simul iunguntur. Connubiũ & nuptiæ à nubendo, siue à velando, appellantur, ꝙ mulier nupta pudoris gratia, & in signũ subiectionis velato capite incedere debeat. Cõsortiũ à sorte dictũ est, sunt enim cõiuges eiusdẽ sortis & cõditiõis. Vnde vxor mariti nõ tãtũ forũ, sed etiã eiꝰ cõditionẽ, q̃ vel ob deprauatos mores abiecta, vel ob virtutẽ ꝑeminẽtia & dignitate decorata existit, sequitur.

Quæ Adiacentia?

Triplex illud matrimonij bonũ, de q̃ legitur in c. omne itaq;, &, c. institutũ est, 27.q.2. fides scilicet, ꝓles, & sacramẽtũ. In fide attẽditur castitas, absti-

abstinẽtia à vagis libidinibus: ne quis thorũ alienũ q̃rat, ne cõiugi petenti debitũ recuſet, alter alterius diligẽtẽ curã habeat, eius ſalutẽ, quoad fieri poſsit, fideliter tueatur, res eius, bonam famam, & nomen defendat, & cuſtodiat. In prole attenditur, ne conceptus arte quadam impediatur, prolem in lucem æditam gratia habita Deo ſuſcipiatur, sãcti Baptiſmatis lauacro abluatur, diligenter, amanter, cautè, fideliter, & religiosè nutriatur, & omnibus Chriſtianis præceptis, doctrinis ſalutiferis, imbuatur, inſtituatur, honeſtè, modeſtè, & piè educetur. In Sacramento diuina & myſtica operatio, & indiuidua illa conſuetudo conſideratur: ne quis impiè contra coniugalem amorẽ, quid tentet, nec cogitatione quidẽ gratię diuinę reluctetur, nec ſperet vel deſideret cõiugij diuortium vel ſeparationem. Sed habeat perpetuum & conſtans in coniugali conſortio habitandi propoſitum, d.c. omne itaque, 27. q. 2. & Hoſtienſ. §. & quare, hoc tit. Adiacent etiam donatio propter nuptias & dos. Quæ abſq; matrimonio conſtitui non poſſunt, tot. tit. 1. infrà, de donat. inter vir. & vxo.

Quæ Pugnantia?

Mors alterutrius coniugum, infidelitas, impotentia naturalis, adulterium, fornicatio, ſtuprum, inceſtus, polygamia, error perſonæ, & cõditionis, ſiue ſtatus, votum præcedens, cognatio inter coniuges, ſiue ſit cognatio legalis ſiue ſpiritualis, ſiue carnalis, vis, metus, coactio, ordo clericalis, publicæ honeſtatis iuſtitia, contracta per priora ſpõſalia. Quæ omnia his verſibus per Hoſtienſ. in §. qualiter, eo. tit. notatis continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, iuncta retractant.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Matrimoninm est, viri mulierisque coniunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens, c.1.27.q.2.

Matrimonium non facit coitus sed voluntas, c.matrimonium, 27.quæst.2. & ideò non soluit illud separatio corporis, sed voluntatis, ideò qui dimittit coniugem suam & aliam non accepit, adhuc est marius: Nam etsi corpore separetur, tamen voluntate adhuc coniunctus est. Cùm ergo aliam acceperit, tunc eam plenè dimittit. Non ergo qui dimittit mechatur, sed qui aliam ducit, d.c.matrimonium, 27.quæst.2.&, c.omnis res, eod.

Omnis res per quascunque causas nascitur per easdem dissoluitur, c.omnis, 27.q.2.

Coniugalis pactio, non virginitatis defloratio, coniugium facit, c.cùm initiatur, &, c. sic quippe, 27. quæst.2.

Coniuges veriùs appellantur à prima desponsationis fide. Quamuis adhuc ignoretur inter eos coniugalis concubitus, c.coniuges, 27.quæst.2.&, c.coniunx, eod.

Publicæ honestatis iustitia impedit matrimonium inter sponsam & sponsi demortui fratrem contrahendum, l.licet Aegyptiorum, de nup.&, c.si quis, 27.q.2.

Sine vxoris licentia vir continere non potest, sed debitum vxori reddere tenetur, c.si tu, 27.q.2.

Raptus

Raptus est, illicitus coitus, à corrumpendo dictus: vnde qui raptu potitur, stupro fruitur, c. raptus, 27. q. 2.

Duobus modis dicitur fides, pactionis scilicet, & consensus. Fides pactionis est, quando aliquis promittit fidem alicui, quòd eam ducet, si permiserit ei rem secum habere, vel etiam pro consensu, cuius effectus est, vt non liceat resilire, si tamen aliam duxerit, pœnitentiam de fide mentita agere debeat. Fides autem consensus est, quando etsi non constringat manum, corde tamen & ore consentit ducere & mutuò se concedunt, vnus alij, & mutuò se suscipiunt. Cuius effectus est, vt si cum alia contractum matrimonium sequatur, eo resciſſo priori adherere teneatur, c. duobus, 27. quæst. 2.

Non tantùm coitus, verùm etiam ipse complexus, cõcubitus, confabulatio, osculatio, & coniacentium duorum fœda & turpis dormitio, virginem corrumpunt, c. nec aliqua, 27. quæst. 1.

In nuptijs conatus nihil operatur, nisi sequatur actus vel effectus. Vnde adolescens desponsatam sibi virginem per verba de futuro, si nitatur cognoscere, cùm per opportunitatem non potuerit, si postea cum alia per verba de præsenti contrahat, per secunda sponsalia de præsenti rescinduntur, priora de futuro, & valebit secundò contractum matrimonium, c. adolescens, extr. eod.

Sponsalia de præsenti non soluuntur per sequens matrimonium, etiam carnali copula consummatur, sed spõsalia de futuro etiam iurata soluuntur per sequentia, de præsenti, c. si inter virum, extr. eod.

Spon

Sponsalia de futuro transeunt in matrimonium per carnalem copulam subsecutam, c. is qui sedem, eod.

Matrimonia debent esse libera: vnde in eis promissio pœnæ non obligat, c. Gemma, eod.

Vtriusque contrahentium consensu dissoluuntur etiam sponsalia iurata de futuro, c. præterea, extr. eod.

Inter sponsam, & consanguineos sponsi, oritur impedimentum publicæ honestatis impediens & dirimens matrimonium inter eos contrahendum, c. sponsam, eo.

Qui præstito iuramento alicui fidem matrimonij contrahendi dedit, si non subest impedimentum, per censuram Ecclesiasticam contrahere compellitur, c. ex literis, extr. eod.

Si timetur inferri violentia puellæ, de cuius matrimonio agitur, debet iudex sibi prouidere & assignare locum tutum & honestum, donec causa legitimè terminetur, c. cùm locum, eod.

Matrimonium metu contractum, est ipso iure nullū, c. veniens, eod.

Vxor, etsi vir longissimo tempore abfuit, non tamen cum alio contrahere potest, nisi de eius morte certificata c. in præsentia, eod.

Qui meretricem de lupanari extraxit, & in vxorē duxit, rem gratam & acceptam Deo præstat. Quia inter opera charitatis non minimum est, errantem ab erroris sui semita reuocare, c. inter opera, eod.

Matrimonium metu contractum, licet non subsistat, cohabitione spontanea conualescit, & purgatur metus, per accommodationem consensus, c. ad id, extr. eod.

Mulier quæ negat se in matrimonium consensisse, non credi-

treditur, marito probante contrarium: secus si probet, se consensisse per metũ, qui potest cadere in cõstantem, c. cõsultationi, extr. eod.

Initiatur matrimonium sponsione, consensu ratificatur, & copula consummatur.

Procurator ad contrahendum matrimonium non potest substituere, nisi hoc habeat in mandatis, c. fin. de procura. in 6.

Etiam in delictis doli capacitas supplet ætatẽ, c. puerũ, extr. de delictis.

Si quod ago, non valet vt ago, valet vt valere potest, c. ànobis, extr. de despon. impub.

Nemo præsumitur eligere viam, per quam iudicia sua subuertantur, c. quinta vallis, extr. de iureiurando, c. cum ordinem, extr. de rescrip.

In re denominanda potiùs effectum attendimus, q̃modum, c. 1. §. 1. extr. de despon. impub.

Coactio difficiles solet exitus frequẽter habere, Abb. in c. requisiuit, ext. eod.

Affinitas superueniens dirimit sponsalia de futuro c. præterea, & ibidem Dd. extr. eod.

Manifestum plus in se continet, quàm fama, c. vestra, extr. de cohab. muli.

Cui damus actionem, ei multò magis damus exceptionem, c. quemadmodum, extr. de iureiur.

Ob fornicationem post sponsalia, etiam iuramento firmata commissum: potest quis licitè resilire: Quod enim coniunctos disiungit, hoc multò magis impedit disiungendos, c. fin. 32. q. vlt.

Error personæ & conditionis impedit matrimoniũ,

non

non autem qualitatis, & fortunæ, in prin. 29. quæst. 1.

Matrimonium non soluitur, altero coniugum fidelium in hæresim lapso, c. 1. 32. q. 7.

Filij nati ex matrimonio, cui obsistit publica honestatis iustitia, non succedunt patri scienter contrahenti, c. per venerabilem, extr. qui filij sint leg.

Circa impedimentum quod nõ est à iure diuino, sed humano potest Papa dispensare, c. proposuit, extr. de cõcess. præbend.

DE DESPONSATIONE impuberum.

Titulus II.

Continuatio.

IN sponsalibus & matrimonijs contrahendis certa, & præcipua quę sit consilij & intellectus capax, ætas desideratur. Igitur impubes licet sponsalia de futuro contrahat, sponsalia tamen de præsenti, vel matrimonium contrahere, non potest.

Ex quo iudicatur Pubertas?

Iure ciuili approbata est opinio eorum, qui ex annorum numero pubertatem iudicandam existimant, iuuenisq; idoneus nuptijs putatur, qui 14. annos impleuit, fœmella autem, quæ 12. citius enim fœmina ob natiui caloris & nutritiuæ potentiæ qualitatem pubescit & crescit: iure autem Canonico pubertas non ex annorum numero, sed habitudine corporis & generandi facultate iudicatur, siue pubertatis terminus iure ciuili statutus excedatur, siue non: Nam quandoq; cõtingit,

tingit, vt qui excesit 14. annos generandi potentiam non habeat, quandoq; autem, vt qui nondum attigit, generare posit. Hinc nõ inconuenienter antiquitùs fuit obseruatum, vt pubertatis probatio ex aspectu corporis circa pudica membra desumeretur. Quæ cùm lanuginem ducerẽt, & barbæ inferiores pungerent, impuberes iudicarentur: si verò barbę nondum essent productę vel mulier se deplumasset, & pilos sibi euulsisset, nisi semel peperisset, nuptijs minimè idonea cẽseretur. Hostiens. in §. & qualiter, probetur, hoc tit. sed hunc probationis modum Iustinianus, vt pudori & castitati repugnãtem è medio sustulit, l. indecorũ, C. quando tutor vel curat. esse desinit.

Quis dicitur Pubes?

Pubes dicitur, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & qui generandi facultatem habet, c. puberes, extr. eod.

Vnde dicitur Pubes?

Puberes (inquit) Isidorus, à pube sunt vocati, id est, à pudẽtia corporis nuncupati: quia hęc loca primo lanuginẽ ducunt, d. c. puberes, ext. eod.

Quæ Regulæ traduntur circa impuberum desponsationem?

Prima Regula. Si duo impuberes, quorũ malitia non supplet ætatem, & qui pubertati nõ sint proximi, vel etiam alter tãtùm sit impubes per verba de præsenti matrimonium contraxerint, talis contractus resoluitur sponsalia de futuro; & ex eo inducitur iustitia publicæ honestatis, secus, si pubertati sint proximi, vel vrgeat aliqua necessitas, vt si fiat pro bono

pa

pacis, his enim duobus casibus impuberes matrimonio iungi possunt, nec contractus matrimonij in sponsalia de futuro resoluitur, c. vbi non est, &, c. fin. extr. eod.

Secunda: matrimonium, vel sponsalia cõtracta ab infantibus & minoribus septennio, nullo modo subsistunt: nec tẽporis lapsu cõualescunt: nisi noua accesserit voluntas, c. duo pueri, ex. eo.

Tertia: impuberes sponsalia contrahentes ante pubertatem separari non debent, sed post pubertatem, si contradicant sponsalibus, separari possunt; nisi copula carnalis interuenerit, c. à nobis, extr. eod.

Quarta: si impubes contraxerit cum pubere, neuter resilire potest: sed tenetur pubes impuberem, donec ad pubertatem, vel legitimos annos perueniat, expectare: quo tunc non consentiente, iure sponsalia dissolui possunt, c. ac. cesit, &, c. de illis, extr. eod.

Quinta: si impubes cum pubere contraxerit, & pubes impuberem vsque ad pubertatis annos exspectauerit, qui nec tunc expresse sponsalibus contradicat, per censuram ecclesiasticam matrimonium perficere compellitur, Hostiens. §. quid iuris, ver. quòd si pubes, *hoc tit.* c. 1. extr. eod.

Quæ Forma Contradictionis?

Vt impubes, adueniente legitima ætate, corã Episcopo, misso dominico, seu Officiali, vel alio suo competenti iudice compareat, & declarato sponsaliorum habito tractatu se nunc non eius voluntatis esse indicet, seq; ab huiusmodi promissione facta, & data fide, absolui petat, Hostiens.

stiens. §. quid iuris, vers. sed coram quo, hoc tit. c. de illis, extr. eod. &, c. 1. ex de frig.

Quis Contradictionis Effectus?

Et rescisio contractus sponsaliorum, & extinctio publicæ honestatis per eadem sponsalia, inductæ, c. à nobis, extr. eod.

DE CLANDESTINA DESPONsatione.

Titulus III.

Continuatio.

SPõsalia, vel sunt publica, vel clandestina. De publicis, quę per verba de præsenti in præsentia quorundã testium, obseruatis debitis solẽnibus fiunt, superiore titulo dictum est, restat de clandestinis.

Quid sunt clandestina Sponsalia?

Clandestina sponsalia dicuntur, quæ, non adhibitis testibus, quibus probari possunt; vel non obseruatis debitis solennibus, vel non prę̃missa denũciatione, sunt contracta, glos. in c. cùm inhibitio, extr. eod.

Quot modis dicuntur sponsalia Clandestina?

Tribus modis. Primò: si spõsalia in prę̃sentia testium non sint contracta, sed clàm, & quodammodo furtiuè, c. 2. extr. eod. 2. Si fuerint solennia ad nuptias req̃sita, omissa, putà introductio in ecclesiam, publicatio, benedictio, &c. c. aliter, 30. quæst. 5. 3. Si contra statutum, vel consuetudinem, vel contra tenorem, c. fin. ext. eod. nuptiæ sint contractę. Vt si statutum esset in loco aliquo ne quis absque Principis consensu contraheret,

sanè clandestina dicentur sponsalia, non requisito Principe contracta . vel si quis consensum Principis vel Episcopi licentiam habeat: non tamen denunciet ei, cuius controuersiam timet, vel qui contradicere possit : vt si quis cum puella, absque consensu parentum, vel aliorum, qui impedimentum reuelare possunt, contrahat, c. fin. extr. eod. & ibi glos.

Quæ causa Efficiens?

Consensus contrahentium nuptijs contractis clàm & secretò adhibitus, c. 1. 27. quæst. 2.

Quod Subiectum?

Personę illę, quæ clàm sponsalia contrahunt.

Quod Obiectum?

Sunt verba de præsenti: quæ tamen per testes non possunt probari.

Quæ Forma?

Promissio, per verba de præsenti, siue hęc sub arrhatione, vel iuramento firmata sit, siue non sit, ita tamen, vt tantùm contrahentibus ea constet, & aliàs nemini. quæ forma prędscribitur sponsalibus, quæ propriè clandestina dicuntur: siquidem forma aliorum clandestinorum ex omissiõe eius, quod adesse desiderabatur, desumitur, glos. in c. fin. extr. eod.

Qui Effectus?

1. Quòd sponsalia clandestina contra tenorem c. fin. extr. eod. contracta, dissoluuntur, & parochialis sacerdos, vel quilibet etiam regularis, qui tales coniunctiones prohibere contemnit, sed eisdem interesse præsumit, per triénium su-

fuſpenditur, grauiusq; punitur, ſi culpę qualitas poſtulauerit, d.c.fin.extr.eod. Statutum enim in Concilio generali per Innocentium III. eſt, vt clandeſtina matrimonia pœnitùs inhibeantur, & ne quis ſacerdos eis intereſſe præſumat: ac cũ matrimonia fuerint cõtrahenda, in eccleſijs per presbiteros publicè proponãtur, cõpetẽti termino pręfinito, vt infra illum, qui voluerit, aut potuerit, legitimum impedimentum opponat; & ipſi presbyteri nihilominus inueſtigent, vtrùm aliquod impedimentum obſiſtat? Et cùm apparuerit probabilis coniectura contra copulã contrahendam, cõtractus interdicatur expreſsè: donec, quid fieri debeat, ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis. ſic loquitur tex. in c. fin. extr. eod. 2. Quòd liberi, ex huiuſmodi nuptijs clandeſtinis & interdictis procreati, ſint illegitimi: nec ipſos parentum ignorãtia excuſare & defendere poteſt. Cùm ſic contrahentes, vel non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ, videantur, d.c.fi.§.ſi qs verò, ext.eo. Licet alioq;, ſi ignorantes vterq;, vel vnus tantùm ignoret in faciem, Eccleſiæ contraxerint ante diuortij ſentẽtiam pronunciatam prognati, & legitimi habeãtur: et in bona paterna hęreditario iure ſuccedãt, c.cùm inter, ex. qui filij ſint legitimi, c.ex tenore, ex.eo. ſecus ſi ſciuerint ambo, & in conſpectu eccleſiæ contraxerint: hoc enim caſu parentes ſceleris patrati rei, filios ex tali matrimonio legitimos non procreabunt, d.c.fin.§.ſi verò, extr, eo. 3. Si ſponſalia publica fuerint contracta, & clandeſtina, etſi clãdeſtina pcedant, nec probari poſſint, tamen publica in foro iudiciali prefertur.

Hostiens. in §. vtrũ clandestina, eo. tit. 4. Quòd, lite super clandestino matrimonio mota, viro incumbat probatio, c. 1. extr. eod. Nec iuramentum in defectum probationis deferatur. Distingue tamen. Aut quæritur de necessario: Et hoc iudex non potest, etiamsi semiplenè probatum sit, deferre: nisi semiplenæ probationi accesserit aliqua fortis præsumptio; Panor. in c. mulieri, extr. de iureiur. Quia causæ matrimoniales comparantur causis criminalibus, & arduis, in quibus in supplementum, vel defectum probationum, non facilè defertur iuramentum necessarium. Aut quæritur de iuramento iudiciali & voluntario, quod pars parti in iudicio, vel extra iudicium, defert: & tunc affirmãti matrimonium esse cõtractum, defertur iuramentũ & præstitum valet. Quia aduersa pars iurantem causæ vltrò constituit iudicem, præsumiturq; velle iuranti coniungi. Cùm igitur consensus faciat nuptias, post pręstitũ iuramentũ, vtriusq; consensu constitutum videtur matrimonium. Aut neganti matrimonium cõtractum defertur iuramentum: & delatio non admittitur. Quia matrimonium temerè non est dissoluendum. Et quia sententię causarum matrimonialium nunquam transeunt in rem iudicatam, quin comperta veritate possint retractari, c. lator, extr. de sent. & re iud. Aduerte tamen, quòd si aliqua suspicio vel præsumptio subsit, Actore non probãte iuramentum purgationis neganti esse deferẽdum: sin autẽ nulla præsumptio apparuerit pro Actore, Reum absoluendum. ita distinguit Abb. in c. 2. extr. de cland. desponsat.

Qua

Quæ Pugnantia?

Constitutiones Pontificiæ, quæ clandestinas coniunctiones vetant, c. fin. extr. eod. consensus parentum vel eorum, qui contradicere possunt, publica sponsalia. Et omnia solennia ad publica sponsalia requisita.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quod à principio non valet, non potest tractu temporis convalescere, c. quod sicut, extr. de elect.

Paria sunt, scire impedimentum, & scire posse, c. fin. extr. eod

Matrimonia secundo loco publicè contracta præiudicant clandestinis in foro iudiciali, c. 2. eod.

Proles ex interdictis clandestinis nuptijs natæ illegitimæ sunt: nec subsidium ex parentum ignorantia habere possunt, d. c. fin. extr. eod.

Proles illegitimæ censentur, si vterque parentum legitimum impedimentum scientes, præter omne interdictum, etiam in conspectu ecclesiæ contrahere præsumūt, d. c. fin. extr. eod.

Post mortem nemo accusari potest, c. admonere, 33. quæst 2.

Nemo contra conscientiam suam venire debet, c. fin. extr. de præscrip.

Si quis clàm desponsauerit aliquam, & mulier, vel vir negat huiusmodi desponsationem, viro incumbit probatio, c. si quis, extr. eod.

DE SPONSA DVORVM.

Titulus IIII.

POlygamia, quæ non vnius, sed plurium vxorum promiscuus vsus dicitur, cũ matrimonio pugnat: nec nostris temporibus; licet à primis patribus non omninò absq; vitio, vsurpata fuerit, conceditur. Quæ igitur duobus per verba de præsenti nubit, non posteriori, sed priori adhærere debet: nisi cum primo sponsalia de futuro, & cum secundo, sponsalia de præsenti contraxerit. Tunc enim non primo, sed secundo adhærebit. Quia, sicuti sponsalia de præsenti, sponsalia de futuro, soluunt: ita etiam spõsalibus postea de præsenti contractis præferuntur: intantũ vt si post sponsalia de præsenti matrimonium esset contractũ, & copula carnali consummatũ, firmatuḿq; iurisiurandi religione, ipsum dissolueretur. Et fœmina à fide recedens, seq; alij jũgés ecclesiastica districtione ad primum redire compelleretur. Quod quidem Alexander III. contra antiquitùs iudicatum introduxit, in c. licet præter, ext. de spon. duorum. Item statuitur in adolescente, qui duas per verba de præsenti, sibi despõsat, tenetur enim primam desponsatam in vxorem habere, & si priùs secundam cognouerit, c. tuas dudum, extr. eod. Quòd si verò sponsalia contracta negentur, moueatuŕq; super hoc in iudicio controuersia, lite pendente, matrimoniũ ex interdicto contrahi non debet, aliàs cõtracti matrimonij rescissio cum infamia contrahentis permittitur, c. tua fraternitas, ext. eod. & glos. in l. eũ qui duas, C. ad l. Iuliam, de adul. & stupro.

DE

DE CONDITIONIBVS APPOsitis in desponsatione, vel in alijs contractibus.

Titulus V.

Continuatio.

SVprà notatum est, sponsalia vel purè, vel conditionis adiectione contrahi. Quæ igitur cõditiones sint, & quid in spõsalibus, quibus apponuntur, operentur? hoc titulo traditur.

Quæ dicuntur sponsalia Conditionalia?

Quibus voluntate contrahentium adiecta est conditio ad differendum, firmandum, vel infirmandum matrimonium, c. super eo, extr. eodem.

Quotuplex Conditio quæ sponsalibus adijci solet?

Glos. in c. fin. ext. eod. & Hostiens. in §. quæ cõditio quadruplicem afferunt: 1. Honesta & possibilis. Et hæc rursus vel voluntaria, vel necessaria. 2. Inhonesta & posibilis. 3. Honesta & impossibilis. 4. Inhonesta & impossibilis.

Quid est honesta & possibilis Conditio voluntaria?

Est, quæ ex voluntate contrahentium proficiscitur, nec contra matrimonij consensum, vel aliquid turpitudinis, vel impossibilitatis, in se cõtinet: imò suspendit consensum, donec conditio existat, vel non est, nisi existat. Vt: si placuerit parentibus tuis, ducam te in vxorem.

Quæ dicitur poßibilis & honeſta Conditio neceſſaria?

Quæ neceſſariò ad ipſum requiritur: ita, vt ſi non adijciatur, cõtractus reddatur nullus. Vt: contraho tecum, ſi facta fueris Chriſtiana, c. non oportet, 28. quæſt. 1.

Quid eſt Conditio inhoneſta & poßibilis?

Eſt, quæ manifeſtam in ſe habet turpitudinem, nec obſtat implendi eam aliqua difficultas vel impoſsibilitas. Et hæc eſt aut cõtra matrimonij ſubſtantiam. Vt: contraho tecum, ſi prolem vitaueris: ſi te adulterãdam tradideris: ſi meliorem non potero inuenire, c. aliquando, 32. q. 2. Aut non eſt contra ſubſtantiam matrimonij. Vt: contraho tecum, ſi hominẽ interfeceris: aut furtum, vel rapinam, commiſeris, c. fin. ext. eod.

Quid eſt Conditio honeſta & impoßibilis?

Conditio honeſta & impoſsibilis eſt, quæ nulla vitiatur turpitudine, ſed talis eſt quæ, obſtante impoſsibilitate, nullo modo impleri poteſt. Vt: duco te in vxorem, ſi cœlum digito tetigeris: ſi mare exhauſeris: ſi imperium mihi dederis, c. 1. extr. eod.

Quid eſt inhoneſta & impoßibilis?

Quæ, ſicuti multum turpitudinis in ſe habet, ita nullo modo impleri poteſt. Vt: duco te in vxorem, ſi hodiè in Hiſpania & Gallia populo publicè concionata fueris, arg. c. noua quædam, extr. de pœniten.

Quæ cauſa Efficiens?

Conſenſus contrahentium ad ſuſpendendum,

dum, impediendum, vel non impediendum matrimonium.

Quod Subiectum?

Personæ contrahentes & adijcientes contractui conditionem talem.

Quod Obiectum

Verba de præsenti: quorum effectus, cõditionis adiectione, suspenditur, vt in vim verborũ de futuro efficientium sponsalia de futuro valere videantur, Panor. in c. per tuas, extr. de cõd. appos.

Quæ Forma?

Formam contrahendi adiectæ cõditionis qualitas variat: fiunt enim sponsalia conditionalia plerunq; per verba de præsenti, adiecta conditione vna, ex quadruplici conditionum genere prænotato.

Quis Finis & Effectus?

1. Conditio honesta & possibilis adiecta, suspendit contractum matrimonium, ita, vt non teneatur ante conditionis euentum ipsum cõsummare, c. super eo, extr. eod. 2. Conditio honesta, vel possibilis, si existat firmatur cõtractus: quòd si non existat, dissoluitur, c. de illis, ext. eo. 3. Si ante euentum conditionis honestæ & possibilis appositæ, carnalis copula intercedat, purum matrimonium efficitur: Et eoipso à conditione recessum videtur, c. per tuas, &, c. de illis, extr. eod. 4. Sponsalia sub honesta & possibili conditione contracta rationem sponsaliorũ de futuro habent: ergo facultas pœnitendi permittitur, Panor. in c. per tuas, extr. eod. 5. Sponsa-

lia sub honesta & possibili conditione, contracta inducunt publicę honestatis iustitiam, impedientem inter sponsam & consanguineos spōsi, vel inter sponsum, & consanguineos sponsæ matrimonium contrahēdum, c. sponsam alterius, extr. de sponsa. 6. Conditio inhonesta & possibilis, quæ est contra matrimonij substantiā dissoluit sponsalia: ita, vt nec post secutam copulā carnalem confirmentur. Quia hic nullus est consensus, nec matrimonium, vt c. solet, &, c. aliquādo, 34. quæst. 2. &, c. fin. extr. eod. secus est, si non sit contra substantiam matrimonij: tunc enim, pro non adiecta, habetur: & ideò tenet matrimonium, c. 1. &, c. fin. extr. eod. Nec obstat, si dicatur inhonestam conditionem esse impossibilem, c. faciant, 20. quæst. 2. Impossibilem autem conditionem vitiare contractum, l. impossibilis, ff. de verborum obligat. Hoc enim specialiter & fauore matrimonij introductum est, vt ipsum sub inhonesta & possibili, vel impossibili conditione contractum teneant, & conditio pro nō scripta habeatur, Hostiens. in §. quæ conditio: hoc titulo. 7. Conditio honesta & impossibilis non vitiat sponsalia, sed fauore matrimonij, pro non adiecta, habetur, c. si conditiones, extr. eod. 8. Conditio inhonesta & impossibilis, etiam fauore matrimonij, habetur pro non adiecta: Nam ipsa conditio frangitur, & matrimonium firmatur, c. 1. &, c. fin. extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Sponsalia pura, turpitudo, impossibilitas. Quia sponsalia sub cōditione inhonesta vel impossibili

possibili contracta cùm conditio non adesse videatur, pura sunt, copula carnalis, superueniens sponsalia de præsenti, dissensus vtriusq; contrahentium, fornicatio carnalis, vel spiritualis superueniens affinitas, quæ nuptias impediat.

AXIOMATA.

Si in contractu matrimonij adijcitur conditio turpis, vel impossibilis, habetur pro non adiecta, nisi sit contra substantiam matrimonij. Quia tunc vitiat contractum, c. si conditiones, extr. eod

Qui sub honesta conditione sponsalia contrahit, & ante conditionis euentum desponsatam cognoscit, à conditione recedit, & matrimonium pure contraxisse intelligitur, c. per tuas, extr. eod.

Contrahens matrimonium, sub conditione possibili et honesta, ante conditionis euentum non tenetur matrimonium consummare: imò pœnitere potest, & ad alias nuptias conuolare, c. super eod. Panor. in c, per tuas. extr. eod.

Conditio non improbata suspendit contractum, c. de illis, extr. eod.

Defectus turpis conditionis nõ vitiat contractum, sed ipsa vitiatur & censetur matrimonium nulla adiecta cõditione, contractum, c. 1. extr. eod.

QVI CLERICI VEL VOVENtes matrimonium contrahere possunt.

Titulus VI.

ILlis clericis matrimonium contrahere licitum est, qui in minoribus Ordinibus sunt, c. si quis, distinctione 32. Non autem, qui in sacris

sacris sunt constituti, c. erubescebãt. Sacer enim ordo nuptijs impedimento esse dicitur, dist. 32. Vnde in Concilio Carthaginensi, statutum est, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, abstinere debere ab vxoribus: quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico officio remouendos esse: Cæteros verò Clericos, ad hoc nõ cogi, sed secundùm vniuscuiusq; ecclesiæ consuetudinem, obseruari debere, c. placuit, dist. 32. Diaconi tamen quicunq;, quum ordinarẽtur protestati fuerint, de non seruanda continentia, si duxerint vxores, ab ijs non sunt separandi: quia præsumpta licentia Episcopi videntur contrahere permissi, c. diaconi, 28. dist. Quòd si, nulla præmissa protestatione, votum cõtinentiæ fecerint, & postea duxerint, contracto matrimonio licitè vti possunt: si à ministerio cessare voluerint. Nam etsi in Ordinatione sua castitatis votum obtulerint tamen tanta vis in sacramento coniugij est, quòd nec ex violatione voti ipsum coniugium dissolui possit, c. diaconus, §. si verò diaconus, dist. 27.

Vouentium, secundùm Calixtum Papam, in c. presbyteris, §. hic distinguendum, dist. 27. quidam sunt simpliciter vouentes, qui contrahere quidem prohibentur, sed priùs contracto matrimonio adhærere tenentur. Quidam, qui solenne votum fecerunt: & illi nullo cõtracto matrimonio obstringuntur. Quia votum simplex tantùm impedit cõtrahendum matrimonium. votum autem solenne, quod fit per Ordinis susceptionem, professionem, & habitus susceptionem, non tantùm contrahendum impedit, verùm

verùm etiam contractum dirimit, c. rursus, ext. eodem. &, c. meminimus, &, c. insinuante, extr. eod.

DE EO, QVI DVXIT IN MATRIMONIUM, quam polluit per adulterium.

Titulus VII.

SIcuti sacer ordo, & emissum votum, ita pollutio thori, vel eius mulieris, quæ sciens adulteri vxorem in viuis esse, prostituta omni pudicitia, se ipsi exponit nuptijs contractis, vel posteà contrahendis, impedimẽto est, circa hũc titulum collige regulas:

Prima. Si maritus, viuente vxore, contrahit cum secunda, quæ scit, primam vxorem esse superstitẽ, prima demortua, matrimonium consummari non permittitur. Et si consummatũ & libeti procreati sint, tamen rescinditur, et si contrahentes longo tempore cohabitauerint, c. ex literarum, &, c, cùm haberet, extr. eod.

Secunda. Si maritus, viuente prima vxore, rem habeat cum alia, quæ in mortem primæ vxoris machinatæ sit, siue superstite sua vxore fidem de matrimonio post mortem contrahendo illi dederit, siue non, tamen consortium prohibetur, c. super hoc, eod.

Tertia. Si quis, mortua vxore, contrahit cũ ea, quam viuente vxore, nulla data ei fide de matrimonio contrahendo, cognouit: nec alteruter in mortem defunctæ vxoris fuerit machinatus, tenet matrimonium inter illos contractum, c. significasti, extr. eod.

Quarta

Quarta. Si quis, vxore viuente, fide data promiſit, aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit, ſi neq; ante, nec poſt, legitima eius ſuperſtite, cognouit eandem: quamuis vtriq; ipſorum pro eo, quòd in hoc grauiter deliquerint, ſit pœnitentia iniungenda, non eſt tamen matrimonium, quod cũ eo contraxit poſt vxoris obitum dirimendum, c. ſi quis, ext. eod.

Quinta. Maritus aliam ducens vxorem, quæ ignorat ipſum alij vxori matrimonio eſſe alligatum, mortua prima, nouo conſenſu interueniente, ſecundam habere, vel, ad eam redire, tenetur, c. veniens, &, c. propoſitum, extr. eod.

DE CONIVGIO LEPROſorum.

Titulus VIII.

LEpra reſcindit ſponſalia de futuro: Nõ autẽ matrimoniũ contractũ. ita, vt ſi ſpõſus vel ſponſa lepra inficiatur, alteruter, qui tali morbi vitio nõ laborat ad perficiẽdũ matrimonium non cõpellatur, ſed liberè cum alio contrahere poſsit, c. literas, extr. eodem. Coniuges verò, cùm alter alterius miſeriæ obtingentis debeat eſſe particeps, ob lepram, qua alteruter inficitur, nullo modo ſeparari, ſed ſibiinuicem cohabitare & ſe coniugali affectione tractare debẽt. Quòd ſi aũt ſanus morbi contagionẽ reformidando coniugale debitum præſtare detrectet, ad obſeruantiam perpetuæ continentiæ, excommunicationis cenſura cõpellitur, c. peruenit, extr. eodem. Nec lepra matrimonio contrahendo prorſus impedimento eſt. Quocirca

poteris

poterit leprosus aliquam, quæ sibi nubere velit, in matrimonium iungere, c. quoniam, extr. eod.

DE CONIVGIO SERVORVM.

Titulus IX.

ERror conditionis impedit matrimonium ab initio. Est enim error quadruplex: scilicet, personæ, conditionis, fortunæ & qualitatis. Error personę est; cùm puto esse Paulum, & sit Petrus. Conditionis, cùm is, qui seruus est, liber creditur. Fortunę; cùm putatur diues, qui est pauper. Qualitatis; cùm bonus existimatur, qui est malus. Duo posteriores errores matrimonia nec impediunt nec rescindunt. Qui enim egentem virginem ducit, cùm eam ditissimam putaret, vel eam puellam, quæ florem virginitatis amisit, vel meretricem pro virgine incorrupta matrimonio sibi iungit, resilire non poterit, §. 1. 29. quæst. 1. Quinimò facti meritum habebit, qui publicam meretricem, de lupanari extraxerit, & in vxorem duxerit. Inter opera enim charitatis non minimum est, errantem ab erroris sui semita reuocare, c. interopera, extr. de sponsa. & matrimon. Quòd si autem circa personam, vel personæ conditionem erretur, scilicet putatur Petrus, & sit Paulus, vel creditur liber & sit seruus, cum quo cõtrahitur, matrimonium iure non subsistit: nisi postea conditione cognita copulę carnalis intercedat, c. proposuit, extr. eod. Ratio est. Non quia ad nuptias contrahendas libertas requiritur: hoc enim tantùm iure ciuili procedit. Non autem iure Canonico, quo in nuptijs contrahendis nullam esse

esse personarum differentiam faciendam statuitur: sed quia ob talem errorem nullus consensus contrahendi matrimonij interueniisse fauore libertatis præsumitur, c. fin. extr. eo. & per tot. 29. quæst. 1.

DE NATIS EX LIBERO ventre.

Titulus X.

CAusa ingenuitatis est, natiuitas. Partus enim quò ad libertatem, sequitur ventrem, & conditionem matris. Nec hoc absq; causa. mater enim pluribus tẽporibus in cõsequenda libertate partui prodesse poterit: tempore videlicet, conceptionis, gestionis & partus. Quocunq; horum temporum mater libera est, partus nascitur liber, in tantùm vt etiam spurius liberâ matre natus libertatẽ consequatur. Quia, vt ait, Marcianus, l. & seruorũ, ff. de statu hominũ, Nõ interest iustis nuptijs conceperit, an vulgò: matris enim calamitas non debet nocere ei, qui in ventre est. Quòd si aliud obseruatum consuetudine sit, nulla habetur ratio vẽtris, sed natus ex libero & ancilla conditionem patris sequitur, c. licet, extr. de coniug. ser: Sicuti etiam quò ad honores & dignitates patris conditio partui proficit, &c. l. liberi, ff. de senato.

DE COGNATIONE SPIRItuali.

Titulus XI.

Continuatio.

COgnatio quoq; nuptijs contrahendis impedimentum præstat, dirimitq; contractas.

Quoiu-

Quotuplex Cognatio?

Triplex: ſpiritualis, legalis, & naturalis.

Quid eſt Spiritualis?

Spiritualis cognatio eſt, attinentia quædam, proueniens ex Sacramenti collatione, vel ad Sacramentum detentione, gloſ. in c. 1. de cognat. ſpirituali, in 6.

Quot ſunt ſpecies ſpiritualis Cognationis?

Sunt tres: compaternitas, paternitas, & fraternitas. compaternitas attẽditur inter ſuſcipientẽ ex Baptiſmo, parentes & baptizati, c. quod autẽ, 30. q. 4. &, c. 1. eod. tit. in 6. Paternitas contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, & inter ſuſcipientem vel patrinum, & ſuſceptum, d. c. 1. eod. in 6. Fraternitas contrahitur inter filios naturales patrini, & baptizatum, d. c. 1. in 6.

Quæ cauſa Efficiens ſpiritualis Cognationis?

Statuta Pontificum, per totum tit. extr. de cognat. ſpirituali, & eo. tit. in 6.

Quod Subiectum?

Omnes perſonæ, inter quas ſpiritualis cognatio cõtrahitur. cõtrahitur aũt, vt ait Bonifacius VIII. nedum inter baptizatũ & illum, qui eũ ſuſcepit de Baptiſmo ac inter eundem baptizatum & ſuſcipientis filios & vxorem ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem: Imò etiam inter ſuſcipientem, patremqúe baptizati, & matrem, c. 1. eod. tit. in 6.

Quod Obiectum?

Baptiſmus, ſuſceptio pueri, ex Baptiſmo, confirmatio, & Cathechiſmus. Dicitur autem hic cathechiſmus, illa inſtructio, quæ baptizandi a-

ctum præcedit, c. ante vigesimũ, dist. 4. de consec.

Quæ Forma inducendæ Cognationis spiritualis?

Est præstatio muneris baptizandi, suscipiendi, confirmandi & instruendi, iuxta Ecclesiæ ritus, ab ijs, quibus hoc cõmittitur, facta. Qui autem sit baptizandi suscipiendi, &c. modus? patet per totum, dist. 4. de consecrationibus.

Qui Effectus?

Primus. Quòd cognatio spiritualis per Baptismum, vel confirmationem, inducta inter illas personas, inter quas iuxta, c. 1. eod. tit. in 6. ipsa contracta esse dicitur. Non tantũ impediat matrimonium contrahendum, verùm etiam dirimat contractum, d. c. 1. eo. in 6. c. Martinus, extr. eod. c. veniens, &, c. tua nos, extr. eo. c. 1. 30. q. 1. &, c. 1. &, c. si quis vnus, 30. q. 4. c. ita diligere, 30. q. 3. &, c. si quis, cùm mane, 33. q. 2.

Secundus. Quòd cognatio spiritualis, per Cathechismum contracta, non rescindat matrimonium contractum, sed impediat tantùm contrahendum, c. contracto, extr. eod. &, c. 2. eod. in 6. Qui tamen effectus tunc locum sibi vendicant, cùm consuetudo absq; Ecclesiæ scandalo in contrariũ nõ sit obseruata: vbi enim loci consuetudo fuerit, vt nuptiæ inter spirituali cognatione sibi deuinctos in Ecclesia permittãtur, matrimonium legitimè contractum ob hoc temerè non erit turbandũ, vel rescindendũ, c. 1. §. nisi cõsuetudo, c. super eo, §. verũ si de cõsuetudine, ex. eo.

DE COGNATIONE LEGALI.

Titulus XII.

Cognatio legalis nuptias quoq; inter eas personas,

sonas, inter quas ea consistit, impedit.

Quid est Cognatio legalis?

Legalis cognatio hic intelligitur, quæ per adoptionem lege ciuili forma eius considerata introductam contrahitur, c. vnico, ext. eod.

Quid est Adoptio?

Adoptio est, legitimus actus, quo aliquis adsciscitur in filiũ, qui naturaliter illius filius non est, Castrens. in l. filio, ff. de lib. & posth.

Quotuplex Adoptio?

Duplex adoptio: specifica, & arrogatio.

Quid est Adoptio specifica?

Est actus legitimus, quo filius familiàs cũ cõsensu patris sui naturalis, ab auo materno, vel extraneo, coram Ordinario iudice, vel magistratu, in filium cooptatur.

Quid est Arrogatio?

Est actus legitimus, quo is, qui sui iuris est, cũ authoritate Principis, & causæ cognitione, in filium recipitur.

Quæ causa Efficiens?

Ius gentium, quò ad originẽ. Quia apud varias gentes, antiquissimis etiam temporibus, adoptionum genera fuerunt vsurpata: ius tamen ciuile nonnihil adoptionum formæ addidit.

Quod Subiectum?

Persona adoptantis filium, siue sit extranea, siue sanguinis necessitudine adoptato iuncta.

Quod Obiectum?

Persona, quæ per adoptionem, legitimo modo in filium recipitur.

Quæ Forma?

Si filiusfamilàs adoptatur, vt is in potestatè patris sui naturalis, vel aui paterni constitutus, cum illorum consensu coram iudice Ordinario, ab eo qui 18. annis adoptandum ætatè excedit, & naturaliter ad generandum potens est, adoptetur. Si verò quis sui iuris arrogetur: Vt per rescriptum Principis, & sufficienti causarũ cognitione, & cum consensu arrogandi arrogatio fiat, l. neq; absens, & l, si paterfamiliàs, ff. de adop.

Qui Effectus?

1. Quòd per illam cognationem inter ascendẽtes & descendentes acquiratur ius filij. Cuius vigore impediatur matrimonium contrahendũ, & rescindatur contractum; siue adhuc duret illud ius, siue emãcipatione, vel alio modo, sit solutum. Quod & in affinitate legali procedit, c. vnico, extr. eod. Hostien. in §. quãdo & qualiter, hoc tit. allegãs ad hoc l. adoptiuꝰ, ff. de ritu nup. & per tot. 30. q. 3. 2. Collateraliũ cognatio impedit matrimonium, & dirimit contractũ, durãte adoptione, sed ea soluta nõ dirimit, nec impedit iã cõtractũ d. c. vni, ext. eo. c. ita diligere, 30. q. 3. 3. Adoptatus ab auo paterno, vel materno, non tantùm in familiã, sed etiam potestatè trãsit adoptantis, ac, cessante patris naturalis iure, patri adoptiuo succedit: nisi rursus ante mortẽ adoptantis fuisset emãcipatus, l. cùm in adoptiuis, §. si verò, C. eod. tit. Quod secus est: si ab extraneo fuisset adoptio facta: tunc enim, cùm nõ in potestatem, sed in familiã tantùm transeat, excluſus in testamẽto à patre adoptiuo ordinato, non habet querelam inofficiosi, vel aliud iuris remedium,

dium,ad impugnandum vltima elogia, licet ei ab inteſtato decedenti, ſuccedat,d.l.cùm in adoptiuis,§.ſed ne articulum, C.de adop. Pari ratione,arrogatus, qui in arrogantis poteſtatem tranſit,patri arrogatori cum cæteris filijs , ab inteſtato æqualiter ſuccedit. Nec mirum,arrogans enim arrogati bona conſequitur, de quibus,ſi impubes arrogatus eſt,cautionem præſtare tenetur,ſe omnia illa bona arrogatione per emancipationem,vel mortem diſſolutam,reſtituturum. Ideò arrogatore demortuo arrogato omnia ſua bona ſunt reſtituenda. Et inſuper quarta pars bonorum arrogatoris, ſi conditum fuiſſet teſtamentum,in quo eſſet præteritus, intantùm,vt nec emancipatio facta ab onere præſtandi, quartam excuſet. niſi, ob legitimam cauſam,facta eſſet,l. ſi arrogator,ff.eod. 4.Adoptatus correctioni adoptantis ſubijcitur, teneturque eius perſonam reuereri:adeò,vt nec abſque venia à prætore petita, ipſum in ius vocare poſsit,tex.& gloſ.in l.adoptiuũ, ff.de in ius vocando.

DE EO, QVI COGNOVIT CONſanguineam vxoris ſuæ vel ſponſæ.

Titulus XIII.

Continuatio.

NAturalis cognatio intantùm nuptijs contrahendis impedimento eſt, vt eas inter cognatos contractas omnia iura execrentur,habeanturq; pro coniunctionibus &nuptijs illicitis.

Quæ dicuntur nuptiæ illicitæ?

Quæ ex vaga & deteſtanda libidine profectæ diuinis & humanis iuribus repugnant.

Quotuplices illicitæ Nuptiæ?

Triplices: nefariæ ſcilicet, inceſtæ, & inutiles.

Quid Nefariæ?

Nefariæ nuptiæ dicuntur: quæ in linea aſcendenti & deſcendenti, inter eas perſonas, quæ parentum & liberorum loco habentur, fiunt.

Quæ Inceſtæ?

Inceſtæ ſunt, quæ contrahuntur inter collaterales, primi vel ſecundi ordinis, in linea inæquali, vel inter affines in eiſdem gradibus conſtitutos, ab inceſtis, C. de inceſtis nup.

Quæ ſunt inutiles Nuptiæ?

Quæ, citra coniunctiones inter aſcendentes & deſcendentes vel collaterales proximiores, lege, vel canone vetante, contrahuntur. Quod variis modis cõtingit, vt ex ſupradictis colligi poteſt. Sunt enim nuptiæ inutiles ratione voti, erroris, cognationis ſpiritualis, legalis, vel naturalis ratione Ordinis incuſsi metus, infidelitatis, &c.

Quis Effectus?

Quòd illæ nuptiæ, nullo iure, ſubſiſtant: nec dos, nec donatio, propter nuptias, valeant: Nec liberi, ex huiuſmodi matrimonio, quod ex cauſa iuſta reſcindi poſsit, procreati ſint legitimi. Imò triplex pœna in ſcienter contrahentes nefarias & inceſtas nuptias, ſtatuta eſt: 1. Confiſcatio omnium bonorum; liberi enim ex huiuſmodi illicita coniunctione prognati paterna hæreditate

tate iudicantur indigni, c. coniunctiones, 35. q. 2. & 3. 2. Priuatio cinguli. i. dignitatis. 3. Exiliū: vel si vilis est persona, verberatio, glos. in ver. alias pœnas, §. penul. inst. de nupt. auth. incestas, & aut. ex complexu, C. de iniust. & in talibus nuptijs. Adde ex Innocentiana cōstitutione quartum penæ genus: Matrimonij scilicet vlteriùs contrahendi, & iuris exigendi debitum coniugale, priuatio. Ei enim, qui cum consanguinea vxoris suæ, vel aliàs incestum committit, facultas decæterò contrahendi matrimonij interdicitur: Nec poterit ab vxore postmodùm debitū coniugale petere, licet ei reddere teneatur exactus, c. ex literis, c. tuæ fraternitatis, &, c. 1. extr. eod.

Alter effectus est, affinitas: quæ etiam per illicitam coniunctionem, & incestum, contrahitur, toto tit. extr. de eo, qui cog. consang. vxo. Et hęc affinitas sponsalia de futuro & matrimonium contrahendum impedit: sed non dirimit contractum, si pars, cui delicti culpa imputari non potest, separari non velit. Affinitas enim cōtracta post matrimonium illi nocere nō debet, quę iniquitatis particeps vel sceleris rea non existit, c. veniens, c. discretionē, &, c. tuæ fraternitatis, extr. eo. Vxor igitur cuiꝰ cōsanguinea à proprio marito fuit cognita, diligenter monenda est, vt propter publicam honestatem, ex illegitima affinitate contractam, à commixtione viri abstineat. Quòd si fortè commonitioni parere recusans, & talis, fuerit, vt de ipsiꝰ lapsu timeatur, vir eius poterit, imò debebit ei soluere debitum coniugale, vt loquitur Innoc. in c. tuæ fraternita

tatis, extr. eo. Licet, sint qui inter affinitatis gradum proximum & remotum, distinguendũ putent, vt, d. c. discretionem, in fin. ext. eod.

DE CONSANGVINITATE, ET Affinitate.

Titulus XIIII.

Continuatio.

CAusa consanguinitatis, sunt nuptiæ licitæ, & matrimoniũ legitimu: sed affinitatis causa, sunt nuptiæ licitæ & illicitę. Quia quauis cõiunctione, siue cõiugali, siue formicaria, inducitur affinitas: vt dictũ est superiore titulo.

Quid est Consanguinitas?

Consanguinitas est, vinculum personarum ab eodẽ stipite descendentium, vel ascendentiũ carnali propagatione contractum. Et dicitur etiam generali nomine cognatio, quæ cognationem in specie per matrem, & agnitionem, per patrem, inductam, complectitur, l. non facilè, ff. de grad. affi. & consanguinitatis.

Vnde dicitur Consanguinitas?

Cõsanguinitas dicitur à con, & sanguine, quasi cõmunem habentes sanguinẽ: sicuti etiã cognati ab eo dici putantur, quòd quasi vnà communiterúe nati, vel ab eodẽ orti progenitiue sunt, d. l. non facilè, §. cognati, ff. de grad. affi. & consang.

Quotuplex Consanguinitas vel Cognatio?

Triplex iuxta linearum diuersitatem: parentum scilicet, liberorum, & transuersalium. Quæ diuisio non facilè absq; arbore consanguinitatis depicta intelligi poterit, iuxta illud:

Segnius

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subdita fidelibus.

c.inter memoratas,16.q.3.&,c. ad sedem,35. q.5. Operæ tamen pretium erit,hoc loco eam paucis declarare,

Quid est Arbor consanguinitatis?

Est dilucida quædam demonstratio, qua personarum gradus,cognationis proximitas,& distantia,ob oculos ponuntur,Hostiens.in§.qualiter arbor,eod.tit.

Quotuplex Arbor?

Duplex,Ciuilis & Canonica. Ciuilis arbor ad leges Ciuiles pertinet, quæ proximitate graduũ obseruata,tutelas & successiones deferunt. Canonica verò propriè in generatiõe computãda, nuptijsq; permittendis, vel interdicendis: quarum decisiones, si controuersia existat, ex iure Canonico petenda est: vtimur, c. ad sedem, 35. quæst.5.

Quomodò Arbor Ciuilis & Canonica differant?

Differunt causa efficiente, causa formali, & causa finali. A causa efficiente differentia colligitur:quia ciuilis,lege ciuili introducta est: Canonica verò Decreto Synodi in Lateranẽsi consistorio habitæ,constituta & comprobata,c.ad sedem,§.nos verò,Deo annuente,35. q.5. 2. Causa formali.Licet enim iure Canonico, & Ciuili, inter ascendentes & descendentes, eodem modo numerentur gradus:vtrinq; enim singulę personæ singulis repræsentãt gradus, stipite dẽpto:

tamèn quò ad collaterales ius canonicum,& ius ciuile multùm discrepant: cùm in numeratione tum prohibitione graduum,lineæ æqualis.In arbore enim ciuili singulæ personæ, stipite dépto, singulos gradus constituunt: sed in canonica, duæ semper personæ lineæ æqualis,pro vno gradu numerantur:Et duo gradus legales, vnum canonicum constituunt.Fratres igitur, qui secundùm leges,in secundo gradu dicuntur esse,iuxta canones numerantur in primo gradu. Filij fratrum, qui illic numerantur in quarto: hic computantur in secundo. nepotes verò qui in sexto ibi, istic numerantur in tertio, c. ad sedem, §. nanque duæ,35.q.5.Et sic deinceps. Ratio diuersitatis ex diuerso vtriusque arboris fine percipitur: in legibus enim, vt inquit Alexander,ob nihil aliud ipsa graduum mentio facta est, nisi vt hæreditas, vel successio ab vna ad alteram personam, inter consanguineos deferatur: ergo iure ciuili secundùm personarum numerum cõputantur gradus, l.iurisconsultus, ff.de gradibus consang.& affin.In canonibus verò, ob hoc progenies computatur, vt apertè monstretur vsque ad quotam generationem, à consanguineorũ nuptijs sit abstinendũ.Cùm igitur nuptię fine duabus nõ valẽt fieri personis,ideòcanones duas in vno gradu personas constituerunt, d. c. cùm ad sedem, §. in legibus, 35. q.5. Denique à causa finali differentia sumitur: nam iure Pontificio arbor canonica præscribitur,vt ritè & canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur,vt testatur Alexander,in d.l.ad sedem,& suprà dixi.Arbor autem ciuilis, vt hæreditates, & tutelæ, & alia

alia propinquis, modo legitimo deferantur, & permittantur. Hinc ait Paulus iurisconsultus in libro singularis de gradibus affin. iurisconsultus cognatorum gradus & affinium nosse debet: quia legibus hæreditates & tutelæ, ad proximum quemque agnatum, redire consueuerunt. Sed & edicto prætorum proximo cuique cognato dat bonorum possessionem, præterea lege iudiciorum publicorum contra affines & adgnatos testimonium inuiti dicere non coguntur, l. iurisconsultus, ff. de gradibus affin. & consang.

Quæ in Arbore consanguinitatis considerantur?

Tria potissimùm: stipes, ordo, & gradus.

Quid Stipes?

Stipes hic intelligitur illa persona, à qua aliæ omnes personæ, de quarum cognatione & propinquitate quæritur, originem traxerunt, nec in computationem personarum ad constituendum gradum æqualis, vel inæqualis lineæ venit.

Quid Ordo?

Ordo est collectio personarum, ab eodem stipite descendentium, diuersos gradus continẽs, & numeros distinguens, Hostiens. in §. quid linea, hoc tit.

Ordo quotuplex?

Triplex, superiorum, inferiorum, & ex transuerso, siue à latere, teste Caio in l. 1. ff. de gradib. affin. & consang.

Quid

Quid ordo Superiorum?

Est collectio personarum, à quibus persona, de cuius cognatione quæstio est, descendit, d.l.1.

Quid est ordo Inferiorum?

Est, quo omnes inferiores: vt sunt liberi, quibus eidem parentes superiores principium generationis dederunt, continentur, d.l.1.

Quid est ordo Transuersalium?

Est collectio personarum, quæ directò sibi-inuicem generationis principiū nō dederūt: sed aliorsum deflectunt, licet ab eodē sanguine propagentur, l.iurisconsultus, ff.eod.

Quid est Gradus?

Gradus est habitudo distātium personarum, qua propinquitatis distātia inter personas duas vel diuersas, discernitur.

Vnde Gradus dicti?

Gradus dicti sunt à similitudine scalarum, locorúmve procliuium: quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum: id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus, l.iurisconsulti, §.gradus, ff.eod.

Quomodò consanguinitatis gradus numerantur? & quot sunt?

Gloriatur Alexander II. in c.ad sedem Apostolicam, 35.q.5. se in synodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc Episcopis, & clericis atque iudicibus diuersarum prouinciarum, errorem illorum, qui confisi legibus, quas Iusti-

Iustinianus Imperator, de successionibus cõsanguineorum promulgauit, veterem Ecclesiæ computationem graduum disturbare nituntur, sustuliſſe, certumq; dinumerationi graduum consanguinitatis modum dediſſe: cùm tamen nihilo magis dederit. ita enim confusè de gradibus disseritur in iure Canonico, vt legentis animus varietate & obscuritate materiæ turbatus, nusquam quiescere, vel intellectũ figere possit. Cui confusioni non parum adiumenti præstare videtur, varius dinumerandorum graduum modus. Alij namque patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alij primum gradum filios appellant, negantes cognationis gradũ inter patrem & filium esse: cùm pater & filius vna caro, vnaq; persona, iuris fictione censeantur, c. cõtradicimus, §. hac authoritate, 35. q. 2. & 3. Pari ratione in transuersali linea, sunt quidam, qui nõ à fratribus, sed à filijs eorum, id est, patruelibus vel consobrinis genealogiam numerare incipiunt, affirmantes filios patrum, in prima generatione computari debere. Cùm fratres quasi quidam truncus, ex quo cæteri ramusculi oriuntur, existant, d. c. ad sedem, §. sunt enim, 35. q. 5. Sed nec illam computationem Alexander à sua putat esse diuersam. Quasi, qui initia numerandi summa à filijs non progrediantur vltra sextam generationem: sed sicut totius mundi sex ætates existunt, & humanæ vitę itidem sex, ita & in consanguinitate sex tantummodo existiment computandas esse generationes. Quibus finitis, nouę coniunctionis (vt quasi fugientem possint reuocare consanguinitatem) fiat initium, d. c. ad sedẽ

§. sunt

§. sunt enim. Sed qui à patribus dinumerationē graduum incipiunt septimum generationis gradum adijciant, nec vltrò procedant: cùm vltra septimū quidem gradum, nec cōsanguinitas inueniatur, nec nomina graduum reperiantur, nec successio amplius prorogari, vel memoria vlterioris generatiōis, existere possit, d. c. ad sedem, §. illa quoq; 35. q. 5. Septem igitur gradus consanguinitatis ab Isidoro in c. primo gradu. 35. q. 5. & Paulo in l. Iurisconsultus, ff. eod. constituuntur, quorum quilibet certas personas ordinis, superiorum, inferiorum, & à latere complectitur. Quarum dinumerationem ibi vide & potissimùm Ant. contin. in li. 1. subseciuarum, qui depraua tam constitutionem Isidori, fideliter correxit, & à mendis repurgatam nitori restituit.

Quomodò Gradus computentur, vt discernatur personarum distantia?

Circa computationem graduum ad cognoscēdū, quoto gradu quælibet persona, ab alia in triplici cognationum ordine distet, tres regulæ traduntur. Quarum prior ad ordinem superiorum & inferiorum: reliquæ duæ, ad eos, qui à latere consistunt, referuntur. Prima Regula est. *In* ordine, seu linea ascendentium & descendentium: quot sunt personæ, tot sunt gradus, stipite dempto, à quo supputatio initium habet. persona enim addita personæ, ascendendo, vel descendendo, per carnis propagationem, addit gradū: sed non mutat genus. Atque hæc regula tàm iure canonico, quàm ciuili generalis est: quæ in linea ex transuerso quoque iure ciuili locum habet

bet:non autem iure canonico. Secunda. Si in ordine, ex transuerso, duæ sunt personæ æqualiter descendentes à communi stipite, quoto gradu distat altera earum à communi stipite, toto gradu inter se distant:licet & in eodẽ gradu esse dicantur,c.parentelæ,35.q.5.Tertia. Si duæ personæ non descendant æqualiter,sed vna sit à cõmuni stipite remotior altera, quoto gradu remotior distat à communi stipite, toto gradu à sequoque distant, c.vlt.extr. eod. Exemplum primæ regulæ est. A me ad abauum quinque personæ numerantur: scilicet,Ego,Pater, Auus, Proauus,Abauus.Hic igitur inter me & Abauũ, quatuor gradus recensentur. quia vna persona demitur.Exemplum secundæ regulæ. Consobrinus distat à communi stipite duobus gradibus, itidem patruelis duobus distat:quia tantùm sũt tres personæ:scilicet,nepos,filius,pater.Ergo cũ vtraque persona pari gradu distet à communi stipite: Eodem etiam gradu, id est, secundo à se distare intelliguntur. Exemplum tertiæ regulæ. Filius consobrini tertio gradu distat à communi stipite: quia quatuor personæ numerantur, patruelis secundo gradu, ergo filius consobrini & patruelis tertio gradu à se distant, &c. Quæ autem sit horum & aliorum verborum significatio?traditur in l.non facilè,ff.de gradibus affin.& consang.

Quæ est causa finalis Arboris canonicæ inductæ?

Vt manifestè monstretur vsque ad quotam gene-

generationem à cõsanguineorum nuptijs sit abstinendum, d.c.ad sedem, 35. q.5. nuptiæ autem inter ascendentes & descendentes, in infinitum sunt prohibitæ. Omnes enim hi, qui ordine superiori & inferiori continentur, rationem parẽtum & filiorum inter se habent. Vnde, si Adam viueret, nullam posset inuenire vxorem, quam sibi matrimonio iungeret: omnes enim ab ipso primo parente originem duximus, c.in copulatiõe, 35.q.2.& 3. Neq; contra hanc regulá, propter sanguinis reuerentiam admittitur dispensatio. Inter collaterales verò consanguineos, matrimonium vsque ad secundum gradum lineæ inæqualis secundùm computationem arboris canonicæ de iure diuino & iure ciuili prohibetur, Leuit. 18.& §.duorum, instit.de nuptijs. De iure aũt canonico olim vsq; ad septimum gradum, hodiè autem vsque ad quartum gradum inclusiuè interdicuntur nuptiæ, c. progeniem, c. de consanguinitate, 35.q.2.& 3.&, c. non debet, extr.eod.

Quæ causa Impulsiua huius prohibitionis?

Est propagatio charitatis, vt ait *Augustin.in lib.* de ciuitate Dei, 15.cap.16. Coniunctio maris & fœminæ, quod attinet ad genus humanum, quoddam charitatis seminarium est: vt homines, scilicet, quibus esset vtilis & honestissima concordia, diuersarum necessitudinum vinculis necterentur. Nec vnus in vno multas haberet necessitudines, sed singulæ diffunderentur in singulos, & sic ad consotiationem humanam, communicatione

tione officiorum ſtabiliendam à plurimis participaretur, c. cùm igitur, 35. quæſt. 1. Licet inter conſanguineos cauſa neceſsitatis vel vtilitatis, id eſt, bono pacis coniunctiones permittantur, c. quod autem, 35. q. 1.

Quid eſt Affinitas?

Affinitas eſt, perſonarum neceſsitudo, ex coitu proueniens, omni carens ſanguinis parẽtela. Quæ deſcriptio iure canonico, quo quilibet coitus affinitati cauſam dat, non autem iure ciuili procedit; eo enim iure affinitas per nuptias legitimas tantùm contrahitur. Vnde dicitur affinitas, quaſi finium vnitas. Duæ enim cognationes, quę diuerſæ inter ſe ſunt per nuptias copulãtur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, non facilè, §. affines, ff. de gradibus.

Quotuplex Affinitas?

Duplex: legitima & illegitima. Legitima dicitur, quæ per nuptias legitimas contrahitur, illegitima verò, quæ per coniunctionem carnis illicitam inducitur, toto tit. de eo qui cum cõſang. &c. c. nec eam, 35. q. 3.

Quæ in Affinitatis Arbore conſiderantur?

Potiſsimùm affinitatis genera: non enim habet ſtipitem vel gradus, ſicuti ipſa conſanguinitas, ſed ſecundùm conſanguinitatis gradus dinumeratio affinitatis iudicatur.

Quot ſunt Affinitatis genera?

Tria. Primum genus affinitatis eſt, quòd per primam carnis copulam, ſiue, mediante vna

persona, cõtrahitur. Regula enim est, quòd persona addita personæ, per carnis copulam, non gradum, sed genus attinentiæ mutet. Vnde versus: *Mutat nupta genus, sed generata gradus.* Exempli gratia. Ego & soror mea iungimur in primo gradu consanguinitatis, soror legitimè, vel illegitimè à Titio cognoscitur, & sic persona Titij additur per carnis copulam sorori meæ: hæc igitur carnis copula mutat genus attinentiæ, Quia alio genere attinet mihi soror mea, scilicet genere consanguinitatis: alio Titius, videlicet, genere affinitatis. Sed non mutat gradum. Quia eo gradu consanguinitatis, quo mihi iungitur soror, eodem affinitatis gradu, mihi iungitur Titius. Regula enim generalis est. Quoto consanguinitatis gradu mihi iungitur consanguinea mea, eodem affinitatis gradu hic, qui per carnalem copulam huic accedit, mihi attinet. Quia gradus inter affines numerantur, respectu consanguinitatis tantùm, vt, c. porrò, 55. q. 5.

Secundum genus affinitatis constituitur per personam primo generi additam, copula carnali interueniente, vtputà: pone, quòd Titius maritus fororis meæ, qui est mihi in primo genere, & gradu affinitatis, mortua sorore mea, contrahat cum Caia. Hæc Caia quondam Titio fororio meo per carnis copulam iuncta mutat genus. Quia cùm Titius attineret mihi primo genere, hæc nunc secundo genere affinitatis mihi attinet. Titio igitur demortuo, hanc in vxorem ducere possum. Quia tantùm primum genus affinitatis obstat nuptijs, non autem secundum

dum, vel tertium, &c. Tertium genus affinitatis est, quod per tertiam carnis copulam, siue, tribus personis mediantibus, contrahitur. Exempli gratia: pone in iam dicto exemplo, Titium mortuum esse, & Caiam alij, putà, Seio nubere. Hic Seius est mihi in tertio genere affinitatis. Quia persona personæ secundi generis per matrimonialem copulam adiecta, tertium gen. affinitatis constituit. Vnde hic Seius alteram meam sororem ducere potest. Quia tertium genus affinitatis quo ego & soror mea Seio iungimur, nuptijs impedimento non est.

Quot sunt Affinitatis ordines?

Sunt tres: ascendentium, descendentium, & collateralium; sicuti & de consanguinitate dictum est. Ascendentium affinium nomina sunt, veluti socer, socrus, id est, maritivel vxoris pater & mater: vitricus, id est, præsens maritus matris meæ, à quo ego tamen natus non sum: nouerca, id est, præsens patris meæ vxor, q̃ me non peperit. & sic in superioribus. Descendentiũ nomina sunt, veluti gener, id est, filiæ maritus, nurus, id est, filij vxor, priuignus vel priuigna, id est, vxoris vel mariti filius, vel filia, ex alio marito vel alia vxore suscepti, & vlteriores, &c. Collaterales affines sunt, q̃ vel marito vel vxori cõsanguinei sunt ex trãsuersa linea iuncti. Eorũ autẽ affinium, qui iustis nuptijs parantur. Specialia nomina hæc sunt: videlicet leuir, q̃ est frater, mariti, sororius, qui est vir sororis, glos, quæ est soror mariti, fratrissa, quæ est vxor fratris, q̃ & ipsa glos rectius dicitur. Ianitrices, seu Inate-

res, quæ sunt duorum fratrum vxores, c. quod autem, 35. q. 6. &, l. iurisconsultus, ff. eod. Alij autem specialia nomina non habent, sed illo consanguinitatis nomine ferè solent appellari: quo nomine vel gradu ab eo nuncupantur, cuius causa affinitatem contraxerunt: veluti qui vxori meę consobrinus vel patruelis est, is & mihi cõsobrinus vel frater patruelis appellabitur, & similibus.

Quæ est differentia inter Affinitatis genera & gradus?

Affinitas, vt suprà dixi, propriè gradus nõ habet, sed numerantur gradus ex gradibus consanguinitatis illius, à quo affinitatis causa vel origo trahitur. Genera autem non ex gradibus consanguinitatis, sed per carnis copulam inter consanguineum cognitæ, vel cognoscentis & extraneum, qui per carnis coniunctionem accedit, cõstituuntur, & ex personarum varietate, & accessione propter carnis immixtionem, interuenien te, variantur.

Quis Finis & Effectus?

Sicuti matrimonium inter consanguineos ascendentes & descendentes, ratione cõsanguinitatis in infinitum prohibitum est: ita etiam inter affines ascendentes & descendentes, cùm hi loco parentum & liberorum habeantur, perpetuò prohibetur, c. 1. extr. eod. &, l. non facilè, §. hoc itaque, ff. de gradibus, &c. vnde inter cõsanguineos vxoris meæ, quæ ei in recta linea sunt coniuncti & me, nuptiæ consistere non possunt, d. c. 1. extr. eod. & sicuti, de iure Canonico, inter con-

consanguineos transuersales vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiuè matrimonium prohibetur: ita quoque inter affines à latere in primo genere affinitatis, non autem in secũdo vel tertio genere affinitatis, quibus matrimoniũ permittitur nuptię sunt prohibitę. Olim autẽ inter illa genera distinguebatur. In primo enim genere prohibebantur, vsq; ad septimum gradum: sicut etiam consanguinitas, c. de affinitate, &, c. nullum, 35. q. 3. Secundi autem generis prohibitio erat vsque ad quartum gradum, c. de propinquis, 35. q. 3. Tertium deniq; genus prohibebatur, vsque ad secundum gradum, c. pro duorum. 35. q. 3. Quibus omnibus per Innocẽtianam constitutionem sublatis, hodiè primi generis affinitatis prohibitio, vsque ad quartum gradum, inclusiuè tantùm constituta, & vsu approbata est, c. non debet, extr. eod. siue affinitas per legitimas nuptias, siue per illicitum & vetitũ coitum contracta sit, c. ego dixi, 35. q. 3. c. discretionem, &, c. penul. extr. de eo qui cog. consang. vx. suæ, &, c. præterea, extr. de sponsalibus. Vnde filius coniugem patrui, vel patrui magni in vxorem ducens, vel quidam cum ea, cuius matrem antea illicita coniunctione cognouit matrimonium contrahens, incestas contrahit nuptias l. licet, C. de incest. nup. &, c. veniens, extr. de eo q cog. consang. vx. suæ vel sponsæ, &c. Affinitas autem quæ est inter consanguineos coniugũ trinque non impedit nuptias. Hinc est, q; pater & filius possint ducere matrem & filiam, & duo fratres matrem & filiam, seu duas sorores, c. quod super his, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quot sunt personæ, tot sunt gradus, una dempta.

Quoto gradu altera persona in linea æquali collateralium distat à communi stipite, toto gradu inter se distant.

Quoto gradu lineæ inæqualis collateralium remotior distat à stipite, toto gradu à se quoque distant personæ, Hostiens. in §. qualiter, vers. quot, & quæ sunt, hoc tit.

Persona, de qua quæritur, matrimonium contrahente ac consummante, oritur primum genus, & gradus affinitatis, iuxta gradus consanguinitatis inter virum & consanguineos vxoris, & inter vxorem & consanguineos viri, c. quod super his, extr. eod.

Quoto gradu consanguinitatis distat quis à consanguineo suo, vel consanguinea sua, toto gradu distat ab eius vxore, vel marito ipsius, c. de propinquis, 35. q. 3.

Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus & non gradum, c. fin. §. hac authoritate, 35. q. 3.

Persona addita personæ per carnis propagationem mutat gradum, & non genus, c. porrò, 35. q. 5.

Sicut de iure cononico inter consanguineos vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiuè matrimonium prohibetur: ita quoque inter affines, c. non debet, extr eod.

Sicuti matrimonium inter consanguineos ascendentes & descendentes, ratione consanguinitatis in infinitũ prohibitum est: ita etiam inter affines ascendentes & descẽdentes perpetua est cõiugij prohibitio, ratione affinitatis, c. extr. eod.

Affinitas

Affinitas superueniens, de qua saltem constat per famam, soluit sponsalia de futuro, c. super eo, eod.

Si dispensatur cum aliquo vt possit contrahere in certo gradu aliàs prohibito: requiritur, quòd vterq; cõtrahentium toto gradu distet à stipite, præsertim si hoc habet consuetudo, c quod dilectio, extr. eod.

Inter consanguineos vsq; ad 4. gradum nuptiæ, causa charitatis propagandæ, sunt prohibitæ: licet causa necessitatis permittantur quandoq;, c. 1. &, c. 2. 35. q. 1.

Copulatio maris & fœminæ, quod attinet ad genus humanum, quoddam seminarium est charitatis, c. cùm igitur, 35. q. 1.

Consanguineorum coniunctiones quamuis Euangelicis & Apostolicis præceptis non inueniantur prohibitæ, sunt tamen fugiendæ. Quia ecclesiasticis institutionibus inueniuntur terminatæ, c cùm igitur, 35. q. 1. in fine.

Non prohibetur ducere vxorem, qui ignoranter incestum committit, c. si quis, 35. q. 2. & 3.

Sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminatur, c. consanguinitas, 35. q. 4.

Præceptio Canonum à propria abstinere consanguinitate iubet, quandiu generatio recordatur aut memoria retinetur, c. ad sedem, & illa quoq;, 35. q. 5.

Quod legitur, patrem in causa filij, nec filium in causa patris in testes non esse recipiendos, in criminalibus causis & cõtractibus verum est: quia in matrimonio cõtrahendo, vel disiungendo ipsius coniugij prærogatiua, quia fauorabilis res est, rectè recipiuntur, c. videtur, in fine, 36. q. 6.

DE FRIGIDIS ET MALEFICIA-tis: Et de potentia coeundi.

Titulus XV.

Continuatio.

CAusa finalis matrimonij est, procreatio liberorum, & per eam humani generis propagatio, c. Deus, 31. q. 1. Cùm igitur impotens hunc finem non assequatur, ad matrimoniũ contrahendum, nõ admittitur. Quòd si de facto cõtraxerit, idipsum, ob coeundi impotentiam, rescinditur.

Quid est coeundi Impotentia?

Est vitium, natura ipsa nouercante, vel ex accidenti contractum, quo quis in procreandi munere, vel alteri carnaliter cõmisceri, impeditur, c. ex literis, extr. eod.

Quotuplex Impotentia coeundi?

Duplex: naturalis & accidẽtalis. Naturalis *vel* contingit ratione ętatis: vt est in impubere, quę, adueniente ætate, quãdo scilicet natiuæ qualitates, quæ immaturę, & nimia humiditate oppressę erant, calescere & vigere incipiunt, esse desinit, §. vnico, 30. q. 2. &, c. quod sedem, ext. eod. Aut cõtingit in adulto, ratione deprauatæ natiuæ qualitatis: vt, si vir, propter nimiam frigiditatem, fit naturaliter impotens: vel mulier ita arcta sit, vt virum pati non possit, toto tit. extr. eo. Nam nimia frigiditas in viro & arctatio in muliere: vt si pharetram ita habeat angustam & arctam, vt lanceam, seu sagittam viri non possit capere, (vt loquitur Speculator hoc tit. nu. 2.) prębet impotentiæ coeundi causam, tit. eod.

Quoti-

Quotuplex Accidentalis?

Duplex: violenta & occulta. Accidentalis violenta dicitur, quæ violenter infertur: vt si gladio, vel alio instrumento alicui sint virilia amputata. Occulta autem est, quæ ex maleficio, sine violentia, infertur, c. si per sorciarias, 33. q. 1.

Quis Finis & Effectus?

1. Impotētia naturalis in masculo adulto, quæ ob nimiam frigiditatem prouenit, non tantùm impedit matrimonium contrahendum, verùm etiam dirimit contractum, c. 1. &, c. 2. 33. quæst. 1. 2. Impotentia naturalis in muliere, quæ medicorum ope curari poterit, nuptijs impedimento non est: sed si adhibitis medicamentis iuuari nō possit: vel possit quidē, sed non absq; graui corporis periculo, & impedit contrahendum, & rescindit contractum, c. fraternitatis, §. hoc auē extr. eod. 3. Impotentia accidentalis violenta, præstat impedimentum, non tantùm contrahēdo, verùm etiam contracto, si matrimoniū præcesserit: sed si, durante matrimonio, contingat, non dirimit contractum. Nam ex quo semel cōsummatum est matrimoniū impedimēto posteà superueniente non facilè rescindi debet, c. qd̄ sedem, 32. q. 6. 4. Occulta accidentalis impotentia impediens matrimonij effectum, si perpetua fuerit & præcesserit matrimonium, cōtractum rescindit, & impedit contrahendum. Nō autem si consummato matrimonio alterutri coniugū acciderit, c. si per fornicarias, 33. q. 1.

Quis modus rescindendi Matrimonij?

Si impotentia acciderit violenter viro, & defectu vel abscisione membri virilis per inspe

ctionem expertorum virorum, quibus hoc muneris commissum fuit, vel alio modo constet, statim diuortium celebrari poterit. Quòd si autẽ acciderit mulieri, vocatis matronis fide dignis, & expertis, quæ si, facta inspectione, ipsam matrem fieri non posse, asserant: vel si opus fuerit inspectione repetita, si idem asserant, statim dirimetur matrimonium, c. fin. extr. eod. l. 1. ff. de ventre inspiciendo, Hostiens. §. qualiter, hoc tit. Si autem de vitio manifestè constare nõ possit, vel ipsum naturaliter, vel ex alterius maleficio prouenerit, triennij spacio cohabitare tenentur, quo elapso, si nec tũc cohabitare voluerint, & iuxta decret. Gregor. Mulier per iustum iudicium de viro probare potuerit, quòd cum eo coire nõ possit, resciſſo matrimonio alij nubat. Verùm, si ambo fateantur se inuicem non cognouisse, cũ septima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ, (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Euangelijs vterque iure iurando asserat, quòd nunquam per carnis copulam vna caro effecti fuissent: quo facto, mulier ad secundas nuptias conuolare poterit, c. laudabilem, &, c. fi. extr. eod.

Aduerte tamen, quæ de resciſsione matrimoniorũ dicta sunt, & procedant, si alter cõiugum ignorans vitij impotentiæ, quo alter laborat, cõtraxerit. Nam si habens exploratum vitium, nihilominùs ipsi matrimonio se iunxerit, vel, impotentia postmodum comperta simul morari consenserit, his casibus resciſsio facilè non permittetur. Cùm talem mulierem, etsi vxorem habere nõ posset vir, habeat tamen, vt sororem, c. lau-

c.laudabilem,ext.eod. exemplo huius,qui cum minore cõtraxit. Nam licet, sit obligatus ad exspectandum,c.de illis,ext. de sponsa.tamen si cũ alia contrahat subsistit matrimonium, tenetur tamen primæ sponsæ ratione celebrati contractus sponsaliorum, alimenta & alia necessaria præstare,Abb.in c.consultationi,ext.eo.&, c.laudabilem,ext.de diuor.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

Titulus XVI.

QVicquid contra interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tã diuinæ,quã humanæ legis proclamat authoritas,vt dicitur c.videtur,35.q.2. Igitur illi, qui ratione consanguinitatis coniũgi prohibentur,si postea contrà interdictũ Ecclesiæ cõtraxerint,tamdiù in pœnam contemptæ prohibitionis excommunicationi subijciendi & separandi sunt,quousq; consanguinitatis cõtrouersia dirimatur.Et,an matrimoniũ iure subsistere possit, legitimè cognoscatur,de muliere,ext.eo. Et hoc quidem verum,si iusta & legitima sit prohibitionis causa. Nam si nulla causa subsit, nulla etiã prohibitionis habetur ratio,c.cùm dilecti,extr. de accus.Vel si causa subsit,nõ tamen adeò iusta, vt dirimendo actui subsecuto sufficere debeat. Vnde,si ratione sponsaliorũ de futuro cõtractorum lis moueatur: etsi contra interdictũ Ecclesiæ,appellatione pendente, sequatur matrimoniũ de psenti contractũ,ipsũ tamẽ ob interdictũ Ecclesiæ,rescindi non debet, licet contemptori

in po-

in pœnam contempti mandati Ecclesiæ condigna pœnitentia sit imponenda, c. ex literis, ext. eod. Et hoc est, quod Specu. hoc tit. num. 1. dicit, interdictum Ecclesiæ non esse tantæ efficaciæ, vt matrimonium contra id contractum, si aliàs legitimum fuerit, rescindatur, c. 1. &, c. 2. extr. eod. Nisi impedimentum subesset perpetuũ, tunc enim separaretur, nõ tantùm ratione interdicti, quantùm ratione impedimenti. Et sic intelligit c. tua, extr. de sponsal. duorum, &, c. contradiximus, 35. q. 3. Nec obstat c. penul. extr. de sponsal. impub. Quia illa clausula irritum, &c. refertur ad ea, quæ in iudicio fiunt. Non ad matrimoniũ post contractum: ergo sine interdicto, tale matrimonium dissolui debet.

QVI FILII SINT LEGITIMI.

Titulus XVII.

Continuatio.

EFfectus matrimonij est, legitimatio sobolis, siue ante, siue post matrimonium procreatæ. Nam si quis ex ea persona, quam sola animi destinatione concubinam habebat, vel cum qua matrimonium consistere potest, liberos sustulerit, matrimonium postea secutum, liberis naturalibus tantùm legitimationem afferet.

Quid est Legitimatio?

Legitimatio est, actus legitimus, quo is, qui extra licitas nuptias ex concubitu duarum personarum solutarum, inter quas legitimum matrimonium consistere potest, procreatus est beneficium

neficium ius & nomen, legitimi filij assequitur.

Quæ causa Efficiens?

Est oblatio Curiæ voluntate patris, & filij factæ, rescriptum Principis, subsequens matrimonium, & testamenti ius, quo pater filios extra matrimonium procreatos, suos esse velit. præsumitur enim hocipso cum concubina domi suæ retenta, legitimis liberis non existentibus, contraxisse.

Quod Obiectum?

Est filius illegitimè natus, qui naturalibus restituitur: non quilibet, sed qui nascitur ex concubina, cum qua matrimonium consistere poterit, Manzeres enim Spurij vel Nothi, per subsequens matrimonium non legitimantur.

Dicitur autē Manzer, qui de scorto natus est. Nothus, qui ex adulterio. Spurius, qui quidem patrem nominare potest: sed ipsum ostendere, nephas est: vt sunt filij incestuosi, qui ex consanguinea, & filij presbyterorum. Vnde versus per Alber. de Rosa, notati, in tit. ff. de lib. natural.

Manzeribus scortum sed mecha nothis dedit ortum:
Vt seges à spica, sic spurius est ab amica.
Dant naturales, qui nobis sunt speciales.

Quæ quidem procedūt, si de alia legitimatione, quàm quæ per rescriptum Principis fit, intelgamus. possunt enim Imperator, vel Papa de plenitudine potestatis, non solùm naturales, sed etiam incestuosos, & huiusmodi generis liberos, ex illicito coitu natos, legitimare, l. qui in prouincia, §. 1. ff. de ritu nupt. & Bart. in l. 2. ff. de verb. obligat.

Quæ

Quæ Forma?

Forma consistit in vario legitimandi modo, eiusq; requisitis. Nam aut per oblationẽ curię legitimatio fit: aut per rescriptum principis: aut per subsequẽs matrimoniũ verè vel psumptiuè.

Quomodò per oblationem Curiæ fit Legimatio?

Cùm filius naturalis à patre adhuc viuente, vel animam agente, in testamento vel aliàs curiali ordini offertur: Vel cùm filius, patre demortuo, seipsum curiæ offert, vel filia naturalis curiali vel curialibus ciuitatis, ex qua oriundus est, vel sub qua vicus, vel possessio, vnde oritur, consistit, vel eius ciuitatis, quæ principatum totius prouinciæ tenet, matrimonio collocatur. Nihil enim interest, vt aiunt Theodos. & Valen. Imperatores, vtrùm per filios, an per generos cõmoditatibus ciuitatũ consulatur, & vtrùm lex faciat curiales an foueat, quos inuenit, l. 3. C. de naturalibus liberis, &c.

Ad hunc legitimationis modum requiritur, vt oblationi, vel despõsationi per patrem factæ, filij vel filiæ consentiant. Ratio est. Ne inuiti in alienam potestatem transeant: si tamen filij, qui consentire noluerunt, reperiantur paternarum opum possessores: licet eas alienauerint, omnimodo ad conditionem, in qua pater eos esse voluit, amplificatis opibus inuiti accedere coguntur, d. l. 3. §. huiusmodi, C. de naturalibus liber.

Quomodò per Rescriptum Principis legitimatur filius naturalis?

Per rescriptum Principis filius naturalis fit legitimus:

gitimus: si ad preces à patre huius rei gratia Principi datas, rescribatur, & legitimationis priuilegium liberis naturalibus concedatur. Ad quam legitimationem requiritur, vt cõcubina, ex qua liberi procreati sunt, in rerum natura nõ sit vel si adhuc in viuis sit aliquod impedimẽtum obstet, quò minùs, cũ ea cõtrahi possit, vt in auth. qui mo. na. efficiantur sui, §. illud tamen. Nam & per rescriptum Principis filij naturales legitimi, hæredes fieri dicuntur, si pater in testamẽto suo dixerit, istos filios sibi velle succedere. Et filij post mortem eius testamento paterno exhibito supplicauerint Principi. Ad quod, si rescribatur: Principis & legis beneficio, (dummodò patris voluntatem amplectantur filij) sui & legitimi hęredes patri defuncto efficiẽtur, d. auth. qui mo. na. eff. sui, §. si verò is, qui solummodò, &c. Ad hunc legitimandi modum etiam pertinet legitimatio, quæ per Comitem Palatinum, vel alium habentem potestatem legitimandi ab Imperatore expeditur, & crebriori vsu hodiè obseruatur.

Quomodò per subsequens matrimonium Legitimatio inducitur?

Dupliciter: verè & præsumptiuè. Nam si quis concubinam suam in vxorem ducit, etiam in agone mortis constitutus, licet postmodũ, nulla carnis cõmixtio intercedat, liberi tamẽ ante matrimonium contractũ nati plenã legitimationem assequuntur. Et si nullum vitæ periculum immineat, liberosq; durante matrimonio, cum concubina ducta, habeat: ij non melioris conditionis haberi debent, nec priores ab hæreditate paterna

paterna excludere possunt. Cùm per subsequens matrimonium omnis turpitudinis causa sublata sit, glos. in c. tanta est vis, extr. eod. Et gratias agere posteriores, fratribus suis ante matrimonium natis debeãt: quorum beneficio ipsi sunt iusti filij, & nomen & ordinem consecuti, l. cùm quis, C. de naturalibus liber. Præsumptiuè legitimatio filiorum fit, cùm pater in testamento publicè, vel manu propria scripto, habenti subscriptionem trium testium fide dignorum, siue subgestis monumentorum dixerit: hos filios suos esse, nec adiecerit naturales, auth. vt liceat matri & auiæ, §. ad hoc, col. 8. Ad quam præsumptam legitimationem requiritur: Vt concubina & mater naturalium talis fuerit, quæ in matrimonio haberi, vt vxor legitima, potuerit. 2. Vt nullus filiorum naturalium & legitimorũ existat, hoc enim casu, præsumptio est, matrẽ matrimonio fuisse copulatã vel in agone mortis, vel tempore conditi testamenti eam à patre in vxorem esse ductam, d. auth. §. si verò non hæres, &c. Licet aliàs, vt per subsequens matrimonium legitimatio inducatur, siue verè, siue præsumptiuè matrimonium suis requisitis destitutum esse non debeat.

Quis Finis & Effectus?

1. Legitimatio, quæ fit per oblationem, vel dationẽ curiæ, efficit, vt filius ita legitimatus subijciatur patriæ potestati, & in paterna hæreditate succedat, tam ex testamento, quàm ab intestato, cum alijs liberis legitimis: Non autem alijs ascendentibus, vt auo, vel collateralibus, vt fratri vel sorori, succedere potest. Ratio illa datur,

tur. Quia, respectu patris, non autem respectu aliorum, dicitur legitimatus, §. & quoniam in auth. quibus modis natur. effic. sui. 2. Pari ratione succedit legitimatus per rescriptum Principis: sed à successione bonorum feudalium excluditur, per tex. in §. naturales. Si de feu. de fun. cõtrouer. sit inter dominũ, & ag. vasal. Nisi tamẽ nominatim & expressè ad feuda quoque legitimatus sit. Et si legitimentur per Comitem Palatinum, vel alium, habentem potestatem legitimandi ab Imperatore, requiritur specialis clausula legitimandi: Ad feuda: non tantùm in priuilegio concessionis, sed etiam in instrumento legitimationis. alioqui tales legitimati non succedunt, nisi in allodialibus, prout in specie respondit Signoro. de Homod. cons. 218. num. 4. & 5. Et hanc velut communem refert & sequitur Molinæus, in 1. part. consuet. Paris. §. 8. glo. 1. q. 8. nu. 38. 3. Quòd ita legitimati non possint ad honores vel dignitates peruenire. Quia spurij, vtcunque legitimi efficiantur, remanent tamen infames de facto, inter bonos & graues viros, Alexander in l. ex facto, col. 5. de vulg. & pupil. substit. & latè Chassa. in catalogo gloriæ mundi, part. 11. cons. 15. Et lege Mosaica, vsq; ad decimam generationem, ecclesiã intrare prohibebantur, c. per venerabilem, extr. eod. Et assimulari ait Bal. in c. 1. colum. 5. extr. de constit. & in c. fin. extr. de transl. Episco. legitimatos homini medicato à morbo, in quo semper aliquæ remanent cicatrices. Cùm igitur legitimati infames remaneant, infamibus autem portę dignitatum patere non debeãt, sequitur legitimatũ nec in Episcopum promo-

ueri, vt putat Goff. & Hoſtienſ. in §. qualiter, verſ. item quod ſi quo, hoc tit. Nec Doctoris titulo inſigniri, nec alio dignitatis genere decorari poſſe, vt notat Mynſing. in obſer. 31. cen. 4. 4. Legitimatus per ſubſequens matrimonium, non tantùm quò ad ius ſuitatis, verùm etiam, quò ad honores & dignitates natalibus reſtituitur: hoc eſt, iſti legitimati iuri patriæ poteſtatis ſubijciuntur, patriq́ue, ſiue teſtato, ſiue inteſtato defuncto, ſui hæredes exiſtunt, l. cùm quis, C. de naturalibus liberis, &c. Quod quidem in bonis allodialibus indubitatò procedit. ſed an itidē in feudalibus ſuccedant? Et cõtrouertitur, vt notãt Hoſtien. in c. 1. &, c. tantæ, & Ioan. And. ibi. extr. eo. Curt. iun. conſ. 136. nu. 7. & Pet. à Duen. reg. 350. in 10. limit. verſ. quæ opinio. qui omnes aſſerũt, legitimatos etiam per ſubſequens matrimoniũ excludendos eſſe à ſucceſsione bonorum feudalium. Sed in camera Imperiali contrarium deciſum teſtatur Mynſing. obſer. 42. cent. 2. iuxta And. de Iſer. Iacob. de Bel. Mart. Lauden. Affict. & communiter Dd. in c. 1. §. naturales, ſi de feud. fu. contr. & Curt. in tract. feud. part. 3. 7. q. nu. 41. & Bald. conſ. 129. in 3. par. 5. Licet alio modo legitimatus à dignitatibus arceatur: tamen, per ſubſequens matrimonium, legitimato nulla cõſcendendi dignitatis gradus intercluditur via: poteſt igitur eligi in Epiſcopum, & quauis dignitate pro virtutum meritis ornari, glo. in c. innotuit, in verb. coniugata, extr. de elect.

Quæ Affinia?

Adoptio, conceſsio iuris aureorum annulorum, natalium reſtitutio, ingenuitas. de quibus habetur

habetur, l. 1. C. de iure aureorum an. & de nat. rest. &, ff. ijsdem titulis.

Quæ Pugnantia?

Illegitimitas, nephariæ & incestæ nuptiæ: quia ex his nuptijs procreati filij nõ legitimantur, nisi de plenitudine potestatis, subsequẽs matrimonium illegitimũ, dissensus filij legitimandi.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Spurij variis pœnis plectũtur. Lex enim Mosaica illos ecclesiam intrare, vsq; ad decimam generationem prohibet. Canones tales ad sacros Ordines promoueri vetant. Leges nõ tantùm eos à successione paterna repellunt, sed etiam necessaria alimenta denegant. Nec parẽtes ad præstationem talium alimentorum obligatos habere volunt. Quæ tamen iuris ciuilis duritiem Canonibus, ob naturalẽ æquitatem, qua homines paris conditionis censentur, emendatur, c. pasce, dist. 86. &, c. per venerabilem, extr. eod. in fine.

Ad docendam prolem illegitimam, non sufficit, probare impedimentum matrimonij, si fuit in conspectu Ecclesiæ contractum, c. peruenit, extr. eod.

Tanta vis est matrimonij, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur, c. tanta vis est, extr. eod.

Licet de causa ciuili inter laicos nõ cognoscat Ecclesia: decisio tamen causarum matrimonialium ad Ecclesiam spectat, c. causam, ext. eod.

Quæstio natiuitatis opposita petenti hæreditatem coram iudice seculari, est ad Ecclesiasticum iudicem transmittenda, c. lator, extr. eod.

Statur viri & mulieris assertioni, qui negant aliquē esse filium: nisi indicijs & testibus contrarium probetur, c. transmissæ, extr. eod. &, c. per tuas, eod.

Legitimi patri succedunt: et dicuntur legitimi, ex quo publicè in facie ecclesiæ contraxerunt parentes: quamuis inter eos matrimonium non possit esse: dummodò aliter habeat bonam fidem nec impedimenti sibi sit conscius, c. cùm inter, &, c. ex tenore, extr. eod. c. referente, eo.

QVI MATRIMONIVM ACCVsare possunt, & contra illud testari.

Titulus XVIII.

Continuatio.

Diuortium regulariter fieri non debet, nisi libello accusationis oblato, & intentione accusatoris fundata. Tutius enim est, contra statuta hominum dimittere coniugatos, quā legitimè iunctos contra statuta Domini separare, c. licet, extr. de testibus.

Quid est matrimonij Accusatio?

Matrimonij accusatio est, explicatio impedimenti, ob quod matrimonium consistere inter coniuges non potest, ab ipsis coniugibus, vel consanguineis vel extraneis corā competenti iudice legitimis probationib⁹ facta, c. relatū, ext. eo.

Quæ causa Efficiens?

Voluntas accusantium matrimonium, quibus hoc de iure licet.

Qui matrimonium accusare possunt?

Huic quæstioni, sub distinctione, respondendum est. Nam si impedimētum, quod matrimonio ob-

nio obijcitur, non ex delicto coniugũ: nec cuiusquam; præterquã ipsorum coniugũ; interſit, ſed ex defectu proueniat; vt ſi mulier ita ſit arcta, vt cognoſci nõ poſsit: vel vir ita frigidus, vt coire nequeat; ſoli ipſi coniuges admittũtur ad accuſandum. extraneorum enim non interest: quia etiam, illis inuitis, ſimul morari poterunt, c. cõſultationi, extr. de frig. & malefi. Dummodò caſtè viuant, c. quod Deo, 30. quæſt. 5. Item, vbi per errorem petitur diuortium, c. propoſuit, ext. de coniug. ſeruorum. Vel vbi agitur ad thori ſeparationem, propter commiſſum adulterium: tũc enim alterius non interest. Quia ſe poſſunt recõciliare, quolibet inuito, c. quemadmodum, ext. de iureiur. Si verò impedimentum delictum cõtineat; vt quia aliqui in gradu prohibito, conſanguinitatis, vel affinitatis, vel contraxiſſe, vel cotrahere voluiſſe dicantur, tunc, quia actio popularis ſit, quilibet ad accuſationem matrimonij admittitur. Hoc tamen ordine ſeruato, vt cõſanguinei extraneis, & inter hos ſeniores & præſtantiores alijs præferãtur. Si igitur parentes exiſtunt hi alijs coniunctis in accuſando præponũtur: his autem nõn exiſtentibus, ſoror, frater, patruus, auũculus, amita, matertera, & reliqui admittuntur. Et ſi tota progenies defecerit ab antiquioribus & præſtantioribus teſtimonium accuſationis perquiri poterit, vt teſtatur Fabianus in c. conſanguineos, 35. q. 6. Ratio huius eſt: vt habetur in c. videtur, 35. q. 6. Quia horum interest matrimonium reſcindi vel non. Dein: quia alijs meliùs ſcire veritatem præſumuntur. Ergo rectiſsimè in accuſationem, vel teſtificationẽ ma-

trimonij, vel coniungendi, vel diſiungendi recipiuntur, d.c. videtur, &c.

Quod Obiectum?

Matrimonium, quod ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis, vel alium defectum petitur reſcindendum, c.1.extr.eod.

Quæ Forma?

Vt is, qui matrimonium accuſare poteſt, & aliquos propter propinquitatis cognationē ſeparari petit, non per chartulæ conſcriptionem, ſed propria voce, hoc faciat, & duob⁹ vel tribus eiuſdē cōſanguinitatis teſtibus adhibitis, vel totidē ſenioribus & honeſtioribus eiuſdē loci impedimentum coram Epiſcopo, vel cōpetenti iudice cum præſtiti iuriſiurandi religione, iuxta formam in c.de parentela, 35.q.6.vel alio modo legitimo cōprobat, d.c.1.c.à nobis, c.videtur, extr. eod.c.conſanguineos, &, c. videtur, 35.q.6.Circa hæc notanda ſunt tria: 1. Quòd non tantùm extranei, verùm proximi cōſanguinei, & parentes in teſtificationē admittātur. Quod enim aliàs legitur, patrem in cauſa filij, & filium in cauſa patris, ad teſtificandum non recipiendos, in criminalibus cauſis & cōtractibus procedit: non aūtē in cauſa matrimonij cōtrahēdi, vel diſiungēdi. hoc enim caſu ipſius cōiugij prærogatiua, quæ res fauorabilis eſt, licitè recipiuntur, c. videtur, 35.q.6.in fine. 2. Quòd in cauſa matrimoniali idem poſsit eſſe accuſator & teſtis, c.ſi duo, 35.q.6. &, c. præterea, extr. de teſtibus. Diſtingue tamen, vt Speculator, in §.notandum, verſ.in cauſa, hoc tit. 3. Quòd accuſator vel teſtis iuramentum præſtare debeat, quòd neq; gratia, neq; præ-

cio⁹

cio,neq; timore,vel odio alicuius contra eos, de quorum coniugio agitur,dicat:sed potiùs, quia credat ita verum esse,& ita se à suis antecessoribus audiuisse,c.de parentela illa quã dicunt esse &,c.de parentela illa vnde nos,35.q.6

Quis Finis & Effectus?

Est rescisio ipsius matrimonij, impedimẽto, quod obstabat, legitimè probato, c. consanguineos,35.q.6.iudex tamen,antequam diuortij sententiã pronuntiet,omnes circunstantias diligenter perpẽdere debet:an accusator & testis sint suspecti, & ob id repellendi? an coniuges se diligant verè,vt num eorum confessio cum alijs adminiculis præiudicet in primo & secundo gradu? an fictè? vt tunc nullam præsumptionem inducat, c. de illa,extr.de eo,qui cog.conf.vx.suę, &c.item,an fama de hoc increbuerit, quę adminiculũ præbeat,c.cũ in tua,extr.de spons. Quòd si totum negotium ambiguitate ita fuerit obscuratum, vt aperta veritas erui non possit, tutiùs erit,pro matrimonio iudicare,c.licet,extr.de testamentis.

Quæ Affinia?

Officium iudicis. Quia iudex,etiam nullo existente accusatore,citatis his,quorũ interest,nefarias & incestas nuptias manifestè contractas dissoluere potest,c.porrò,extr.de diuortijs,c.1.ext.de off.ordina.&,c.qualiter, extr. de accusat. Et denunciatio,quæ tam in scriptis,quàm sine scriptis fieri potest.

Et differt bifariàm ab accusatione: 1.Quòd accusatio habeat locum in matrimonio contracto: sed denuntiatio in matrimonio con-

trahendo. 2. Quòd accusatio fiat viua voce, & sine scriptis, vel tutiùs & commodiùs voce quàm scriptis, c. à nobis, extr. eod. Sed renuntiatio, licet vtroque modo fiat, tutiùs tamen in scriptis, quàm sine scriptis, fieri contingit, c. literas, extra de restitu. spoliatorum, &, d. c. à nobis, ext. eod. Dicitur autem denunciatio, qua Episcopo vel Officiali impedimentũ contrahendi matrimonij in scriptis, vel sine scriptis, indicatur, Specula. in §. debet in forma denũtiationis, hoc titulo, &c.

Quæ Pugnantia?

Iustitia matrimonij contracti, nullitas matrimonij, furtiua & clandestina accusatio, corruptio accusatoris, & alij modi, quibus accusare cõtendens, ab accusatione repellitur. vt sunt: 1. Si accusator sit extraneus, & cõsanguinei existant. 2. Si excommunicatus. 3. Si nec matrimonium vel sponsalia sint contracta: forsitan ætate, vel alia causa prohibente, c. ad dissoluendam, extr. de despons. impub. 4. Si clàm, & non publicè accuset, vel non propria voce, sed per scripturã accusationem depromat, d. c. à nobis, eod. 5. Si iurare recuset iuxta formam in c. de parentela, 35. quæst. 6. præscriptam, c. inquisitionis, extr. de accusat. 6. Si turpis quæstus gratia ad accusationem procedat, c. significante, extr. eod. 7. Si malo zelo moueatur, & odio coniugum, ad accusandum prorumpat, d. c. de parẽtela, &, c. cùm dilectus, extr. de accusat. 8. Si accusator sit periurus & infamis, c. cùm oporteat, extr de accusat. 9. Si denuntiationis tempore tacuerit: nisi denuntiationem probabiliter ignorauerit, vel

vel ex causa(quorum quædam in c.fin.ext.eo.re-cẽsentur)accusationem opponere impeditus fue rit:vel iuret,se de nouo didicisse. Et quòd non objciat illam malitiosè, vt colligitur ex Innocẽ tiana constitutione,c.cùm in tua,extr.eod.

DE DIVORTIIS.

Titulus XIX.

Continuatio.

PRobato coram iudice competenti legitimo matrimonij impedimento,ferẽda est diuor-tij sententia.Quod quidem diuortium cum matrimonio pugnare,suprà dictum est.

Quid est Diuortium?

Diuortium est, legitima mariti & vxoris se-paratio,apud competentem iudicem,cum causę cognitione,& sufficiente eius probatione facta, Panormitanus in c.ex conquestione, ex.de resti. spoliatorum.

Vnde dicitur Diuortium?

Diuortium,teste I.C. Caio,dicitur à diuersita-te mentium: vel quia in diuersas partes eunt; q̃ distrahũt matrimonium, l.diuortium,ff.de di-uort.& repud.

Quotuplex Diuortium?

Duplex, thori & fœderis matrimonialis.Quò ad thorum,diuortium contingit, cùm cohabita tio vel conuersatio mutua coniugum ad temp⁹ vel nulla temporis habita ratione interdicitur, c.dixit Dominus.32.quæst. 1. quò ad fœdus ma-trimoniale,dissoluitur matrimonium:se matri-monium,quò ad eius substantiam,penitus & in

perpetuum rescinditur, c. interfectores, 33. q. 2.

Quæ causa Efficiens?

Iure ciuili voluntas diuertentis, & perpetuã cõstituere dissensionem volentis, & iure canonico decretum iudicis. Nam quod calore iracundiæ vel fit vel dicitur, nõ prius ratum est, quàm perseuerãtia apparuerit, animi iudiciũ fuisse. Ideoqúe per calorem misso repudio, si breui reuersa vxor fuerit, nec diuertisse eam, videri putat Paulus l. 3. ff. eo. Sed cũ iure Pontificio diuortiũ absq; sufficienti causarũ cognitiõe nõ permittatur, decreto iudicis ad declarandam illam coniugum dissensionem, & diuortij publicationem opus erit: licet etiam ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis coniugibus etiam cohabitare volentibus, diuortium fiat.

Quod Obiectum?

Matrimonium, quod ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, vel alium defectũ rescindi petitur.

Quæ Forma?

Vt iudex cum causæ legitimæ cognitione, & sufficienti eius probatione, ab ipsis propinquis vel extraneis facta, matrimonium illegitimè cõtractum, iuxta formam in c. ab isto die, 35. q. 6. rescindat.

Quæ sunt iustæ Diuortij causæ?

Iure antiquo variæ erant matrimonij rescindẽdi causę, ita, vt etiã, ob malos mores, vxor repudiari potuerit. Putà, si singulis diebus se inebriaret, singulis noctib⁹ in lecto mingere soleret, vel alia turpiora patraret, l. fin. C. de diuor. & repud. sed iudicio de moribus sublato, certæ sunt à Iusti-

stiniano diuortij causæ inductæ, l. consensu, C.eod. Quę quia leues, non facilè debeant rescissioni legitimè contracti matrimonij causam prę bere. Iure Pontificio quinque tantùm approbãtur diuortij causæ.

Quæ est prima Diuortij causa?

Infidelitas. Cùm enim alter infideli ũ coniugũ ad fidem Catholicam cõuertatur, altero vel nullo modo, vel nõ sine blasphemia diuini nominis velut eum pertrahat ad mortale peccatũ, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota trãsibit. Et in hoc casu intelligim⁹ quod ait Apost. ad Cor. 7. Si infidelis discedit, discedat: non n. seruituti subiectus est frater vel soror eiusdem; & Canone in quo dicitur, contumelia creatoris solui ius matrimonij circa eum, qui relinqtur, c. quãto, ext. eo. Si verò alter coniugũ fidelium vel labatur in hæresim, vel transeat ad gẽtilitatis errorem, nõ potest is, qui relinquitur, viuente infideli, cõtrahere. Licet hoc casu maior appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat: Non tamen est ratum. Coniugium enim triplex esse asseritur in c. si quis Iudaicæ, 28. quæst. 1. Aliud enim est legitimum, & non ratum: aliud ratum & non legitimum: aliud legitimum & ratum. Legitimum coniugium est, quod legali institutione vel prouinciæ moribus contrahitur; hoc inter fideles ratum non est. Quia non est firmum & inuiolabile coniugium eorum; dato enim libello repudij, licet eis recedere ab inuicem & ad alias nuptias conuolare. Inter fideles verò ratum coniugium est, quia coniugia semel ini-

initiata & impleta inter eos vlteriùs solui non possunt. horum quædam sunt legitima: veluti cùm vxor à parentibus traditur, à spõso dotatur, & à sacerdote benedicitur. hæc coniugia legitima & rata appellantur. Morum verò coniugia, quæ contemptis omnibus illis solennitatibus, solo affectu aliquam sibi in coniugem copulant. Huiusce modi coniugium non legitimum, sed ratum tantummodò esse creditur, d.c. si quis 28.q.1. Cùm igitur inter fideles legimum & ratũ semel extiterit matrimonium, per superuenientem infidelitatem, vel apostasiam alterius coniugum, dissolui non debet. Ratio habetur in d.c. quanto, extr. eod. Quia sacramẽtum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus, illo durante, perduret. Nec obstat: quòd fidelis relictus, non debeat iure suo sine culpa priuari. Hoc enim ob id introductum est, vt omnis fraudis committendæ occasio præcidatur, simulantibus forsitan ipsis coniugibus, si sibiinuicem displicerent, hæresim, cuius prætextu facilè diuortium peterent, & hæc Innocentiana constitutione, d. c. quanto traduntur; cum qua conuenit Gratiani distinctio, in c. si infidelis, 28.q.2. Aliud, inquit, est dimittere volentem cohabitare, aliud discedentem non sequi. Volentem quidem cohabitare, licet quidẽ dimittere, sed non ea viuente, aliam superinducere, discedentem verò sequi non oportet, & ea viuente aliam ducere licet. Verùm hoc non, nisi de his intelligendum est, qui in infidelitate copulati sunt. Cæterùm, si ad fidem vterq; fidelis ma-

tri-

trimonio iũctus est,& tractu temporis alter eorum à fide discesserit,& odio fidei Christianę cõ iugem dereliquerit:derelictus discedentem non comitabitur: non tamen,illa viuente, alteram ducere poterit. Quia ratum coniugium fuerat inter eos,quod nullo modo fidei defectu superueniente solui poterit,d.c.si infidelis, 28.quęst.2. & per tot.28.quæst.1.

Quæ est secunda causa Diuortij?

Adulterium seu fornicatio:ob quam cõiuges ita separatur, vt ne maritus quidem adulteram vxorem etiam emendatam, recipere compellatur: etiamsi ei occasionẽ committendi adulterij dedisset,c.ex literis,extr.eod. Non enim paupertatis,vel alterius incommodi prætextu, turpiter se gerere debuit,c.ita ne,32.q.5. An autem ob sterilitatem vxoris liceat marito, viuente vxore,filios quærere ex ancilla? Hæc quæstio habetur in decretis,32.q.3. & dicitur quòd nullo modo.Ratio. Satius enim est absque liberis defungi,quàm ex illicito concubitu stirpem quærere, c.sicut satius est,32.quæst.4. Nec obstat exemplũ Abrahæ:qui propter sterilitatem vxoris suæ Saræ,sobolis procreandæ gratia se Agar Aegyptiacæ iunxit. Et Iacob: qui cùm ex Rachaele filios habere non posset,ex ancilla sibi suscitauit, Genes.16.& Genes.30.cap. Nam ante legem Moysi adulterium non fuit expressè & in specie interdictum:sicuti nulla alia rei damnatio fuit. Cùm pœna criminis ex tempore legis, quæ crimen vetuit, processerit. Deinde non vagæ libidinis explendæ, sed quærendæ posteritatis & sobolis pro-

propagandę ſtudio, ancillarum contubernio cõ iugalem poſthabuerint thorum, c. dixit, 32. q. 4. Sicuti etiam alij patriarchæ non explendæ libidinis deſiderio, ſed numeroſæ prolis cauſa cõiũctione pluriũ vxorũ vſi ſunt, c. obijciuntur, 32. q. 4. Cùm igitur ratione ſobolis procreandę nõ ſint cõmittenda adulteria, c. ſic non ſunt, 32. q. 4. Imò potiùs oportet maritum, cùm caput vxoris ſit, & virtute vincere & exemplo regere vxorem c. non mechaberis, &, c. indignantur, 32. q. 6. decorum eſt, & iuſtum, vt qualẽ vxorem deſiderat, talem eidem ſe præbeat, & ab omni coniunctiõe illicita abſtineat, c. ſi ducturi, 32. q. 6. Intantùm, vt ſi ſecus fecerit, vxorem fornicationis cauſa nullo modo dimittere poſsit, & grauius in eo adulterij crimen, quàm in vxore coerceatur, c. nihil iniquius, &, c. indignantur, 32. quæſt. 6.

Sunt aũt quinq; caſus, quibus, propter adulterium, diuortium fieri non poteſt: 1. Si vterq; cõiugũm de adulterio conuincatur, cùm enim delicta mutua compenſatione tollantur, criminis ſit compenſatio, c. ſignificari, &, c. ſeq. ext. eo. Iniquum enim eſt, vt quis de alio iudicare velit, & de ſe iudicari nolit, c. iniquum eſt, 32. q. 6. Iudici tamen per hanc compenſationem puniendi poteſtas, vel vindicta publica non adimitur. 2. Si maritus ipſemet vxorem ſuã proſtituat, obſtat enim illi exceptio vel replicatio lenocinij, c. diſcretionem, ext. de eo, qui cog. conſang. 3. Si vxor dolo caret, nec habet fornicationis vel adulterij committendi animum. Vt ſi vxor nupſerit alteri, credens priorem maritum eſſe mortuum: nam priore reuerſo, cogitur deſerere ſecundum, & re-

& redire ad priorem, c. cùm per bellicam, 34. q. 1. & 2. Nisi post ipsius reditum sciens apud secundum remanserit, c. Dominus, ex. de secũdis nup. Vel per errorem cognita fuerit ab alio, quẽ putabat proprium esse maritum, c. in lectum, 34. q. 2. 4. Si per vim fuerit cõpressa, c. proposito, 22. q. 5. 5. Si recõciliauit eam sibi maritus post adulteriũ commissum, vel eam adulterantem, scienter retinet, c. 1. 2. &, 3. 32. q. 1. Notandum tamen hoc loco est, quòd Canones ob adulteriũ, vel fornicationem, vinculum matrimonij non dissolui, & cõsuetudinem tantùm mensæ & thori, separari asserant, c. interueniẽte, &, c. Apostolus, 32. q. 7. Ob id neutri coniugum ad alias nuptias transeundi facultatem concedunt, c. omnes, c. quemadmodum, 32. q. 7. &, c. fin. extr. eod.

Quæ est tertia causa Diuortij?

Impotentia coeundi: q̃ in viro dicitur nimia frigiditas: in fœmina aũt arctatio: si qs igitur ignarus virginẽ in vxorem duxerit, q̃ ade òarcta sit, vt mulier fieri non possit: vel simile vitiũ à natura cõtraxerit, vt ope medicorum nõ possit adiuuari. Aut mulier viro nupserit, qui sit adeò frigidæ naturæ, vt eidem carnaliter commisceri non possit: poterunt inuicẽ separari, & qui matrimonio aptus erit, ad secundas nuptias liberè trãsitũ facere, sup. tot. tit. de frig. & malef. & per tot. 33. quæst. 1. de qua materia suprà latiùs dixi.

Quæ est quarta causa Diuortij?

Machinatio mortis. Cùm enim maritus sæuitia vel veneno vel fustibus & gladio vitæ vxoris insidiatur, poterit vxor thori separationem petere, c. 1. &, c. 2. extr. eod. Cùm etiã iniustè

à vi-

à viro verberata poſsit aufugere, Dd. in c. ex trãſmiſſa, extr. de reſtit. ſpo. Et ſi ob iuſtam cauſam non tamen diuortio legitimè facto diſceſſerit, repetenti viro, cuius ſæuitiam vereatur, non reſtituitur: niſi præſtita cautione, quòd reſtitutæ nullam violentiam inferet. Quòd ſi tanta ſit viri ſæuitia, vt vxori timenti de ſufficiente ſecuritate prouideri nequeat, vſque ad cauſæ deciſionem alicui probæ & honeſtæ mulieri cuſtodienda committitur, c. benedicto, 33. q. 1. & Abb. in c. literas, &, c. ex tranſmiſſa, extr. de reſtitut. ſpoliatorum, c. ſeculares, 33. q. 2.

Quæ quinta cauſa Diuorij?

Tradunt Canones aliam reſcindendi matrimonij cauſam: ſcilicet ingreſſum monaſterij, vtriuſque coniugum libera voluntate & conſenſu factum, toto tit. ſuprà de conuerſ. coniugato. Si igitur maritus, conſentiente vxore, & continentiã perpetuam promittente, vel vterque coniugum religionem ingrediantur, matrimonij legitimè contracti ſeparatio fieri dicitur, c. dudum, extr. de conuerſ. coniugatorum.

Quis Finis & Effectus?

Si matrimonij vinculum ex cauſa fuerit diſſolutum, deſinunt eſſe coniuges, & dos ipſi mulieri, vel ijs, quibus debetur, vnà cum parte bonorum, illis durante matrimonio communiter obuentorum reſtituitur, c. ſignificauit, &, c. mulieres, extr. de donat. inter virum & vxor. niſi vxor cauſam diuortij dediſſet, quo caſu perdit dotem, & maritus eam lucratur, c. plerunque, extr. de donat. inter vir. & vxo. Niſi eſſet profectitia dos,

dos,quæ soluto per diuortium vel mortem alterius coniugum reuertitur ad patrem,l.cõsensu, §.si verò causam,C.eod. Quæ distinctio dotis in psona vxoris,habet etiã locũ in donatione,propter nuptias,in persona mariti,Hostiens.eo. tit. 2. Quòd liberè ad secunda vota transire, vel religionem,altera parte inuita,intrare possint, c. Agathosa,27.q.1.Secus est, si quò ad thorum tantum diuortium sit celebratum, eo enim casu cũ coniuges maneant,neutri altero coniuge viuẽte contrahere permittitur,c.quantò,extr.eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Punitur affectus,licet non sequatur effectus, c.1. ex. de præsump.

Animus & propositum distinguunt maleficia.

Non debet quis delictum committere, propter bonũ spirituale,quod inde sequitur. Nec enim bonum aliquod secutum præcedens,delictum,vel pœnam eius abolet, c. quod ait,dist.14.c.si dicat,33.q.5.

Cum ea,quam quis,vxore viuente,cognouit,nõ sub specie matrimonij,defuncta vxore,potest quis cõtrahere,sineuter ipsorum machinatus est in necem prædefunctæ vxoris,c. laudabilem,ex de conuers. infideli.

Agenti petitorio ad coniugem obstat consanguinitatis exceptio:secus si possessorio. quia antequam de exceptione cognoscatur plenaria restitutio est facienda: nisi conuentus excipiens iuret de malitia,& probationes habeat in promptu. quo casu fiet restitutio quò ad alia,non quò ad copulã, Ab in c.literas,ext.de restit. spoliatorũ.

Paria delicta mutua compensatione tolluntur,c.nihil,32.q.6.

Ob sterilitatem vxoris nō licet progeniem ex ancillæ quærere, c. 1. 32. q. 4.

Sanctius est absq; liberis defungi, quàm ex illicito coitu, stirpem quærere, c. sicut, 32. q. 4.

Naturales filij dicuntur ingenuarum cōcubinarum filij quos sola natura genuit, non honestas coniugij: hi verò qui sunt de legitimo coniugio matrē potiùs, quàm patrem sequuntur, c. liberi, 32. q. 5.

Adulteria non sunt facienda, etiam voluntate generandi filios, c. sic non sunt, 32. q. 4.

Liberorum procreatio in matrimonio laudatur, sed meretricia voluptas, etiam in vxore damnatur, c. liberorum, 32 q. 4.

Viduæ priusquam continentiam profiteantur, si nubere volunt illis nubant, quos propria voluntate velint habere maritos, c. viduæ, 27. q. 1.

Nuptiarum bonum semper quidem bonum est, quod bonum semper in populo Dei fuit: sed aliquando fuit legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam verò humanitatis solatium, c. nuptiarū, 27. q. 1.

Filiorum procreationi operam dare, non canino more per vsum promiscuum fœminarū, sed honesto ordine coniugali, est probandus affectus, d. c. nuptiarum, 27. quæst. 1.

Illa mulier ad matrimonium non pertinet, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse, c. non est, 27. q. 2. & , c. cùm societas, eod.

Causa religionis coniugia legitimè contracta, solui non debent, c. sunt qui, 27. q. 2.

Cùm initiatur coniugium, coniugij nomen adsciscitur.

tur: non cum puella viri admixtione cognoscitur, c. cū initiatur, 27.q.2.

In omni matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat & perficit coniunctio, & coniunctorum commixtio corporalis, c. in omni, 27.q.2. &, c. quapropter, eod.

Raptus & illicitus coitus à corrumpendo dictus: Vnde qui raptu potitur stupro fruitur, c. raptus, 27.q.2.

Desponsatam puellam non licet parentibus alij tradere, c. de coniugali, 27.q.2.

Duobus modis dicitur fides pactionis & consensus, c. duobus, 27.q.2.

Coniugium inter infideles non existit. Quia omne quod nō ex fide est, peccatū est: coniunctio autem infidelium non est ex fide, ideò peccatum est, c. quòd autem, 28.q.1.

Non solùm mechatur, qui carnem suam coinquinat, sed etiam qui simulachrum facit, mechatur, c. non solùm, 28.q.1.

Ab infidelibus coniugibus licet recedere, sed non expedit, c. sic enim, 28.q.1.

Qui de sacro fonte suscipitur filius, est eius, à quo suscipitur, c. ita diligere, 30 q.3.

Per adoptionem quæsita fraternitas, eousq; impedit nuptias, donec manet adoptio, c. per adoptionem. 30.q.3.

Aliud est præcipere, aliud permittere. Quod enim permittimus, nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates omnimodò prohibere non possumus, c. hac ratione, 31.q.1.

Vt vitetur periculum fornicationis, matrimonia cōceduntur, c. quomodò, 31.q.1.

Quorum vnum corpus est, vnus debet etiam esse animus, c. de neptis, 31. q 2.

Patronus turpitudinis est, qui vxorem suam adulteram dimittere noluerit: potest tamen peracta pœnitentia sibi reconciliari, c. sicut, &, c. quòd autem, 32. q. 1.

Pudor est, fœminas nuptiarum præmia non habere. Qui tamen non causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibiinuicem copulantur, non tã coniuges, quàm fornicarij, videntur, c. pudor, 32. q. 2.

Quicquid inter se coniugati immodestum, inuerecũdum sordidúmve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum, c. quicquid, 32. q. 2.

Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec, etiamsi causa filiorum concũbant, iustum faciunt concubinatum suum: sic econtrariò illi, qui coniugali affectu sibi copulantur, quòd, etiamsi non causa procreandorum filiorum, sed explendæ libidinis, conueniunt, non ideò fornicarij, sed coniuges appellantur, c. concubinæ, 32. q. 2.

Fornicarij sunt non coniuges, qui sterilitatis venena procurant, c. aliquando, 32. q. 2.

Anima non potest dici viua in eo corpore, quod sensu caret: ergo non est homicida, qui abortum procurat, antequam anima corpori sit infusa, c. quòd verò, 32. q. 2.

Corpus non coinquinatur, nisi mens consenserit, c. quòd autem, 32. q. 5. Vnde dicitur corpus non posse corrumpi, nisi priùs corruptus fuerit animus. munda namq; à contagione anima, caro non peccat, c. nõ potest, 31. q. 5

Nec peccatum, nec iustitia, ex opere sine voluntate perficitur, c sicut, 32. q. 5.

In vtroque sexu adulterium pari ratione punitur, Inic. quicquid, 32. q. 6.

Iniquum est, vt quis de alio iudicare velit, & iudicari de se nolit.

Nulla ratione vinculum coniugij fornicatione dissolui poterit, c. interueniente, 32. q. 7.

Minus est secundùm naturam coire, quàm contra naturam delinquere, c. offerebat, 32. q. 7.

Vsus naturalis & licitus est, sicut in coniugio, & illicitus, sicut in adulterio. Contra naturam verò semper illicitus est, & proculdubiò flagitiosior atq; turpior, c. vsus, 32. q. 7.

Impossibilitas reddendi debiti vinculum soluit coniugale, c. si quis, §. ecce, 33. q. 1.

DE DONATIONIBVS INTER virum & vxorem: Et dote post diuortium restituenda.

Titulus XX.

Continuatio.

Adiacent matrimonio donatio propter nuptias, & dos: quia dos sine matrimonio esse non potest; sed matrimonij, morte alterutrius coniugum, vel diuortio contingens rescisio, earum restitutionem vel amissionem prout diuortio culpa datur, inducit. Est igitur diuortij effectus, restitutio vel amissio donationis, propter nuptias, vel dotis.

Quæ dicitur donatio inter virũ & vxorẽ: & quotuplex?

Donatio inter virum & vxorem dicitur hic donatio ob causam. Et est triplex: scilicet, dos, & donatio propter nuptias, & sponsalitia largitas.

Quid est Dos?

Dos, secundùm Bart. in rub. sol. matr. est quod

dã vniuerſale, in ſe continẽs id, quod à muliere, vel eius nomine traditur marito, eiúſve patri ad onera matrimonij ſuſtinenda, Bart. in tract. dot. part. 2.

Vnde dicitur Dos?

Dos dicitur à dando. Vnde Varro dotem definit, eſſe pecuniam nuptiarum cauſa datam.

Quotuplex Dos?

Dos à cauſa efficiẽte, obiecto, forma & effectu varia dicitur. A cauſa quidem efficiente, vel profectitia vel aduẽtitia, ꝓfectitia eſt, q̃ à patre vel parẽte, de bonis, vel facto eiꝰ, profecta eſt, vt ait Vlp. in l. 5. ff. de iure do. pater enim filiã, pro rerũ ſuarũ viribus, dotare cõpellitur. Aduentitia verò dicitur, q̃ nemo ex paternis bonis, ſed quidã extraneus alicũde dedit, d. l. 5. ff. de iure dot. Ab obiecto dos dicitur vera vel putatiua. Vera, ſi matrimoniũ, quod reſpicit ipſa dos iure ſubſiſtat: Putatiua aũt, ſi nõ ſubſiſtat, cuius cauſa data dos eſt, l. dotis, ff. de iure dot. &, l. fin. ff. de cond. cauſa da. A forma & effectu dos dicitur vel confeſſata vel numerata, vel cauta, vel promiſſa, to. ti. C. de dot. cauta non numerata, &, tit. de dotis promiſſione.

Quæ cauſa Efficiens Dotis?

Ius gentium, ex quo originem habet dotis cõſtitutio, & cõſenſus dãtis. Quia dos nudo pacto promiſſa, peti poteſt, l. ad exactionẽ, C. de dotis promiſſ.

Quæ Materia?

Res mobiles, immobiles, corporales & incorporales. Nec refert, an vſu cõſumantur, vel nõ, æſtimatæ in dotẽ dentur, vel inæſtimatę. Licet in effectu inter hęc magna appareat differẽtia, l. vni. §. cùm autem, C. de rei vxo. act. l. 2. C. de act. l. res quas, C. de iure dotium. Imò, nulla lege prohibitum eſt, vniuerſa bona marito in dotẽ dari, l. etſi

dotis,C.de iure dot. *Quæ Forma?*

Vt dos nudo pacto vel stipulatione,purè, vel secūdùm arbitriū alterius constituatur,rebusq; in dotem datis,maritus quasi dñs subtili quadam iuris fictione,remanēte tñ naturaliter & verè earum dominio,penes vxorē,si res dotales inæstimatæ sint:vel si æstimatæ sint, vt verus dñs,ob onera matrimonij vtatur fruatur,easq; pro libito disponat & administret:donec ipsū matrimonium diuortio,vel morte alterutrius fuerit dissolutum,l.dote ancillam, C.de rei vind. l. in rebus,l.quotiens,l.pro oneribus,C.de iure dot.

Quæ causa Impulsiua constituendæ Dotis?

Ipsa æquitas.Cùm enim,vt ait Vlp.in l.dotis, ff.de iure do. maritus onera matrimonij subeat, æquum est,vt in hoc subleuetur,d.l.dotis.

Quis Finis?

Vt constātis matrimonij onera tātò facilius tolerare possit maritus,ob id nō tantū ipsa dos verū etiā dotis fructus ad maritū,durāte matrimonio,pertinēt.Vnde Paulꝰ:dotis causa ꝑpetua est, & cū voto eius,q̄ dat ita cōtrahitur, vt semꝑ apud maritū sit,l.dotis,ff.de iure dot.& Vlp. in l. dotis fructum,ff.de iure do,ait: Dotis fructū apud maritū pertinere debere,æq̄tas suggerit. cū enim ipse onera matrimonij subeat,æquū est,eū etiam fructus percipere,d.l.dotis,ff.de iure dot.

Quis Effectus?

Primꝰ effectꝰ est, actio ex stipulatu ꝑ dote petēda vel repetenda,q̄ est ciuilis,bonę fidei in personā, daturq; marito,cōstante adhuc matrimonio, ad consequendam dotem in matrimonij cōtractu sibi promissam, vel vxori ad eandē repetendam

vel matrimonio adhuc durãte, ob mariti incidẽtem inopiam, vel facta dissolutiõe matrimonij, siue per mortẽ, siue per diuortiũ, l. vni. C. de rei vxor. act. Huicq; actioni quædam insunt priuilegia pro consequenda vel recuperanda dote inducta. Scilicet, priuilegium tacitę hypothecæ, quã mulier habet in rebus mariti, pro dote & cõtrà, maritus in reb' vxoris. Sicuti. n. mariti bona tacitè sunt obligata, pro restitutione dotis: ita etiã marit' tacitam habet hypothecam in bonis vxoris, pro consequenda dote sibi promissa, d. l. vnica, §. tacitam hypoth. C. de rei vx. act. & cùm illud priuilegiũ non sit personale, sed insit actiõi, Ex stipulatu bonę fidei, ideo extraneo quoq;, qui dotem pro muliere dedit, eamq; sibi restitui stipulatus est, conceditur: & ad quemcunq; successorẽ, etiã extraneum trãsit, Bart. in l. 1. ff. solu. matri. Aliud priuilegium, q; quidem personale est: qa non actioni ineſt, sed mulieri tãtùm, eiusq; descendentibus competit, Bart. in l. 1. ff. sol. matr. scilicet, priuilegiũ prælatiõis, quo vxor p̃fertur in dote omnibus alijs creditoribus mariti, tã tacitam q̃ expressam, vel etiam nullã hypothecam habentib. l. in rebus, C. de iure dot. &, l. assiduus, C. qui pot. in pig. hab. Est & priuilegiũ cõpetentiæ, q; marito ne ad assẽ exigatur, sed inquãtùm facere potest, datur l. non tantùm, ff. de re iud. 1

Secundus effectus est, translatio ciuilis dominij in ipsum maritũ. Nam traditione rei dotalis non ęstimatæ facta, maritus subtili iuris fictiõe dominiũ consequitur. Cuius vigore res dotales vendicare, seruos manumittere, ijsdem auctor esse adeundæ vel repudiandæ hæreditatis & fru-

fructus percipere, rebusq; dotalibus vti, vt suis permittitur, d. l. dote ancillam, C. de rei vind. l. 3. C. de iure dot. l. seruus dotalis, ff. sol. matri.

Tertius effectus est, translatio veri dominij rei æstimatæ in dotem datæ, ob id omne damnũ & lucrum rei dotali contingens ad maritũ pertinet, cùm æstimatio contineat venditionem, & maritus soluto matrimonio restitutione præcij liberetur, l quotiens, l. cùm dotem, C. de iure dotium, &, l. quotiens, ff. de iure dot.

Quartus effectus, euicta re, quæ fuerat in dotem data, si polliciatio, vel promissio fuerit interposita, gener, contra socerum, vel mulierem, seu hæredes, condictione, vel ex stipulatione agere potest: sin autem nulla promissio intercesserit post euictionem; si quidẽ res æstimata fuerit; ex empto competit actio. Si verò inæstimata in dotem data sit bona fide, nulla marito competit actio. Dolo autem dantis interueniente de dolo actio aduersùs eum locum habebit: nisi à parte mulieris dolus committatur. tunc enim, ne famosa actio, aduersùs eam datur, in factũ actio competit, l. euicta re, C. de iure dotium.

Quæ Affinia?

Donatio propter nuptias, sponsalitia largitas, puræ donationes inter virum & vxorem, quæ morte confirmant bona parapherna.

Quid est Donatio propter nuptias?

Donatio propter nuptias est, remuneratio quædam facta vxori à marito, propter ipsius dotem, vt soluto matrimonio melius sit ei prospectum, auth. permissa & ibi Dd. C. de donat: ante nup. Atqui hæc donatio cum dote conuenit, cau

sa Effi-

sa Efficiente, Materia, Forma, Fine, & Effectu; constituitur enim consensu sponsi & sponsæ, in rebus tam mobilibus, immobilibus, quàm corporalibus & incorporalibus, iureq; singulari, mulier dominium rei propter nuptias donatæ, hypothecam autem iure communi cõsequitur, & pactum de lucranda dote, in fauorem mulieris etiam ad donationem, propter nuptias, extéditur, c. fin. §. fin. extr. eo. Quòd si nihil pactum sit, soluto matrimonio sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias, redit ad virum, nisi de consuetudine secus obtineat, d. c. donatio, extr. eod. &, c. 1. extr. eodem. Sed hoc differt, quòd vxor nõ consequitur fructus donationis, propter nuptias, sicuti maritus dotis fructus. Quia hi conceduntur marito, propter onera matrimonij, iuxta Bald. in auth. permissa, C. de donat. ante nupt.

Quid est Sponsalitia largitas?

Sponsalitia largitas est, donatio, quam causa matrimonij sponsus & sponsa sibi inuicem faciunt, vt alio modo, quàm si matrimonium non sequatur, vel impediatur, reuocari possit, l. cùm veterum, C. de donat. ante nupt. Cuius effectus est: vt dominiũ rei donatæ acquiratur donatario, subsequente matrimonio. Quòd si autem matrimonium non sequatur, distinguitur. Aut osculum ineteruenit aut non interuenit: Si interuenit, & à sponso sponsæ aliquid donatum fuerit, vter eorum decesserit, sponsæ vel eius hæredibus dimidia pars rerum donatarum conceditur. Osculo verò non interueniente, vel interueniente quidem, sed donatio à sponsa facta est,

cta est,& his casibus tota donatio infirmatur, l. si à sponso,&, d.l.cùm veterum,C.de donat.ante nupt.

Quid Donatio inter virum & vxorem?

Donatio inter virum & vxorem hic dicitur pura liberalitas, quam coniuges in se inuicem effundunt: quam donationem non tantùm leges ciuiles,sed etiam Canones prohibent,ob varias rationes,c.donatio,extr.eod.l.1.2. & 3. ff. de eo. tit. Prima ratio est, Ne mutuo amore coniuges inuicem spoliarentur, donationibus non tẽperantes,& profusa erga se facilitate vtentes,l.1. ff.eod. 2. Ne venalitia sint matrimonia, nam si illæ donationes valerent, sæpè futurum esset, vt distraherentur matrimonia, si non daret is, qui posset,atque ea ratione eueniret, vt venalitia essent matrimonia,l.2.ff.eodem. 3. Ne concordia precio conciliari videretur, neúe melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret, l.3.ff.eod. Morte tamen tales donationes confirmari possunt. Quia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo vir & vxor esse desinunt, l.quia in hoc, eod. Cùm igitur hæc in vim vltimę volũtatis valeat,ideò instar aliarum vltimarum voluntatum, ad eius firmitatem præsentia quinque testium requiritur, Iason in l. si pater, C.de inoff.testam.glos. & Cyn.l. licet, C. de de pactis: habetqúe cum alijs vltimis voluntatibus eundem effectum, Boer. in consil. Bitur. titu.de constitut. Parapherna bona dicuntur, quæ mulier vltra dotem marito adfert: & sunt propria, vel hæreditaria & aduentitia. Et in his paraphernis marit' administrationẽ habet,

ita

ita vt sine speciali vxoris mandato, & gerere, & conueniri possit, l. vlt. vbi glos. & Dd. C. de pact. conuen.

Quæ Adiacentia?

Varia priuilegia doti & donatiõe, propter nuptias, concessa. De quibus vide Bald. Nouel. & Iohannem Campezium, in tract. de dot. & eius priuilegijs.

Quæ Pugnantia?

Illegitimum matrimonium. Vbi enim legitimum non est matrimonium, ibi dos, vel donatio, propter nuptias, esse non potest, l. 3. ff. de iure do. Diuortium & rescisio matrimonij, quod vel morte vel adulterio, alterutrius coniugum, & alijs dissoluendi matrimonij modis contingit. Sicut enim, si adulterio commisso, per vxorem, matrimonium rescissum sit, ipsa perdit dotem, c. plerunq;, extr. eod. ita etiam maritus, si ab vxore separetur, propter adulterium, amittit donationem propter nuptias, Panor. in d. c. plerunq;, & auth. quia verò plurimas, iuncta auth. vt liceat matri & auiæ, &c.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

Titulus XXI.

An vxori plures maritos simul, vel successiuè habere liceat? Et quid, si de morte mariti absentis dubitet?

NOn polygamia, sed bigamia, trigamia, imò etiã octogamia, vtroq; iure permissa est. Hoc est, non plures simul, sed plures successiuè, vsque ad octonarium numerum, maritos

ritos vel vxores coniugibus habere licet. Quid, si de morte vxoris maritus dubitet? Et ſtatutum eſt: ipſum contrahere non debere, & ſi de facto contraxerit, reddere, ſed non exigere debitū poſſe, teneriq; ſi de prioris coniugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorē coniugem reuerti, c. dominus, ext. eod. Pari ratione nec vxor dubitās de vita mariti abſentis ad ſecūda vota conuolare poteſt. Quòd ſi maritum demortuū certò conſtet, quandocūq; voluerit, etiā intra tempus luctus rectè nubit. Nam vt ait Innocentius III. in c. fin. extr. eod. cùm ſecundùm Apoſtolum, mulier mortuo viro, ab eius ſit lege ſoluta, & nubēdi, cui vult in domino liberā habeat facultatem, non debet legalis infamiæ ſuſtinere iacturam, quæ licet poſt viri obitum intra tempus luctus (ſcilicet vnius anni ſpacium) nubat, cōceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo vtitur poteſtate. Cùm in his præſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros canones imitari, d. c. fin. & c. ſuper illa, extr. eod.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER

LIBER QVINTVS.

OBiectum libri Quinti est, criminale iudicium. Cuius exercitium, quàm necessarium sit, docet Plato, lib. de Repub. Cum inquit: dare pœnas, maximi mali euitatio est: facit enim alios prudẽtiores, et iustiores, & medicina quædam iniquitatis est ipsum iudiciũ. Et hoc est, q̃ dicitur in c. non frustrà, 23. q. 5. Non frustrà sunt instituta Regis potestas & cognitoris ius, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris. Habent omnia ista, modos, causas, rationes, vtilitates: hæc cùm timentur, & mali coërcentur, & boni quieti inter malos viuunt, d. c. non frustrà.

DE ACCVSATIONIBVS, INquisitionibus, & Denuntiationibus.

Titulus I.

Continuatio.

CVm exercitium criminalium iudiciorũ, ne impunita maneãt delicta, exigat publica vtilitas, eaq̃ per accusationem, inquisitionẽ, & denuntiationẽ, instituantur, rectissimè hic titulus primo huius libri loco ponitur, c. vt famę, extr. de senten. excom. &, c. qualiter, extr. eod.

Quid Accusatio?

Accusatio (Hostiense authore) est, criminis alicuius hominis apud competentem iudicem, inscri-

inscriptione interueniente legitimè facta delatio. Vnde & accusare nihil aliud est, quàm Reum criminis aliquem per libellum deferre, ad vindictam publicam, Hostiens. §. quid sit accusatio, tit. eod. &, c. super his, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Lex publica permittens accusationem ob crimen publici iudicij, coram iudice ordinario & competente instituì, contra eum, qui accusari non prohibetur, iuncta voluntate eius, qui ius accusandi habet, l. præuaricationis, &, l. si is, ff. de præuaricat. & l. 1. ff. de pub. iud.

Quæ Materia?

Crimen quoduis enorme communem reipublicæ tranquillitatem perturbans, cuius vindicatio ex legibus publicorum iudiciorũ descẽdit: & accusatio cuilibet de populo, ordine tamẽ iudiciario seruato, ad hoc, vt delinquẽs promeritam pœnã luat, conceditur (modò id crimẽ nõ sit manifestum: quia manifesta, accusatione non indigent, c. manifesta, c. quæ Lotharius, &, c. de manifesta, 2. q. 1.) ex quibus iudicia publica existunt. Quorũ quędã, teste Paulo, lib. 15. ad edictũ prætoris, sunt capitalia: quædã nõ capitalia. Capitalia sunt, in quibus certa pœna mortis, vel naturalis, vel ciuilis infligitur. non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna est, l. publicorũ, ff. de publicis iud. Dicuntur etiã ordinaria, & extraordinaria. Ordinaria sunt, quorũ pœnæ specificè & nominatim in iure expressè habẽtur, quas iudici augere vel minuere; cũ facti q̃dẽ q̃stio sit; absq; causę cognitõe nõ licet, l. 1. §. 2. ff. ad Turpillia: vt sũt crimẽ

læsæ

læsę maiestatis, adulterium, homicidium, parricidium, veneficium, crimen falsi, vis publica, raptus virginum, peculatus, plagium, ambitus repetundarum, & alia, quæ lib. 48. Pandectarū ordine traduntur: Extraordinaria verò sunt, de quibus iure ciuili, nihil specialiter proditū est, sed relinquuntur arbitrio iudicantis: vt secundùm delicti qualitatem, & personæ delinquentis conditionem, pœnā statuat, c. super his, extr. eod. c. de causis, extr. de off. deleg. l. 1. ff. de effrac. & l. 2. ff. de crim. stelli. vt sunt incendium, concussio, præuaricatio, occultatio, crimen stellionatus, & abigeatus, de termino moto, de effractoribus, de solicitatoribus alienarum nuptiarum, & alia. De quibus vide tot. tit. de extraord. criminibus.

Quæ Forma instituendæ Accusationis?

Forma instituendæ accusationis traditur per Euticianū Papā in Epist. 2. ad Episcopos Sicilię, his verbis: Quisquis ille est, qui crimē intendit, in iudicium veniat, nomen Rei indicet, vinculū inscriptionis arripiat, custodiæ similitudinem, (habita tñ dignitatis æstimatione) patiatur: nec impunitā sibi nouerit mentiēdi licentiam, cùm calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij, c. quisquis, 2. q. 8. Et, vt Calixtus Papa præcepit: accusator, præsente eo, quem accusat, in scriptis, iudici accusationē offerat, & propria voce literas suæ accusationis legat, c. per scripta, 2. quæst. 8.

Quæ Accusationis & libellorum concipiendorum inscriptionis forma?

Quę forma accusationis? & quis modus concipiendo-

piendorum libellorum? Paulus lib. 48. tit. 2. de accusationibus & inscript. ff. ostendit dicens, libellorum inscriptionis conceptio talis est, consul & dies, apud illum prætorem vel consulem, Lucius Titius professus est, se Mæuiam lege Iulia de adulterijs Ream deferre: Quòd dicat, eam cum Caio Seio, in ciuitate illa, in domo illius, in mense illo, consulibus illis, commisisse adulterium. Vtiq; enim locus designãdus est, in quo adulteriũ cõmissum est, & persona, cum qua admissum dicitur, & mẽsis. hoc enim, lege Iulia publicorũ iudiciorũ, cauetur & generaliter p̃cipitur omnibus, qui aliquẽ Reũ deferunt, l. libellorũ, ff. de accu. &, c. perscripta, §. libellorũ, 2. q. 8.

Quæ Accusationis requisita?

1. Vt is accuset, qui ius accusandi habet. 2. Vt accusatus talis sit, vt accusari possit. 3. Inscriptio solẽniter facta. 4. Præstatio cautionis de prosequenda lite. 5. Obseruatio iuris processus.

Qui Accusare possum?

Qui accusare possunt, intelligemus, ait Marcellus, in l. qui accusare, ff. de accus. si sciuerimus, qui nõ possunt. Itaq; prohibentur accusare alij, propter sexũ, vt mulier: alij propter ætatẽ, vt pupillus: alij propter sacramentũ, vt qui stipendiũ merentur: alij propter magistratũ, potestatemúe in qua agentes sine fraude in ius euocari nõ possunt: alij propter delictũ propriũ, vt infames, alij ꝓpter turpẽ quæstũ, vt qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habet. nũmosq;, ob accusandũ vel nõ accusandũ, accepit: alij propter conditionẽ suã, vt libertini cõtra patronos: Addit Paul. in l. alij eo. alij ꝓpter suspicionẽ calumniæ,

niæ,vt illi qui falsũ teſtimoniũ ſubornati dixerunt. Subdit Hermogenianus in l.nõnulli, eod. Nõnulli propter paupertatẽ,vt sũt qui minus q̃ quinquaginta aureos habẽt. Recẽſita hac limitatiõe reſtringit Marcell⁹,ſubſequẽti l.hi tñ, ff.eo. Hi tamen oẽs,ſi ſuam iniuriã exequantur mortemúe propinquorũ defendant, ab accuſatione non excluduntur,q̃ omnia continẽtur in c.prohibentur,2.q.1.Et ſciendum, qui ſecundùm leges ab accuſatione repelluntur,etiã ſecundũ Canones repelli,c.canonica,3.q.5.& duobus ſequẽtibus capitulis,c.accuſatores,&,c.accuſatiões, eo.

Porrò ius accuſandi nõ habẽt homicida, fur, latro,ſacrilegus,raptor,adulter,inceſtuoſus,veneficus,periurus,raptor virginũ,vel cuiuſcunq; alterius criminis reus,c.quiſq;,2.q.8.c.à nobis, ext.de excep.ſuſpectus,malę cõuerſationis,c.canonica,3.q.5.Vilis perſona,c.cũ tua,extrauag.de ſponſalibus,inimicus,c.2.3.& 4.3 q.5.c.oẽs,extr. de accuſat.Alienigena & ignotus,c. accuſatores, 3.q.5.Socius & particeps criminis,c.veniens,ext. de teſtib.publicus cõcubinarius,c.cùm dilectus, ext.de accuſ.Qui ſit tutor,curator, vel procurator,qui alieno nomine accuſare nõ poſſunt,l.pe nul. §.ad crimen,ff.de pub.iud.Qui fuit teſtis in alia cauſa cõtra accuſatũ,c.meminimus,extrau. de accuſ.laicus in cauſa criminali cõtra clericũ, c,cùm P.ext.eo. hæreticus, infidelis, Iudæus,vel ſchiſmaticus,c.1.2.4.q.1.c.pagani,2.q.7.

Qui Accuſari non poſſint?

Omnis,qui in ius vocari nõ poteſt,nec accuſari poterit.Qui aũt illi ſint?habetur. l.1.2.3.4.& 5.ff. qui in ius vocari nõ poſ,maior enim magiſtrat⁹ nec

nec accusatur, nec accusat: nec ꝑses prouincię: nec legatus prouincię: nec magistratus populi Rom. l. hoc accusare, ff. de accus. Papa & Imperator nō accusantur. Quia soluti sunt legib. c. proposuit, ext. de concess. pręben. Verū hæreseos periurij, & sacrilegij Imperator accusari potest, c. ad Apostolicā, ext. de re. iud. Et Papa pari ratione de hęresi tantūm accusatur, c. si Papa, 40. dist. & à Synodo vel Principe iudicatur, c. princeps, 23. q. 5. Nec clerico corā seculari iudice de crimine canonico, vel ecclesiastico, in auth. de manda. prin. §. si verò canonicū, col. 3. & vt cler. apud pro. Epi. per tot. nec infans, vel furiosus, l. infans, ff. de sicar. l. impunitas, C. de pœn. Nec seruus accusatur de crimine pro q̄ pecuniaria pœna imponitur. Quia ꝓpriū nō habet, vel pro q̄ imponitur pęna amittędę ciuitatis, q̄a ciuis nō est, §. libertinorū, inst. de lib.

Quid est Inscriptio? Et quid debeat continere Libellus?

Inscriptio est, obligatio in scriptis facta, qua accusator ad eandē pœnā, si nō probauerit crimē, q̄ cōmissum accusationis libello porrecto prætendit, q̄ reus debuit pati, si probasset, se obstringit, c. quisquis, 2. q. 8. c. qui crimē, &, c. tuæ, ext. de procur. c. qui nō probauerit, 2. q. 3. Debet autē libellus cōplecti nomē iudicis, corā quo criminis delatio fit, nomē accusatoris & accusati, locū & tępus, crimē & eius qualitatē, & personā, cū quā crimen patratū est: neq; tn̄ diē vel horam inserī necesse est. Itē subscriptionē eiꝰ, qui dat libellos, se professū esse, vel alterius pro eo, si accusator literas nesciat. Quòd si libelli inscriptionum legitimè ordinati nō fuerint, Rei nomen aboletur,

& ex integro repetendi Reum potestas fiet, l. libellorum, ff. de accusat. Et licet criminalia iudicia per accusationem cum solenni præcedente inscriptione instituantur: Sunt tamen casus, in quibus non est necessaria hæc inscriptio: vt in crimine apostasiæ, l. apostatarum, C. de apostatis 2. Cùm accusator Christianus, qui contraxit cũ Iudæa, vel cõtrà, c. super his, ext. eo. Vbi etiã Ab. & per eundẽ in c. fi. ext. de calum. 3. In crimine abigeatus, l. cui, C. de abigeis. 4. In leuibus crimi nibus, l. leuia, ff. eo. 5. In his, quæ apparitores ferũt, l. ea quidẽ, C. eo. Extra hos casus inscriptio necessaria est. & ob id inuẽta, ne facilè qs ad accusationẽ prosiliat, cũ sciat inultã sibi accusationẽ nõ futurã, cũ calũniantes ad vindictã poscat similitudo supplicij, l. si cui, ff. eo. &, c. quisquis, 2. q. 8.

Qualis Cautio præstanda?

Is, qui crimen obijcit fideiussoribus adhibitis, cauere debet, se in crimine, vsq; ad sententiã persueraturũ. Quòd si post satisdationẽ illã de exercenda lite præstitã præsens nõ fuerit, admonẽdus est, vt ad causã agendã veniat, si necdũ adfuerit, nõ solùm extra ordinẽ æstimatione iudicis puniendus est, sed etiã sumptus, quos in eam rem & circa ipsum iter ad litem vocati fecerũt, dependere cogitur, l. qui crimen, C. de his, qui accusare non pos. & l. si cui crimen, ff. eod.

Quis processus in Accusatione seruandus?

Relato inter Reos nomine accusati, in causa, eodẽ modo, quo in ciuilibus, proceditur. Nã & litis contestatio imponitur, admittuntur exceptiões, replicationes, duplicationes, &c. Requiruntur probationes luce meridiana clariores cõ

clusio-

clusione causę facta, sentẽtia fertur, à qua appellatio ad corrigendã sententiæ iniquitatẽ, casibus aliquot in l. 2. C. quorũ appell. nõ recipitur, exceptis, permittitur, c. dilectus, ext. de simonia, l. 2. C. de exhib. Reorũ, l. qui accusare, C. de ædend. l. adulteriũ, C. de adult. l. maritus, §. prędscriptiões, ff. eo. Azo in rub. C. eo. nu. 9. Nota tñ, q; leuia crimina audire & discutere de plano iudicẽ oporteat, l. leuia, ff. eo.

Quis Finis & Effectus?

Primò, vt illi, qui humanæ cõsotiationis trãquillitatẽ turbãt, pro qualitate delicti, puniantur, vt alij malo dediti deterreãtur, & boni quietè viuere possint, c. non frustrà, 23. q. 5. Ob id esse dicitur publicę vtilitatis, ne maleficia maneant impunita, c. vt famę, extr. de sentent. excõ. In his aũt, vt tradit Marcianus, lib. 2. de publicis iudicijs respiciendũ est iudicãti, ne quid aut duriùs, aut remissiùs, q̃ causa deposcit, constituat. Nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gratia affectanda: sed perpenso iudicio, prout quæq; res postulat, statuendũ est. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatẽ iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatẽ legũ cum aliquo temperamẽto benignitatis subsequi, l. respiciendũ, ff. de pœnis. Secundò, vt is, qui in accusatione deficit, pœnã illati criminis cũ dispendio existimationis patiatur, vt damno pudoris & existimationis iactura discat, sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari saltẽ decæterònõ licere, c. si qs, c. qua aũt, 2. q. 3. Calumniator enim in accusatione deficiens, nec obiectũ crimen probans, (vt Canonum censura definit) talionem recipit, pœnãqúe, quã ipse inferre intendit, patitur, c. calum-

niatur,&,c.qui nõ probauerit,2.q.3. Et sciendũ, quòd de iure canonum non imponantur pœnæ capitales,seu corporales mortis, vt notat Innocentius,in c.qualiter & quando,ext.eo. allegans c.1.&,c.2.dist.51.& Specul.tit.de accu.§.secundo, nu.2.allegans c.cùm non ab homine,ext.de pub. iud.licet sit arg.contra,ext.de maio. & obedien. c.2. &, c. qui filij sint leg. c. per venerabilem,& 2.q.7.c.secuti,§.quia verò non omnes,&, 5.q.6. c.delatori. Sed degradatio,depositio, suspensio, excommunicatio,& huiusmodi,vt ibi,& 24.q. 3.c.corripiãtur,11.q.3.c.nemo,&,c.rursus,Et potest dici,quòd excommunicatio succesit seu cõparatur interdictioni aquæ,& ignis, in cuius locum succesit deportatio,l.2.ff.de penis,l. peculatus,ff.ad l.Iul. pecul. ita suspensio temporalis relegationi, depositio perpetuæ deportationi, degradatio capitis diminutioni, legalibus pœnis assimulantur,d.c.qualiter & quando,ex.eo.

Quæ Adiacentia?

Inscriptio,probatio criminis,citatio,litis contestatio,iuramentum,alijq; actus iudiciales.

Quæ Affinia?

Affinitatem quandam cum accusationibus habent actiones. Nam licet trifariam differant, respectu scilicet exordij,medij & finis. Exordij respectu quidẽ,quia pro ciuili iudicio intẽditur actio,pro criminali accusatio. Ratiõe medij: quia in ciuilib.adstringitur sol⁹ actor ad probãdũ,&, eo nõ probante,reus absoluitur. In criminali verò causa pluribus casib⁹ vtriq; litigantiũ probationis incũbit onus, vt habetur in l. faciliter, C. de abol. Accusatori quidẽ pro crimine intẽtato. Reo verò sup eius purgatione. Quib⁹ casibus,li-

cet accusator nõ planè probet: nõ tñ absoluitur Reus, sed ad purgationẽ infamiæ tenetur, l. vbĩ, & ibi Salyc. C. ad l. fal. Deniq; intuitu finis discrepãt. Quia in ciuilib. persecutionibus aliquid dari vel fieri actor petit: in criminalib. verò, ad vindictã & pœnã fisco applicandã, vel corporaliter sufferendã, agitur, Bar. in l. fi. ff. de priua. del. &, l. 3. ff. de sepul. viol. In plerisq; tñ inter se cõueniũt Quia vt in actionib⁹ ita & in accusationibus tres personę diuersis nominibus distinctę, ad cuiuslibet iudicij cõstitutionẽ, requiruntur. Deinde q; & horũ q̃dam sint ordinaria, q̃dam extraordinaria. Tertiò, q; vtrinq;, tã in ciuilibus, q̃ criminalibus, & citati, & libellus, & iuramentũ de calumnia, cæterę q; iudiciorũ solẽnitates requirũtur, auth. offeratur, C. de litis contest. & Bar. in l. 1. C. de iureiu. propter calum. dand. Deniq; cõueniunt in eo, q; siue per accusatorẽ, vel per denuntiatorẽ, crimen ad iudicẽ delatũ sit, siue ipse ex diuulgatione criminis excitatus sit, ad inquirendũ de eo, semper necesse sit Reũ, aut suspectũ de crimine vocari, vt ad iudiciũ veniat Affinia etiam sunt, interdicta, exceptio, denuntiatio, inquisitio, c. qualiter & quãdo, §. ad corrigendos, ext. eo, &, c. meminimus, &, c. super his, extr. eod. Et quomodò illa discrepant? Vide in d. c. super his.

Quæ Pugnantia?

Impedimentũ in causa efficiente, defectus materiæ, & vitium formæ libelli accusatorij, vel inscriptionis. Impedimenta in causa efficiẽte sunt coactio, vilitas personæ, proximitas, consanguinitas, absentia accusati, mors vtriusq; tam accusatoris, quàm accusati, criminis participatio

vel aliud crimen, quod accusatorem ad accusandum inidoneum reddit. vt est latrocinũ, homicidium, furtum, sacrilegiũ, rapina, adulterium, periuriũ. contrariantur etiã, hæresis, apostasia, calũnia, pręuaricatio, inimicitia, infamia, excõmunicatio, symonia, &c. Defectus materię deprehenditur, si crimen, delictũ nõ sit enorme, publicum, sed priuatũ: si nõ agitur ad vindictã publicam, sed ad interesse priuati alicuius. vel si eorũ executiones; denunciationes, siue accusationes ad illos tantùm pertinent, quibus inferuntur: vt furtum, iniuria, damnum, crimen abigeatus, l. fin. ff. de fur. l. fin. ff. de priua. delict. Vel si super crimine publico (excepto adulterio) pœnam sanguinis ingerente transactio, vel pactum fuerit interpositum. vitium libelli accusatorij, vel inscriptionis ipsam accusationem ita perimit vt rei nomen, etiam illo non opponente, vnà cum libellis aboleatur, licet ex integro repentendi Reum potestas fiat, l. libellorum, ff. eod. vitiatur autem, cùm omittitur tempus, locus, persona, cum qua crimen admissum est, &c. d. l. libellorũ, &, c. perscripta, 3. q. 1.

Quid est Inquisitio?

Secundum tituli membrum est, De inquisitionibus. Est autem inquisitio nihil aliud (secundũ Hostiensem) quàm alicuius criminis manifesti, ex bono & æquo iudicis competentis, Canonicè facta inuestigatio, c. qualiter, extr. eod.

Quotuplex est Inquisitio?

Triplex. Generalis simpliciter. i. quantùm ad personas & delicta. Vt cũ præses inquirit: an sint homines facinorosi? de qua in l. cõgruit, ff. de of. præsid,

Specialis simpliciter, id est, inquantùm ad personas & delicta. Vt cùm de certo & limitato delicto contra certam personam præses vel prælatus inquirit, de qua l. ea quidem, C. de accus. Generalis simul & specialis, siue sit generalis quò ad personas, & quò ad delicta. Specialis: vt cùm præses inquirit contra eos, qui Titium occiderũt: siue contrà sit generalis, quò ad delicta, & quò ad personas specialis: vt cùm potestas vel aliàs punitur ad syndi. licet Panor. in d.c. qualiter aliã diuisionem ponat, quem ibi vide.

Qua causa Efficiens?

Lex diuina & canonica iuncta authoritate Prælati, vel Superioris merum imperium habentis, vel q ius corrigẽdi & puniẽdi habet. Possunt. n. Papa, Imperator, inquirere per suos Legatos seu delegatos. Episcopi tamẽ in suis diœcesibus, Metropolitanus in sua prouincia, in casibus, qui notantur in c. pastoralis, ext. de off. Ord. Præses prouinciæ. Et quicunq; habet cognitionem causę criminalis, c. cùm dilectus, ext. eod. &, d.c. qualiter. Non autem si sit criminosus, inimicus, publicus concubinarius, &c. c. cùm dilectus, eod.

Quæ Materia?

Crimẽ aliquod graue & enorme: vt est homicidiũ, simonia, adulteriũ, fornicatio, periuriũ, incestus. Nam super leuibus & dissimulandis criminibus non inquiritur, c. inquisitionis, ext. de accusat. c. cùm I. & A. extr. de re iud. De quibus omnibus vide Specul. tit. de inquisi. §. quãdo aũt.

Quæ Forma?

Vt, præcedente fama, optimeq; cognita, patrati cri-

ti criminis, ſuſpiciõe Pręlat⁹ inquirés, ſiue ſit Ordinarius, ſiue delegatus, & loca & perſonas oculis ſubijciat, & in præſentia eius, contra quẽ faciẽda eſt inquiſitio, (niſi per contumaciã ſe abſentauerit) exponat illa capitula, de quibus fuerit inquirendũ: & non ſolùm dicta, ſed etiam nomina teſtiũ publicet: vt qđ? & à quo? ſit dictũ, appareat habeatq; facultatem defendendi ſeipsũ, nec non exceptiones & replicationes legitimas admittat, ne per ſuppreſsionẽ nominũ infamãdi, per exceptionũ verò excluſionẽ deponẽdi falsũ, audacia p̃beatur, vt notat Innocẽ. III. in c. qualiter 2. ext. eo. §. debet igitur. Nota tñ, quòd quibuſdã caſib⁹ exceptis, cùm fama loco accuſatoris ſit, & in ea teſtes recipiantur, lite non cõteſtata, obſeruationem proceſſus iudiciarij non eſſe neceſſariã, d.c. qualiter, &, c. licet Heli, ext. de Simo. Forma aũt iuramenti, q⁹ quandoq; inquiſitores exigunt ab inquiſitis, habetur in c. qualiter 1. ext. eod.

Quis Finis & Effectus?

Eſt punitio delicti cõmiſsi. Circa q⁹ diſtingue. Aut cõuincitur qs de crimine, per inquiſitionẽ, q̃ fit ex officio: & tunc ab adminiſtratione remouetur. Aut per inquiſitionẽ factã aliquo denũciante: & hoc caſu imponitur pœna, iuxta petitionẽ denunciãtis, d.c. qualiter 2. niſi ſit tale crimẽ, q⁹ & poſt peractã pœnitentiam impediat executionem officij. Quia tũc debet deponi, licet à denunciatore fuerit petitũ ſolũ, q⁹ ab adminiſtratione remoueretur. Conſiderandũ tñ eſt, vtrùm denũciatio ſit Euãgelica, canonica vel iudicialis. In ſimplicibus verò clericis debet pœna imponi iudicis arbitrio, niſi pœna ſit expreſſa in iure: ga tunc

tunc illa imponetur, c. de cauſis, ex. de off. del. &, c. per inquiſitionē, ext. de elect. De pœna aũt regulariũ habetur in c. dilectus, ext. de ſim. Si aũt teſtes ſuper inqſitione inducti, probent aliquod crimen, de quo non fuerat infamatus, illi non p̃iudicat, nec ex hoc damnabitur. Illud autē certũ eſt, quòd qualitercunq; agatur, ad pœnã, ſi certa pœna, ſuper crimine, de quo agitur, in iure ſtatuta eſt, illa infligenda erit, vt 2. q. 3. §. notandũ, verſùs princi. Alioqn iudicis arbitrio imponitur, d. c. de cauſis, extr. de off. deleg. &, l. 1. C. de iure delib. Licet ſecundũ petitionis modũ, vt cùm agitur per modũ accuſationis, denũciationis, inqſitionis, vel exceptionis, Dd. & aliter diſtinguunt.

Quid Denunciatio?

Tertiũ tituli membrũ eſt, de denunciationib. perq̃ aliquãdo ad inquiſitionē ꝓuenitur, & nihil aliud eſt (ſecundũ Hoſt.) quàm criminis alicui⁹, apud iudicē, ſine inſcriptiõe legitimè facta delatio: ad pœnitentiã peragendã, vel aliã pœnã legitimã imponendã, c. 2. 3. c. ſuper his, &, c. dilectus filius, ext. eo. *Quotuplex Denunciatio?*

Triplex. Euangelica, Iudicialis, & Canonica, Bald. in add. ad Speculat. tit. de denunc.

Quid Euangelica?

Euangelica eſt, quę tantùm ad pœnitentiã fit, & locum habet, in peccato occulto: ſed non omninò occulto, verùm, quod aliquo modo probari poteſt. Quia omninò occulta ſoli Deo reſeruãtur, c. ſicut nobis, ext. de ſim. &, c. Chriſtiana, 32. q. 5. Ad hãc tenetur Prælatus, & etiã quilibet quãtumcunq; infamis, dũ tñ nõ perſeueret in crimine, admittitur, 2. q. 1. c. ſi peccauerit, ext. de teſt. c. in omnibus.

Quid

Quid Iudicialis: Et quotuplex?

Iudicialis distinguitur. Nam alia est publica: alia priuata. Publica iudicialis dicitur, illa, q̃ ex officio publico competit, & ad eam faciendã nõ quidẽ monitio, sed Episcopi, vel eo negligente, Archiepiscopi inquisitio, requiritur, c. Romana, ext. de cens. c. Mennam, 2. q. 5. Priuata est, q̃ ratione proprij interesse competit, multis q̃ casibus tã legibus, quàm canonibus permittitur: Vt si quis me iniuria afficiat, rem meam auferat. & habet locum, cùm oppressus nequit agere. Puta: quia seruus vel alterius potestati subditus est, vt libertus, vel filius, vel vxor, & similes. Et in his, quæ spectant ad forum venale, & rusticis oppressis, & dominis, l. 1. §. quòd autem, §. cùm patronus, &, §. cura carnis, ff. de off. præf. vrb.

Quid Canonica Denunciatio?

Canonica denunciatio est illa, in qua aliquod priuatum interesse non includitur: sed fit ad pœnitentiam peragendam, quam denunciator prosequi tenetur; aliàs iudex ex officio eã perducit ad effectum, c. cùm in tua, extr. de sponsa. c. ad nostram, ex. de iurei. Nec in ea requiritur trina monitio, c. ad dissoluendum, extr. de desponsa. impu. c. fin. extr. de cland. desponsa. &, c. præterea 2. extr. de sponsa.

Quæ causa Efficiens?

Lex diuina, canonica & ciuilis, permittẽs cuiuis, qui bonæ vitæ, famæ, & cõuersationis est, & qui ad hoc ex charitate, non ex odij vel inuidiæ concitatione procedit per se, vel procuratorem, denunciare, vel denunciationem prosequi, c. repellantur, &, c. qualiter, ext. de accusat. c. si pecca-

ue-

uerit,22.q.1.c.cùm in iuuentute, verſ. licet igitur,ext.de præſumpt.c.ex parte,ex.de teſti.

Quæ Materia?

Quoduis crimen occultum,quod aliquo modo probari poſsit,auth.de manc.princ.§.ſi tibi, col.3.in auth.de collat.§.iubemus,col.9.

Quæ Forma?

Vt pręcedẽte monitiõe charitatiua, nulla facta inſcriptione,denũciatio apud Superiorẽ fiat, ad hoc,vt denunciatus etiã nõ porrecto denunciationis libello, (cùm in ea de plano procedatur,) pœnitentia iniuncta:vel ſi grauiorẽ pœnã crimi nis cõmiſsi qualitas infligi ſuadeat, corrigatur. ſicutienim accuſationẽ,legitima inſcriptio,& inquiſitionem,clamoroſa inſinuatio,ita etiam denunciationem charitatiua monitio præcedere debet.Monitionis autẽ forma habetur in c.ſi peccauerit,2.q.1.Et probãtur præmiſſa,c.nouit,ext. de iud.&,c.2.c.inquiſitiõis,c.qualiter, &,c.fi.&, accedens,ext.eo.&,c.ſicut Heli,ext.de ſim.c. hoc videtur, 22. q. 5. c. quapropter, 2. q. 7. &, c. venerabili,ex.de off.dele.Imò formã denunciationis, & quòd eam debeat præcedere charitatiua monitio,docet Chriſtus,Matth.8.Luc.17. Apoſt. 2.ad Corinth.13.& vt illam authoritatem explicat Specul.li.3.part.1.tit.de denun.nu.3. inquiẽs: Si peccauerit in te,id eſt,cõtra te,vel te ſciẽte,frater tuus,id eſt,quilibet Chriſtianus,c.ad mensã, 11.q.3.vade & corrige,i.charitatiuè argue eũ, inter te & ipſum ſolum,id eſt,ſecretè, d.c.ſi peccauerit,2.q.Si te audiuerit, lucratus es fratrẽ tuũ, id eſt,animã vel ſalutem fratris eũ à peccatis retrahẽdo:ſi te non audierit, adhibe tecum vnum

vel

vel duos: ſupple de illis, qui hoc ſciunt: aliàs eſſet ꝓditor criminis, vt in ꝑal. c. ſi peccauerit, q̃ eſſe nõ debet, c. placuit, diſt. 6. de pœn. vel talib. q̃ poſſint ꝓdeſſe & nõ obeſſe, vt, c. hoc videtur, 22. q. 5. Vt in ore duorũ, ſcilicet tui & alterius, ſi. n. vnũ adhibet: vel triũ, ſcilicet tui & duorũ, quos adhibet, ſtet õe verbũ, i. ꝓbetur charitatiua monitio. Quòd ſi nõ audierit, ſcilicet cũ effectu, q̃ ſe nõ corrigit, dic. i. denuncia Eccleſiæ, i. Prælato, q̃ eſt in Eccleſia, c. ſcire, 7. q. 1. ſi aũt Eccleſiam, i. Prælatũ, ſeu eius monitionẽ non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, id eſt, gentilis, c. nonne, 1. q. 1. vel excommunicatus, i. alienus à participatione: Et publicanus. i. publicè peccãs. Hæc authoritas Euãgelij habetur, c. nouit, extr. de iud. &, d. c. ſi peccauerit, c. quemadmodũ, ext. de iureiu. c. præcipuè, 11. q. 3.

Quis Finis & Effectus?

Primus. Vt ꝓ quálitate delicti denũciatus corrigatur, vel cõuictus remoueatur à beneficio vel interdicatur ei Ordinis executio, vel iniũgatur ei reſtitutio, vel, ſi ad correctionẽ tãtùm agatur, ſpiritualis pœna tantùm ei imponatur, c. ſi quis neq̃, 1. q. 1. c. requiritis, 1. q. 6. c. nerui, diſt. 14. c. læpè, ext. de reſtitut. ſpoliat. c. 1. ext. de off. cuſtod.

Secundus effectus eſt. Quòd licet denuncians ad talionẽ non teneatur: ſi tamen in probatione deficiat, donec ſuã purgauerit innocentiã, ab officio & beneficio ſuſpenditur: & de calumnia punitur, vt cæteri, ſimili pœna perterriti ad alios infamiã facilè non proſiliant, c. fin. ext. de calũ. c. quapropter, 2. q. 7. hoc igitur effectu differt denunciatio ab ab accuſatione: 1. Quòd accuſator deſtitutus probationib. ad talionẽ teneatur, i. eã pœnam debeat incurrere, q̃ ſi ꝓbaſſet, reus ſuſti-

here debebat,c.q̃ aũt,2.q.3.Nõ autẽ denũciator. 2.Differt fine.Quia finis denũciatiõis potiſsimũ eſt correctio,licet in conſequẽtiã aliæ pœnę infligãtur.Accuſatiõis aũt finis eſt pœnę ꝓ qualitate delicti patrati impoſitio,c.ecce,24.q.3. 3 Differt forma.Quia accuſatio fit per inſcriptionẽ,ſed in denũciatione nulla inſcriptiõe opꝰ eſt.Cũ nõ cõueniat rei & negotio,vt qſe inſcribat ad taliõis pœnã,q̃ nõ foret imponẽda,d.c.qualiter,ext. eo.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Illi,q in accuſatiõe deficiũt canonũ cẽſura,pœna illati criminis cũ diſpẽdio exiſtimatiõis puniũtur,c.1.c.2.q.3.

Qui non probauerit,quod obiecit,pœnã q̃ ipſe intulerit,patiatur,c.qui non probauerit,2.q.3.

Aliud eſt,crimẽ illatũ nõ poſſe ꝓbari,aliud,aliq̃ ꝓmiſſiõe accuſationẽ deſerere.Huic.n. q ꝓmiſſiõe deceptꝰ accuſationẽ deſerit,venia datur,illi verò,q crimẽ illatũ ꝓbare nõ valuerit,infamia irrogatur,c.ſiqs iratus, 2.q.3.

Accuſatorum perſonæ nunquam recipiantur ſine ſcripto,nec abſente eo,quẽ accuſare voluerint, quibuſlibet accuſare permittatur,c,accuſatorum,2 q.8.

Sciãt cuncti accuſatores,eã rẽ ſe debere inferre in publicã notionẽ,q̃ munita ſit teſtibus idoneis, vel inſtrumẽtis apertiſsimis documẽtis,vel indicijs ad ꝓbationẽ idoneis, vel indubitatis et luce clariorib.expedita,c.ſciãt,2.q.8.

Illæ perſonæ, quas ciuiles leges ad accuſandum non admittunt,nec canonibus admittuntur. Cùm indignum ſit ſuperiores pati ab inferioribus,quæ inferiores ab eis pati deſpiciunt,c.accuſationes,&,c. accuſatores,3.q.5.

Qui inimicitijs ſtudet,vel facilè litigat, nec accuſator nec teſtis eſſe poteſt:ſicuti nec inimici iudices eſſe poſſunt,c.nullus,& quod ſuſpecti,3.q.5.

Ibi

Vbi causa agitur, vbi crimen admittitur: & qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulerit: ipse pati debet, c. ibi semper, c. si quis, &, c. qui crimẽ, 3. q. 6.

Quælibet proximorum errata conspicientes, nõ hæc ante reprehendendo iudicare, quàm ad conscientiã nostram humiliter reuersi, digito eam discretionis solerter exculpemus: & quid in ea conditori placeat, quidve displiceat, examinatione dirimere debemus, c. postulatus, 3. quæst. 7.

Cuius in agendo vel accusando, quis obseruat arbitrium, eum habere etiam contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur, c. accusatores, 3 q. 8.

Absente eo, quem accusare voluerit quisquam, accusatori non credatur: quia sine scripto difficile est: per scriptum aũt nunq̃ recipiatur. quia per scripturã nullus accusari potest, sed propria voce, & præsente eo, quem accusare voluerit suam quisq; agat accusationem, c. absente, 3. q. 9.

Altera parte absente diffinitiua non feratur sententia, c. reuerà, &, c. absens, 3. q. 9.

Qui quod obijcit probare non valet, decaterò ad arguendũ nõ admittitur, nisi priùs propriã causam ciuilẽ duntaxat asserere voluerit, c. si accusatorem, 3. q. 10.

Neganda est accusantis licentia criminandi, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint. Quia nõ est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi se probauerint innocentes: quoniã periculosa est, & non debet admitti rei aduersus quemcunq; possessio, c. neganda, &, c. non est, 3. quæst. 11.

Nullus vnquam præsumat accusator simul esse, &

testis

testis vel iudex. Quoniam in omni iudicio quatuor personas semper necesse est esse: scilicet iudices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, & testes legitimos. Iudices autem debent vti æquitate, testes veritate, accusatores intentione ad amplificãdam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam, c. nullus vnquam, &, c. seq. 4. quæst. 4.

Inscriptio necessaria est, vt calumniator talionem recipiat. Quia ante inscriptionẽ, nemo debet iudicari vel damnari, d. c. nullus, 4. q. 4.

De domo iudicis accusator vel testis produci nõ debet, ne in causam suspiciõis incidat iudex, c. cõtra, 4. q. 4.

Omnibus, quibus accusatio denegatur, in proprijs causis accusandi licentia non est deneganda, c. omnibus, 4. quæst. 6.

Non omnis, qui parcit amicus est: nec omnis, qui verberat, inimicus. Meliora enim sunt vulnera amici, q̃ voluntaria oscula inimici: Sicuti melius est cum seueritate diligere, quã cũ lenitate decipere, c. nõ omnis, 5. q. 5.

Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est, omnes, qui Christianæ legis normam abijciunt, & statuta ecclesiastica contemnunt: similiter fures, sacrilegi, & omnes capitalibus criminibus irretiti, c. infames, 6. q. 1.

Accusator quod asseuerat profitendo se probare non posse, reum necessitate monstrandi contrarium, non adstringit; cùm per rerum naturam, factum negantis probatio nulla sit. Tamen, propter scandalum remouendum ex eo authoritate Gregorij imponitur onus purgandæ famæ suæ, modò publica fama ipsi nimium non obsistat, c. accusator, 6. q. 5.

Afflictio afflictis non est addenda, ne culpæ offensam in se quis retorqueat, c. cùm percussio, 7. q. 1.

Iuri suo cedere nemo tenetur, c. q̃ periculosum, 7. q. 1.

Plurimorum vtilitas, vnius vtilitati, vel voluntati præferenda est, c. scias, 7. q. 1.

In criminalibus accusando, denunciando & inquirendo proceditur. Sicut igitur accusationem legitima inscriptio præcedere debet, ita denunciationē charitatiua monitio, & inquisitionē clamorosa insinuatio, c. prælatorū, extr. eod.

Agenti possessorio adipiscendæ in beneficialib. nō obstat exceptio criminis, nisi de eo sit infamat⁹, et infamato accusatore nō probāte, vel nō apparēte, indicitur purgatio, in qua si defecerit, punitur vt cōuictus, c. accedēs, ex. eo.

Crimē probatū p modum inquisitionis regulariter pœna ordinaria non punitur: sed si impedit ordinis executionem sicut in accusatione, sit depositio: et si impedit tā tùm beneficij retentionē, sit priuatio à beneficio, nec potuerit iudex hanc pœnā moderari, c. inquisitionis, ext. eod.

De veritate criminum, non inquiritur, nisi priùs constet de infamia. Et tum non inimici, vel periuri, sed idonei viri ad prosequendum inquisitionem, & ad testimonium, admittuntur, c. cùm oporteat, extr. eod. (ex. eo.

Iudicium criminale sine accusatore non procedit, c. 1.

Euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris, c. euidentia, extr. eod.

De his criminib. de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari, c. de his, ext. eod.

Dicens se aliquē accusaturū corā iudice, ante inscriptionē sine pœna desistere potest: sed ei desistēti silentiū perpetuum imponitur: eo aut ad accusationem procedente,

ad talionem pœnæ se inscribere tenetur, c. licet, ext. eod.

Denunciator criminis se nõ inscribit, quia ad correctionẽ tendit: accusator aũt inscribit, quia tendit ad pœnã. Excipiens verò inscribit ad pœnam extraordinariam, si per exceptionem crimen opponendo, ab intentione repellatur, c. super his, extr. eod.

Si is, de cuius crimine in iudicio cõstat, petit restitutionẽ, propter iudiciariũ ordinem non seruatum, nõ est audiendus: sed eum tanq̃ notorium criminosum debet Superior de nouo priuare, c. ad petitionem, extr. eod.

Non punitur quis de crimine, de quo non constat, nisi per famam & testiũ credulitatem: & per dicta paucorum non debet quis infamatus apud iudicem reputari, c. inquisitionis, §. quæsiuisti, ext. eod.

DE CALVMNIATORIBVS.

Titulus II.

Continuatio.

Contrariatur calũnia accusationi & denunciationi: cùm ea ad puniendos & corrigẽdos delinquẽtes instituantur. Non autẽ dici potest innocens, qui falsitate criminis per calumniã accusatoris vel denunciatoris intẽtati, grauatur, delinquere, cuius delicti falsò conficti gratia pœna aliqua afficiatur, sed potiùs accusator obijciendo cõmẽta, pœnã q̃ reus probato crimine subijsset, in se retorquet, vt Impp. Honor. & Theod. in l. fi. C. de cal. aiunt: Quisquis crimẽ intẽdit, nõ impunitã fore nouerit mentiẽdi licentiã, cùm calũniãtes, ad vindictã poscat similitudo supplicij. q; & ad alterũ accusatiõis effectũ ptinere, dictũ est.

Quid est Calumnia?

Calũmnia est, dolosa q̃dã machinatio, qua fraudulen-

lenter, iniustè & temerè vexandi alterius causa, lis mouetur: siue illa sit criminalis, siue ciuilis, l. 1. §. calumniari, ff. ad senatusconsul. Turpil. l. cui necessitas, §. 1. ff. de lib. causa.

Quomodò accipitur verbum Calumniandi?

Generificè & specificè accipitur. Siquidem calūniari generatim omnē ingenij malitiā atq; versutiā cōplectitur, strictiùs autē & magis propriè, ad fraudes litigatorū, restringitur, i. actorū, accusatorū, & reorum. Hinc actor, vel accusator, falsa crimina alicui intētando vel petendo q; nō debetur, calūniari dicitur, d. l. 1. §. calumniari, ff. ad senatusconsult. Turpil. eodē modo, reus calūniari dicitur, q obiecta fraudulenta exceptione petitorē frustratur, & sciens prudens q; per exceptionem opponendo falsa crimina, aduersarium suū vexat, tot. tit. C. de iureiur. propter calū. dand. Hostiens. in tit. de excep. lib. 5. vtrunq; Paulus, lib. 1. receptarum sententiarum, c. 5. complexus est. Criminosus est, inquit, qui sciens, prudens q; per fraudem alicui negotium comparat.

Quæ causa Efficiens Calumniæ?

Mens accusatoris ad calumniam directa. Quādo autē accusator calumniandi animū habeat? eius inquisitio iudicis arbitrio cōmittitur. Qui Reo absoluto, de accusatoris incipit quærere cōsilio: qua mēte ductus ad accusationē processerit? Temeritas. n. facilitatis veniā continet: & inconsultus calor calumniæ vitio caret, vt notatur in c. si quē pœnituerit, 2. q. 3. &, c. si quis iratus, 2. q. 3.

Quæ Materia?

Crimen vel negotiū aliquod ciuile: cuius falso prętextu actio, vel accusatio aduersarij vexā-

di cau-

di causa, institutur, d.l.1.§.calumniari, ff.ad senatusconſ.

Quæ Forma?

Vt accuſator animo calũniandi, vel vexãdi reũ, crimen intentet, & in eius probatione deficiat. Non tñ, qui non probat, quod intendit, protinꝰ calumniari præſumitur: ſed ſi iudicanti ex propoſito accuſatoris ita viſum fuerit, d.c. ſi quẽ, §. ſed non vtiqꝫ, 2.q.3. Nec ſolùm crimẽ falſum intentãdo quis, verùm etiam actionem ciuilẽ fraudulenter, dolosè, iniuſtè, temerè, moleſtandi alterius cauſa, inſtituendo, calumniari dicitur, l. poſtquam, ff.de petit.her.cui neceſsitas, §.1.ff.de lib.cauſ. Calumniator etiam perhibetur, qui pecuniam, vt alicui negotium faceret, vel non faceret, accepit, tot.tit.ff.de calumniatoribus.

Quis Effectus?

Si crimẽ falsũ per accuſationẽ calumniosè intentatur, accuſator ſimilitudine ſupplicij, qꝫprobato crimine reꝰ ſubijſſet, cũ exiſtimationis diſpẽdio plectitur, c.1.2.2.q.3. Nam, vt dicitur in c. quiſquis, 2.q.8. calumniantes ad vindictã poſcit ſimilitudo ſupplicij, & in c.calũniator, 2.q.3. calumniator ſi in accuſatione defecerit, talionẽ recipiat. Subdiaconꝰ tñ calũniosè accusãs criminis diaconum, ob quod diaconus probato crimine, degradaretur: cùm ipſe pari pœna, quaſi gradũ quẽ non habet, amittere non poſsit, ſubdiaconatu priuatur, & publicè verberibus caſtigatus, in exilium deportatur, c.1.ext.eo. Denunciator etiã in probatiõe criminum, q̃ contra Prẹlatũ ſuũ obiecit, deficiẽs, donec canonicè ſuã purgauerit innocentiã, ſcilicet, quòd nõ calũniandi animo ad huiuſmodi crimina proponẽda proceſsit, ab

officio & beneficio ſuſpenditur : vt cæteri ſimili pœna perterriti, ad infamiam ſuorum prælatorum facilè nõ proſiliant, c. cùm dilectus, ext. eo. &, c. quia iuxta, 5. q. 6. Si autem alio modo calumnia fiat pœna extraordinaria ex arbitrio iudicis ĩponitur, c. ſuper his, extr. de accuſat. licet accepta calumniæ cauſa pecunia, vt negotium faceret, vel nõ faceret, intra annũ in quadruplum eius pecunię quã accepiſſe dicetur, poſt annũ autem ſimpli in factum detur actio, l. 1. ff. de calumniatorib. Et eſt textus in c. in eum, qui vt calumniæ, 1. q. 1. Non tamẽ qualibet iudicis pronuncia tione pœna legitima vel canonica irrogatur accuſatori. Nam ſiquidem iudex ita pronunciauerit: non probaſti: pepercit accuſatori. ſi autẽ pronunciauit: calumniatus es: condemnauit eum; & quanuis nihil de pœna ſubiecerit, tamẽ legis poteſtas aduersùs eum exercebitur. Nam, vt Papinianus reſpondit: facti quidẽ quęſtio in arbitrio iudicantis eſt; pœnæ verò perſecutio, nõ eius voluntati mandatur, ſed legis authoritati reſeruatur, d. c. ſi quẽ pœnituerit, §. ſi verò, 2. q. 3. &, l. 1. ff ad ſenat. conſult. Turpil. & de abolitionib. cri.

Quæ Affinia?

Dolus, deceptio, mendacium, pręuaricatio, tergiuerſatio, accuſatorũ temeritas tribus modis detegitur, inquit Marcianus, libro ſingulari, ad ſenat. conſult. Turpil. & tribus pœnis ſubijcitur. Aut enì calumniãtur: aut prauaricantur: aut tergiuerſantur. Calumniari eſt, falſa crimina intendere. Præuaricari verò, vera crimina abſcondere. Tergiuerſari, in vniuerſum ab accuſatiõe deſiſtere, d. l. 1. ad ſenat. conſult. Turp. &, c. ſi quem, 2. q. 3.

Quæ Pugnantia?

Veritas & probatio criminis, abolitio inſtitutæ actio

nis

nis vel accusationis. Dicitur enim abolitio institutæ actionis vel accusationis peremptio. Cuius causa efficiēs est, Principis authoritas, ipsa lex, & consensus partium. Vnde abolitio dicitur publica, priuata & legalis. Publica est, quæ publicè à Principe conceditur, ob diem insignem, publicam gratulationem, vel ob rē prosperè gestam. Priuata est, quæ actore postulante cum consensu Rei qui tormēta, vel quid aliud passus est, permittitur, l. fallaciter, C. de abolitionib. &, l. aut priuatim, ff. ad se natusconſ. Turpil. Legalis est, quæ per legem accusatore mortuo, vel ex iusta causa impedito, quò minùs accusare possit, fieri cōtingit, d. l. aut priuatim, §. tertiò, ff. ad senatusconſ. Turpil. Forma impetrandę & concedē dę abolitionis habetur in l. abolitio, &, l. fallaciter, C. de abolitionib. Finis & effectus est, actiōis vel accusatiōis extinctio, remissio pœnę, non aūt purgatio ab infamia. Quia abolitio tantùm pœnam remittit, non aūt infamiā tollit, d. c. si quē, §. si quis autem, verſ. abolitio, 2. q 3. potissimùm, si à Principe abolitio conceditur. Nā, vt dicitur in l. fin. C. de generali abolit. Indulgētia Principis quos liberat, licet pœnæ gratiam faciat, infamiā tamē criminis nō tollit, d. c. si quis, §. indulgētia, 2. q. 3.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Facti quæstio in voluntate iudicantis est, pœnæ autē persecutio non eius arbitrio mandatur, sed legis authoritati reseruatur, c. si quis, 2. q. 3.

Temeritas facilitatis veniam continet, & incōsultus calor calumniæ vitio caret, d. c. si quis, 2. q. 3.

Destitisse eum accipimus, qui in totū animū agēdi deposuit: nō qui distulerit accusationē, d. c. si quis, 2. q. 3.

Verbum, Restituo, nō tantùm pœnam remittit, sed etiā honoribus, ordini, alijs q̄, omnibus restituit. Indulgentia autem tantùm pœnæ gratiam facit: non autem criminis infamiam tollit, d. c. si quis, §. indulgentia, 2. q. 3.

Calumniator, si in accusatione defecerit, talionẽ recipiat, c. calumniator, 2. q. 3.

Calumnia, propter exemplum, grauiùs punienda: ne alij eadem facilitate ducti ad accusationes, vel nunciationes prosiliant, c. fin. ext. eod.

Calumniantes ad vindictam poscit similitudo supplicij, c. quisquis, 2. q. 8. c. qui calumniam, 5. q. 6.

Omnis, qui falsa intulerit, puniatur, & pro falsitate ferat infamiam, c. omnis, 5. q. 6.

Si quis falsum dixerit, vel personam innocentis falso crimine maculauerit, iuxta sacerdotis arbitriũ diutur na pœnitentia expurgetur, 5. q. 6.

Per delationẽ alteri nocere, Christianæ charitati aduersatur. Delatores autem sunt, qui inuidiâ produnt alios, c. delatori, extr. eod.

Aliud est, ex charitate aliorum crimina deferre: vt quos secreta admonitione corrigere non possumus, cõuictos iudicis sententia corripiat: atq; aliud insidiando falsa obijcere, vel insultando vera facilè exprobrare. illud enim charitatis, hoc impietatis est officium. Vnde prouerbium: Verba impiorum insidiantur sanguini, Os iustorũ liberabit eos, c. qui ambulat, § sed aliud, 5. q. 5.

DE SIMONIA: ET NE QVID PRO Spiritualibus exigatur, vel promittatur.

Titulus III.

Continuatio.

Crimen publici iudicij, ipsiusq; accusationis materia est: Simoniæ aũt crimen, quò cæteris detestabilius, eò grauiùs Diuina traditiõe vtriusq; testamẽti (vt ex varijs exẽplis apparet) vindicarũ fuit, c. eos qui per pecunias, c. sicut simoniaca, ex. eo. tit. &, c. qui studet, 1. q. 1. c. tãta est labes, ex. eo.

Quid est Simonia?

Simonia est, secundùm Abbatem, in c. nemo, ext. eo. Rei spiritualis, vel spiritualibus annexę, cum aliquo temporali facta commutatio.

Vnde dicitur Simonia

Simonia dicitur à Simone mago, qui primus hoc abominando crimine in nouo Testamento Diuinę gratiæ pertinaciter repugnauit, sibiq; dã nationem comparauit. Appellatur etiam cupiditas Giezitica, à Giezi seruo Elizei, qui primò in veteri testamento gratiam sanitatis vendidit Naaman principi militię Regis Assyriorum: in cuius facti pœnam, lepra, qua Naaman laborabat, afficiebatur, c. qui studet, 1. q. 1.

Quotuplex Simonia?

Duplex est. Aut conuentionalis, aut mentalis. Conuẽtionalis est, cùm cõuentio, promissio, pactum, vel aliena conditio de cõmutanda temporali cõmoditate, pro spirituali re, interuenit, c. cùm super, extr. de confes. Vbi etiã notat Abb. & c. sunt nonnulli, 1. q. 1. Mentalis dicitur studiosa dantis, aut recipientis, cupiditas, nudaq; intentio vendendi vel permutandi spiritualia, vel spiritualibus annexa, absq; vllo actu subsecuto, c. fin. extr. eod. c. ex multis, 1. q. 1.

Quæ causa Efficiens?

Affectus animi, cupiditasq; & pactum vel promissio emendi, vendendi, vel alio modo cõmutandi spiritualia, vel spiritualibus annexa, d. c. fin. ext. eod. &, c. etsi quæstiones, ext. eod. c. veniens, c. ex tuæ, extr. eod. &, c. sicut Episcoporum, 1. quæst. 2.

Quæ Materia?

Spiritualia & ſpiritualibus annexa, quæ pro re temporali commutantur, vel munere aliquo conceduntur. Spiritualia ſunt: vt, cõſecrationes, benedictiones, ordinationes, Sacramentorũ diſtributiones, & q̃ habẽtur in c. nõ ſatis, &. c. cùm in Eccleſię, ext. eo. Vbi Alexand. III. ex Concilio Turonen. & Lateranenſi affert: Horribile nimis eſſe, vt in quibuſdam eccleſijs perhibetur, q̃ pro conſecratione vel cõfirmatione Epiſcoporũ, benedictione Abbatũ, & ordinatione quarũcunq; perſonarũ eccleſiaſticarũ, introductione presbyterorũ in eccleſiã: nec nõ pro ſepulturis, exequijs mortuorũ, benedictionibus nubentiũ, conſecratione & diſtributione ſacramentorũ, munera requirãtur, c. ſuã nobis, c. ſicut tuis, c. cõſulere &, c. ſicut pro certo, ext. eo. Quæ aũt ſint tẽporalia ſpiritualibus annexa? Docet Paſchalis Papa, c. ſi quis obiecerit, 1. q. 3. inquiẽs: ſi quis obiecerit, non cõſecrationes emi, ſed res, q̃ ex cõſecratione proueniut, penitus deſipere probatur. Nã cũ corporalis eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale quid, ſine rebus corporalibus in nullo ꝓficiat, ſicut nec anima, ſine corpore, corporaliter viuit: quiſquis horum alteru vẽdit, ſine q̃ nec alterum proueniit, neutrũ inuenditũ derelinquit. Nullus igitur emat præbendã, vel eccleſiam, vel aliquid eccleſiaſticum: nec paſtellum nec paſtum antea, nec poſtea pro huiuſmodi ſoluat, d. c. ſi quis obiecerit, & vt notatur in c. 1. 1. q. 3.

Preciũ vel munus in triplici genere eſt. Eſt. n. aliud munus ab obſequio, aliud à manu, & aliud à lingua. Mun⁹ ab obſequio eſt ſeruitus indebitè impen-

impẽſa. Munus à manu pecunia eſt. Munus à lingua, fauor. c. ſunt nõnulli, 1. q. 2. Sic totũ quicqd homines habẽt in terra, omnia quoru dñi ſunt, pecunia vocatur: ſeruus, vas, ager, arbor, pecus, quicqd horũ eſt pecunia dicitur. Hinc dicta, qa antiqui, q; habebãt in pecoribus habebãt, c. totũ quicquid, 1. q. 3. *Quæ Forma?*

Cùm res ſacra, vel ſpiritualis pro munere, ſiue ſit ab obſequio, ſiue à lingua, ſiue à manu, animo cõmutandi datur, vel recipitur, vel de ea danda vel recipiẽda tacitũ, vel expreſſum pactum, vel promiſsio interueniat, ſimonia committitur. Quoniã in ſpiritualibus ſpiritualibus q; annexis omnis cõditio, omnis promiſsio, omneqúe pactũ téporalis cõmoditatis ſimoniæ crimẽ inducit, c. quæſitũ, ext. de rerũ permutat. c. fi. extr. de pact. c. q̃ pio, 1. q. 2. Vnde, ſi ſine promiſsione, pacto, cõditione, & animo permutãdi qd pro re ſacra vel ſpirituali offeratur, abſq; ſcrupulo ſimoniacę prauitatis receptionẽ fieri poſſe, Inno. III. ſtatuit, in c. tua nos, ext. eo. Qđ & probatur in c. etſi q̃ſtiones, §. q; aũt, c. veniẽs, c. ex tuę, &, c. fi. ex. eo. In his tñ oblationib⁹ cõſiderãdũ eſſe, Hoſtiẽ. exiſtimat: 1. Quid offeratur? c. ſerui, diſt. 19. 2 Quale offeratur? c. pen. & vl. diſt. 49. 3. A q̃ offeratur? arg. c. in gradib. 3. q. 8. 4. Pro q̃ offeratur? c. dictũ eſt, 1. q. 1. 5. Qua intẽtione offeratur? c. in ſcripturis, 8. q. 1. c. officij, ext. de elect. 6, Quãtũ offeratur? c. Ananias, 17. q. 1. Et hoc eſt, q; Alexã. III. in c. etſi q̃ſtiões, ex. eo. obſcuriùs quodãmodò aſſerit cũ ait: In accipiẽdis vel dãdis munerib⁹ tria ſunt maxime attẽdẽda, p̃ſonę, ſ. dãtis & accipiẽtis, qualitas, quãtitas muneris, & donatiõis tẽpus. Qualitas p̃ſonarũ: vt à q̃? & cui? videlicet, an à paupere

diuite) vel econuersò, siue à diuite locupleti datum fuerit: æstimatio muneris & donationis: tẽpus, si magni vel minoris pretij res data existat, & an, instanti necessitate, seu alioq; tempore, conferatur, &c.

Quis Finis?

Vt per tẽporalia bona, spiritualia quis adipiscatur, fiatq; rei sacrę vel spiritualis cũ munere oblato cõmutatio, c. tua nos, §. licet aũt, extr. eo. &, c. fi. eod. *Qui Effectus?*

Sicuti inter Simoniacos distinguiur: ita cũ distinctionis moderamine Simoniaci varijs pœnis subijciuntur, vt refert Nicolaus Papa, in c. statuimus, vt sicut, &, c. statuimus decretũ, 1. q. 1. nã alij simoniacè ordinãtur à simoniacis. alij simoniacè à nõ simoniacis: alij nõ simoniacè à simoniacis ordinãtur. simoniaci simoniacè ordinati, vel ordinatores, secũdũ Ecclesiasticos canones à proprio gradu decidũt, simoniaci quoq; simoniacè à nõ simoniacis ordinati similiter ab officio malè accepto remouẽtur. A simoniacis aũt non simoniacè ordinati, siquidẽ probare potuerint, se cũ ordinarẽtur, nescisse, eos simoniacos esse, & q; tũc pro Catholicis habebãtur in Ecclesia, misericorditer per man⁹ impositionẽ pro tẽporis necessitate in officio permanere cõcedũtur: si tñ eos laudabilis vita cõmendet, c. statuimus, &, c. si qui, à simoniacis, 1. q. 1. De ijs aũt quos iusta ignorãtia nõ excusat, statuit Alexan. II. vt cõsecrator & cõsecratus nõ disparẽ dãnationis sentẽtiã subeãt: sed vterq; depositꝰ pœnitentiã agat, & priuatꝰ propria dignitate persistat, c. de cętero, 1. q. 1.

Secundus. Quòd si simoniacus non ordinẽ sed benefi-

beneficium Ecclesiasticum, putà, præbendam, vel prioratum seu decanatũ, aut honorẽ vel dignitatem execrabili ardore auaritiæ, per pecuniam acquirere contendit, perpetua infamiæ nota tenetur, c. fin. 1. q. 3.

Tertius effectus est. Canonicæ purgationis onus, quod imponitur simoniacis, si quidem crimen manifestum est: non tamen inde simoniaci conuicti vel confessi fuerint. Sed tantùm publica laborant infamia, c. de hoc, &, c. insinuatum est, extr. de simo.

Quartus effectus est. Depositio & remotio ab ecclesia. Sicuti enim simoniaca pestis, vt ait Lucius Papa, sui magnitudine alios morbos vincit: ita sine dilatione mox vt eius signa per aliquam personam claruerint (modò appareat, ob criminis euidentiam simoniacos se purgare canonicè non posse) dantes & recipientes de Ecclesia Dei eliminari, & repelli debent, c. sicut simoniaca, &, c. consulere, extr. eod. &, c. quos constiterit, 1. q. 1. Et nota, q̃ tãta labes sit huiꝰ criminis, vt etiã serui aduersùs dominos, meretrix & quilibet criminosi admittãtur ad accusa. c. tãta labes, ex. eo.

Quintus effectus est. Suspẽsio, & restitutio muneris exacti & recepti aliquãdo duplicati, textus est in c. veniens, &, c. audiuimus, extr. eod. &, si quis dator, 1. q. 1.

Quintus est. Infidelitas. Cũm enim omnis auaritia idolorũ sit seruitus: qui squis hãc & maximè in dandis ecclesiasticis honoribus vigilanter nõ præcauet, infidelitatis perditioni subijcitur: etiãsi tenere fidẽ verbis (q̃ negat facto) videatur, c. cũ omnis, c. vẽtũ est, §. his ita, &, c. Petrus, 1. q. 1.

Vltimus

Vltimus effect⁹ est. Perpetua dānatio: si simoniacus in hoc crimine perseueret, nec resipiscat, c. si quis dator, 1. q. 3. c. quos cōstiterit, &, c. ventū est, 1. q. 1.

Quæ Affinia?

Crimen auaritiæ, ambitus, vsura, furtum. Nā simoniæ crimen in Canone vocatur ardor auaritiæ, c. si quis p̄bendas, 1. q. 3. Et simoniacus cōparatur furi, c. ordinationes, 1. q. 1. Et denique simonia assimulatur crimini vsurarū, Hostiens. §. qualiter, eod. tit. Sicuti etiā per ambientis petitionem eam fieri contingit, c. sicut Episcoporum, 1. q. 2. in verbis: q̄ non ex ambiētis petitione processit.

Quæ Contraria?

Gratia gratis data. Vnde Leo Papa, in c. 2. 1. q. 1. Gratia, si nō gratis datur, vel accipitur, gratia non est: simoniaci autē non gratis accipiunt, igitur gratiam, quæ maximè in ecclesiasticis Ordinibus operatur, nō accipiunt: si nō accipiunt nō habent: si autē non habent, nec gratis nec nō gratis cuiq̄ dare possūt, &, c. gratiā, 1. q. 1. Oblatio voluntaria absq; vlla cōditione, pacto, vel promissione, c. tua nos, &, c. etsi quęstiones, ext. eo. pernitiosa cōsuetudo, c. ea quæ, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quæ malo inchoantur principio, non peraguntur bono exitu, c. principatus, 1. q. 1.

Quod nō habeo, dare nō possū, c. qui perfectionē, 1. q. 1.

Non superædificatur bonum opus, vbi Christus fundamentum non est, c. cùm Paulus. 1. q. 1.

Sicut Sol pertransiēs sordida loca, nō cōtaminatur: ita Sacramēta, administratione improborū clericorū ineffi-cacia nō redduntur, c. si iustus, 1. q. 1. &, c. nōne, 1. q. 1.

Charitas, quæ operit multitudinē peccatorū proprium

donum est Catholicæ vnitatis, & pacis, c. multæ, 1. q. 1.

Simoniacorum sacramenta effectu gratiæ carent, licet enim vera sint quò ad formam, inania tamẽ & falsa sunt quantũ ad effectũ: cùm non possint in cordibus hominum gignere, vel incendere cælestem gratiam, c. sicut Eunuchus, 1. q. 1. cõtrariũ videtur dici in c. statuimus, vt sicut, §. sicut, 1. q. 1. Sed distingue inter Sacramenta, quæ sunt necessitatis, & quæ dignitatis, vt ibid.

Tantò grauiora sunt delicta, quantò diutiùs infelicem animam tenuerint alligatam, c. cùm in ecclesia, ext. eod.

Diuturnitas temporis nõ diminuit peccata, sed auget, c. non satis, ext. eod.

Munere inuisibilis gratiæ quæstibus nõ sunt cõparanda, c. quicquid, 1. q. 1.

Quibus sua sufficiunt, ecclesiæ alimentis non sustentãtur, c. pastor, & c. si quis, 1. q. 2.

Quod pro necessitate temporis, statutũ est, cessante necessitate, pariter cessare debet, c. quod pro, 1. q. 1.

Vilissimus reputãdus est, nisi præcellat scientia, & sanctitate, qui est honore præstãtior, c. vilissimus, 1. q. 1.

Baptismus, siue per bonũ, siue per malũ ministrũ administretur, reiterari nõ debet, c. dedit, et c. hãc regul. 1 q. 1.

Dũ verbũ accedit ad elemẽtũ fit sacramẽtũ, c. 55. 1. q. 1

Sine fide & charitate, nec euangelium habetur, nec prosunt aliqua bona, c. Marcion, 1. q. 1.

Non meritis hominũ, sed veritate Spiritus sancti peccata remittũtur, c. vt euidenter, &, c. multi, 1. q. 1.

Sicut simoniaca pestis, suî magnitudine alios morbos vincit: ita sine dilatione mox, vt eius signa per aliquã personam claruerint de Ecclesia Dei simoniacus eliminarî & repelli debet, c. sicut simoniaca, ext. eod.

Simoniacum est, pro temporali obsequio beneficium Ecclesiasticum promittere, c. cùm essent, extr. eod.

In accipiendis vel dandis muneribus, tria attendenda sunt maximè, personæ scilicet dantis, & recipientis qualitas. Quantitas muneris & donationis tempus, c. etsi quæstionis, ext. eod.

Non solùm à malo, sed ab omni specie mali, est abstinendum, c. audiuimus, extr eod.

Sacramenta liberè sunt conferenda: cogit tamen Ordinarius laicos, obseruare laudabiles consuetudines, c. ad Apostolicam, extr. eod.

Simplicitas & ignorantia in illis, quæ sunt iurũ, nemi nem excusant, c. quoniam, extr. eod.

Simonia est, dare pecuniam, pro administratione rerum spiritualiũ, seu Ecclesiasticarũ habenda, & dantes & recipientes simoniæ damnatio inuoluit, c. cõsulere, eo.

Is qui ordinatus fuerit, si non ex pacto neq; exactus ac petitus, post acceptas chartas, & palliũ, offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tatũmodò causa voluerit, permittitur: quia eius oblatio nullã culpæ maculã ingerit, q̃ non ex ambitiõis petitione processit, c. sicut episcopatum, 1. q. 2

NE PRAELATI VICES SVAS vel Ecclesias, sub annuo censu cõcedant.

Titulus IIII.

Continuatio.

COncessio iurisdictionum & ecclesiarũ sub præcio, vel annuo cõsensu, species simoniæ est, arg. ex multis, 1. q. 3.

Quæ Forma concessionis, vt inducat Simoniæ vitium?

Si ita concedatur: Exercebis, talem iurisdictionem,

nem, ſuper tales ſacerdotes, & pars lucri, vel totũ lucrum ſit tuũ, ſed mihi Epiſcopo, vel Archiepiſcopo tantũ reddes. Et talis conceſsio ſimoniaca eſt, arg. c. ex multis, 1. q. 3. c. quoniã in quibuſdam, &, c. quoniam enormis, ext. eo. Sed ſi diceret: ego tibi pro ſalario tuo cẽtum dabo, & exerceas iuriſdictionẽ in hos ſacerdotes, & tu dabis mihi totũ lucrum. Et hæc conceſsio licita eſt, c. militare, 23. q. 1. Quia Epiſcopi exercentibus iuriſdictionem Epiſcopalẽ, ſalarium dare poſſunt, c. charitatem, 12. q. 2. Imò licet regimẽ Eccleſię, prælatio, vel ius ſpirituale, ſub pręcio cõmitti non poſsit: ſi tamẽ contingeret, prælatũ infirmũ eſſe, vel abſentem, benè poteſt præcio dato ſacerdos vicarius ibi conſtitui, c. peruenit, extr. de appel. c. de rectorib. ext. de cler. ægro. c. charitatem, 12. q. 1. Et ille qui locat operas ſuas ſpirituales nõ peccat, ſi aliunde ſumptus non habeat, c. duces, 1. q. 1. Quid autem, ſi aliunde viuere poſsit? & tunc licet, non ſit ſimonia, eſt tamen res mali exempli. Et ideò non locet operas vel impendat. Quia non tenetur, ſicuti etiã dicitur, quòd nunquam pauperi ſacerdoti vel diuiti, nec ad diem, nec ad annum, pro diuinis officijs, aliquid recipere licet, c. in multis, ext. de magiſtris, & ne aliquid, &c. Nec pactum de mercede conſtituenda pro diuinis initum iure ſubſiſtit. ſed quidem pro manſione, quam facit apud aliquam Eccleſiam, vel pro alijs beneficijs, quæ ibi facit, vel pro recompenſatione damnorum, quæ ſuſtinet occaſione morę ibi cõtractæ, c. ad quæſtiones, extr. de rei permutat. Nec obeſt, ſi dicatur, quòd ius percipiendi mercedem temporalem in Eccleſia non habeat, ſi clericus diues eſt: cùm qui

de proprio viuere posſit, de bonis eccleſiæ non debeat alimẽtari, c. clericos, &, c. paſtor, 1. q. 2. hoc enim iuris eſt: quòd ſiue ſit diues, ſiue pauper: Qui altari ſeruit, de altari viuat, c. ſecundùm Apoſtolum, extr. de præben. Nec contradicũt Dd. c. clericos, &, c. paſtor, quæ non loquuntur de clericis ſeruientibus eccleſijs, ſed de alijs abundantib. clericis, qui ſeruitia debita Eccleſijs non prẽſtant: nec earum clerici ſunt, hoc tenet Archi. c. illi qui, 12. q. 2. Abb. in c. Epiſcopus, extr. de præben. & alij in c. poſtulaſti, extr. de reſcriptis. Iuriſdictio igitur Eccleſiaſtica, ſub annuo cenſu concedi vel vendi regulariter non poteſt, licet fructus eccleſiarum, & obuentiones temporales quolibet alienationis titulo diſtrahantur, c. querelam, extr. eod. Cõceſsione autem officij temporalis pro pecunia turpis quæſtus quæritur, non ſimoniæ crimen committitur, niſi habeat ſpirituale annexũ, c. ſaluator, 1. q. 3.

Qui Effectus prohibitæ Conceſsionis?

Primus effectus eſt ſacerdotũ grauamẽ, & ſubuerſio iudiciorum, c. 2. ext. eo. Quia ſi iuriſdictio vendi poſſet, emptor maiores faceret condemnationes: Et ſic aggràuaret, & iudicia ſubuerterentur æquitate repulſa. 2. Offenſio Dei & legis, c. qui rectè, 11. q. 3. Quia cùm Prælatus gratis debeat iudicare, c. non ſanè, 14. q. 5. & mũdas ſeruare manus, nullumq; contingere lucrum, c. cùm æterni, de re iud. in 6. ſi iudicia venalia exponit Deum & legem offendit, vt in auh. de man. prin. §. oportet, colum. 3.

3. Obliuio æternæ ſalutis, c. quoniam enormis, extr. eod. Cùm enim regimen eccleſiæ, vel ſacerdotium

dotium sub mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur, d.c. quoniam, extr. eod.

4. Delictum simoniæ. Quia, qui vices suas vel iurisdictionem sub annuo censu concedunt, curam tradunt, c. fin. extr. de off. vica. Deinde iudicium, quod gratis Prælati debent reddere, venale exponunt, c. vendentes, 1. q. 3 c. 3. extr. exod.

5. Ius spirituale, i. iurisdictionem, quæ spiritualis est, vendunt, c. ex multis, 1. q. 3. Quod nihil aliud est, quàm simoniam committere, vt notatur in c. si quis Episcop⁹, 1. q. 1. &, c. saluator, 1. q. 3. Ob id tales Prælati pœnis canonicis in simoniacos constitutis subijciuntur, c. 2. extr. eod.

Quibus pœnis obstringuntur Prælati, vices suas, vel ecclesias, sub annuo censu concedentes?

Is, qui iurisdictionem ecclesiasticam, pecunia data, acquirit, officio adepto priuatur, & è clero remouetur. Prælatus autem, qui talem iurisdictionem sub præcio concedit, vel vendit, potestate conferendi destituitur. Et hac ratione quilibet in eo, in quo deliquit, punitur, c. 1. &, c. 2. extr. eo. c. pastoralis, ext. de iure patronatus, c. literas, ext. de tẽporibus Ordinand. Quandoq; Prælatus etiã deponitur, c. dictum, 81. distin. Quandoq; ad tempus, ratione dignitatis, & delicti habita, suspenditur, c. quicquid, 1. q. 1. Qui autem officium temporale, vel iurisdictionem secularem, data pecunia consequitur, pœna legis Iuliæ, De ambitu, tenetur, l. 1. C. ad legem Iul. de amb.

DE MAGISTRIS: ET NE ALIquid exigatur pro licentia docendi.

Titulus V.

Continuatio.

EXactio præcij, pro docendi licentia concedenda, etiam cuiuscunq; consuetudinis obtentu facta, quandam simoniæ speciē refert, vt notat Abb. in c. 1. extr. eo. licet propriè simonia non sit, sed potiùs turpe lucrum appelletur, Innocen. in c. prohibeas, ext. eo.

Quis Magister, & vnde dicatur?

Magister dicitur, qui alicuius regiminis, rei vel negotij, præ cæteris, curam gerit: quicunq; alium instruit vel regit; à monendo, siue monstrādo, dictus, l. quibus, ff. de verb. signifi. Is qualis esse, quā scientiam, & qualiter docere debeat? vide Hostiens. §. qualis, §. quam scientiam, &, §. & qualiter, eod. tit.

Quæ Forma constituendi Magistros?

Vt non solùm in qualibet Ecclesia Cathedrali, sed etiam in alijs, quarum sufficere poterunt facultates, sub assignatione vnius præbendæ prouentus, constituatur magister, idoneus, prouidus, honestus, & discretus, à prælato cum Capitulo, seu maiori & saniori parte Capituli eligēdus, qui Clericos ecclesiarum ipsarum in humanioribus literis, alijsq; facultatibus gratis instruat, & doceat, c. quia nonnullis, §. verùm, c. prohibeas, §. sanè, extr. eod.

Quæ causa Impulsiua?

Pietas & necessitas, c. quoniam, &, c. quia nonnulli, extr. eod.

Quis

Quis Finis & Effectus?

Ne propter inopiã, & legendi ſtudium, & opportunitas proficiendi ſubtrahatur. Quoniam Eccleſia Dei, ſicut pia mater prouidere neceſsitati eorũ tenetur, qui parentũ opibus iuuari non poſsunt, c. quoniam, &, c. quia nonnullis, extr. eo.

Secundò. Vt docti habeantur clerici, qui in Eccleſia Dei, velut ſplendor fulgeãt firmamenti, & velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri ad iuſtitiã valeant plurimos erudire: quibus ſi proprij prouentus eccleſiaſtici non ſufficiant, prælatus cum Capitulo neceſſaria ſubminiſtret. Docentes verò in Theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & Studẽtes in ipſa, integrè per annos quinq; percipiant de licẽtia ſedis Apoſtolicæ prouentus præbendarum, & beneficiorum ſuorum, non obſtante aliqua contraria conſuetudine, vel ſtatuto; cùm denario fraudari non debeant in vinea domini operantes, c. fin. ex. eod.

Tertio. Licet cuilibet Magiſtrorum à Capitulo adſignetur vnius præbendę prouẽtus, & pro Theologo à Metropolitano tantundẽ: tamen propter hoc nõ efficiuntur Canonici: ſed tandiù tantùm reditus ipſos percipiunt, quãdiù perſtiterint in docẽdi munere, c. qa nõnulli, §. aſsignetur, ex. eo.

Quartò. Vt quicunq; viri idonei & literati voluerint regere ſtudia literarũ, ſine moleſtia & exactione qualibet ſcholas regere permittantur. Si qui verò huiuſmodi prohibitionis vel præcepti extiterint trãſgreſſores, illi officijs & dignitatib. priuãtur. Dignum quippe videtur, vt in Eccleſia fructus ſui laboris nõ habeat, qui cupiditate animi, dũ vendit docẽdi licentiã, eccleſiaſticum pro-

fectum nititur impedire, c. quoniam, §. dignũ, &, c. quanto, vers. vt quicunq;, §. cùm autem, ext. eo.

DE IVDAEIS SARRACENIS, Et eorum seruis.

Titulus VI.

Continuatio.

ADsimoniæ crimen alijs vitijs propiùs accedit blasphemia indecenśq; cultus, quo Iudæi, Sarraceni, hæretici, & cæteri impijs sectis addicti diuinæ traditioni aduersantur.

Qui dicuntur Iudæi?

Iudæi dicuntur, qui legibus Mosaicis, absq; fide in Christum Saluatorem nostrum, adhærẽt, easqúe ad literam superstitiosè obseruãt, c. cùm Marthæ, §. cæterùm, extr. de celebrat. Missa. &, c. translato, extr. de constit.

Vnde dicti Iudæi?

Dicti à tribu Iuda, quòd illa tribus erat cæteris præstantior. Vnde in bellis primam aciem & regni priuilegiũ obtinuit: scilicet vt de ea sola Rex crearetur: sicut ex tribu Leui, sacerdotes accipiebantur, Hostiens. in §. & vnde dicantur, ex eo. tit.

In quibus Iudæi cum Christianis eodem iure & priuilegijs vtantur?

Licet propria culpa Iudæos seruituti subiecerit ipsos tñ tolerat Christiana pietas: ita vt in multis ad parem legum obseruantiam cum Christianis obstringantur, singularibuśq; priuilegijs iure indultis gaudeant. Vnde in contractibus leges Christianorum sequũtur, coram iudicibus secularibus

laribus ligant, matrimonia inter se contrahunt, nec diebus sabbathinis inuiti ad iudicium trahũtur, præcipiturq; Christianis, ne aut Iudæos offendant, vel contra eorum synagogam irruant, vel violentas manus rebus eorum injciant, l. si qua, l. nullus, l. die sabbatho, l. in synagogam, C. de Iudæis & Cælico.

Quæ in odium Iudaismi contra Iudæos iure sunt introducta?

Primò. Iudæi ab omnibus honoribus & dignitatibus repelluntur: nouas synagogas non extruunt sub pœna statuta, in l. fi. C. de Iudæis, & Cel. & c. Iudæi, extr. eod. 2. Vniuersitati Iudæorum non legatur, l. 1. C. eo. 3. Ab actis legitimis repellũtur, c. alieni, 2. q. 7. 4. Christiana mancipia illis habere non licet, c. 1. extr. eo. 5. Ab assidua communione Christianorum abstinere tenentur, c. sæpè, 28. q. 1. 6. In diebus lamentationum & Dominicę passionis in publicum prodire vetantur, c. in nõnullis, ext. eod. 7. Vtriusq; sexus Iudæi vti habitu, per quem à Christianis discernantur iubentur, d. c. in nonnullis, ext. eo. 8. Iudæi medici Christianos inuisere in infirmitatib⁹, vel medicamenta prębere, vel cum eis in ijsdem balneis esse, prohibentur, c. nullus, &, c. omnes, 28. q. 1.

Quæ pœna imponitur prædictã nõ seruantibus?

Et certè Iudæo non contento suis finibus non est priuilegium seruandum, c. priuilegium, 11. q. 3 Vnde Iudæi irruentes in cõuersum ad Christi cultum, sunt concremandi, iuxta sanctionẽ Cõstantini Imperatoris, l. 2. C. eo. Sed si Iudæi sint pacifici & qs eis res suas violẽter abstulerit tenetur duplũ restituere. Q& si iudex dissimulauerit, eãdẽ

pœnam incurrit, l. Christianis, C. de paga. & hoc secundùm leges, sed secundùm canones, vel officij priuatione, vel excõmunicationis censura plectitur, c. sicut Iudæi, ext. eod. Sed etsi Iudæi cõtra canonicas sanctiones delinquãt, puniuntur quãdoq; in personis, vt, c. sæpè, dist. 28. Quãdoq; pecuniariter, c. cùm sit, ext. eo. Et quandoq; per pœnã spiritualẽ indirectè. Quia excõmunicantur fideles eis participantes, c. etsi Iudæos, ext. eod. c. quãto, ext. de vsur. &, c. de terris, ext. de decimis.

Qui dicuntur Sarraceni?

Secundùm Hostiensem, Sarraceni dicũtur, qui Deos innumeros, deasq;, imò dæmones, colunt & adorant: nec nouum Testamentum, nec vetus, recipiunt. Quibus interdicitur in l. 2. C. de paga. ne sub nobis degentes faciant sacrificia, vel, inspecto iecore animalis vel extis, i. interioribus, promittant vel diuinent aliquid futurum.

Vnde dicuntur Sarraceni?

Sarraceni, vt putat Speculator, lib. 4. par. 4. hoc tit. non dicuntur à Sara, sed à Samaria ciuitate.

An communio Sarracenorum sit permissa?

Illis, qui cum Paganis ad fidem Christianã conuertendi gratia, viuunt, communio sanctionibus canonicis permittitur: ita vt his cibis, qui ab infidelibus apponuntur cum modestia & gratiarum actiõe, seruata temporum qualitate, vti liceat, c. quàm sit, extr. eod. Alijs autem à communione Sarracenorum, sicut & Iudæorum, sub pœna censuræ ecclesiasticæ, abstinendum est, c. sæpè, 28. q. 1. &, c. sequenti.

An

An Iudæus vel Sarracenus mancipium Christianum habere posſit?

Concilio Macienſ. ſancitum eſt, vt nullũ Chriſtianum mãcipium Iudæo ſeruiat, ſed, datis 11. ſolidis, pro quolibet bono mancipio, ipſum, quicũque Chriſtianorum ſeu ad ingenuitatem, vel ad ſeruitium licentiã habeat redimẽdi. Quia nephas eſt, quẽ Chriſtus redemit, blaſphemũ Chriſti in ſeruitutis vinculis detinere, c. 1. ext. eo. &, c. 2. eo. Vnde in legibus ſtatutum eſt, ne Chriſtianum mãcipiũ hæreticus, Iudęus, vel paganus, habeat, poſſideat, vel circumcidat: intantùm, vt ſi id circumciderit, non ſolùm mancipij damno, verùm etiã capitali ſentẽtia, ipſo ſeruo, pro prẹmio libertate donãdo mulctetur, l. vnica, C. ne quis Chriſt. mã. hæret. vel Iudæus, &c.

DE HAERETICIS.

Titulus VII.

Continuatio.

Non minùs hæretici, quàm Iudæi & Sarraceni ſuis confictis erroribus diuinã lædunt maieſtatẽ: qui ſi ſpirituali diſciplina corrigi nõ poſſunt, varijs pœnis ſubijciuntur, c. vergentis, extr. eod.

Quis dicitur Hæreticus?

Hæreticus eſt, qui alicuius temporalis commodi, & maximè vanæ gloriæ, principatuſq; ſui gratia, falſas & nouas opiniones vel gignit vel ſequitur, c. hæreticus, 24. q. 3

Vnde Hæreſis dicta?

Hæreſis Grẹcè ab electione dicitur: q; ſcilicet eã ſibi vnuſquiſq; eligat diſciplinam, quã putat eſſe meliorem. Quicunq; igitur aliter ſcripturã intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat, quo

scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamē hæreticus appellari potest: & de carnis operibus est, eligens quæ peiora sunt, c. hæresis, 24. q. 3.

Quod sunt sectæ hæreticorum? Et vnde nomina sua habeant?

Variæ sunt hæreticorū sectæ: quas Isid. octauo lib. Etymologiarum, cap. 5. recenset: Quidam aūt hęretici, q̄ de Ecclesia recesserunt, ex nomine suorum authorum nuncupantur: veluti Menādriani à Menandro mago, discipulo Simonis nūcupati: qui mundum non à Deo creatum, sed ab angelis factū asserunt. Nicolaitę dicti à Nicolao Diacono ecclesiæ Hierosolomorū, q̄ propter pulchritudinē relinquens vxorem, vt qui vellet ea vteretur, versa est in stuprum talis cōsuetudo, vt inuicem coniugia commutarentur, c. quidam aūt, 24. q. 3. Fotiniani à Fotino Gallograeciæ Smyrnæ Episcopo dicti, qui Hebionitarum hęresim suscitans, asseruit Christum ex Maria per Ioseph nuptiali coitu fuisse conceptū, d. c. quidā aūt. Alij verò ex cauſis nouorū rituū, vel opinionū nuncupātur, quas vel instituerunt, vel tutari conati sunt: cuiusmodi sunt antropomorphitę dicti, ex eo q̄ simplicitate rustica Deū habere humana mēbra, q̄ in diuinis libris scripta sunt arbitrātur. Aquarij appellati, eò q̄ aquam solam offerunt in calice sacramēti. Et alij, quos vide in d. c. quidam autem, 24. q. 3. &, l. Arriani, & seq. ll. C. de hæret. & Manichæ.

Quæ causa Efficiens?

Sathan, pertinacia mentis, peruersus intellect⁹, dissidium, imperitia & arrogantia Doctorum, c. dixit Apostolus, c. qui in Ecclesia, c. transferunt, 24. q. 3. c. 1. 24. q. 1. &, c. ad abolendum, extr. eod.

Quæ

Quæ Materia?

Mendaciũ & error circa articulos fidei & ſacramenta. Vnde conſtitutionib. Imperialib. hęreticorum vocabulo continentur, & latis aduersùs eos ſanctionib. ſubijciuntur, qvel leui argumẽto à iudicio Catholicę religionis & tramite detecti fuerint deuiare, l. oẽs vetitę, C. eo, & notatur in c. ad Apoſtolicã, c. cùm Chriſtus, &, c. qui alios, ex. eo. &, c. quid autem, 24. q. 3. &, c. Acatius, 24. q. 1.

Quæ Forma?

Eſt erroris contra fidem Catholicam conficti cũ aſſeueratiõe ꝑtinax defenſio & approbatio. Vnde qui in Eccleſia Chriſti morbidum prauumq; ꝙd ſapit, ſi correctus. vt ſanum rectumq; ſequatur, reſiſtat contumaciter, ſuaq; peſtifera & mortifera dogmata emendare nolit, ſed pertinaciter defenſare perſiſtat, procul dubiò hæreticus eſt, c. qui in Eccleſia, 24. q. 3. Multoq; damnabilior illis qui errant, Quia non ſolùm errat, ſed etiam alijs offendicula erroris præparat & confirmat. Vnde, quia magiſter erroris eſt: non tantùm hæreticus, ſed etiam hæreſiarcha dicendus eſt, c. qui aliorũ, 24. q. 3. è cõtrariò qui ſententiam ſuam, quamuis falſam atq; peruerſam, nulla pertinaci contentione, defendit, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererit, ſed à ſeductis atq; in errorem lapſis parentibus accepit, ſolicitus quęſita veritate corrigi velit, inter hęreticos non eſt deputandus, c. dixit Apoſtolus, 24. q. 3.

Quæ cauſa Impulſiua?

Temporale aliquod commodum, vana gloria, principatus, c. hæreticus eſt, 24. q. 3.

Qui

Quæ causa permittendæ Hæreseos?

Ideò diuina prouidẽtia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt probentur electi, teste Apostolo, 1. Corin. 2. Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant, c. ideò, 24. q. 3.

Quis Finis & Effectus?

Finis & effect⁹ ex varijs pœnis in hęreticos iure statutis colligũtur. Sunt autẽ canonicę pœnę, excõmunicatio, depositio, confiscatio, militaris persecutio, curiæ secularis traditio. Primò, n. Lucius tertius Canonica ordinatione sanciuit, vt quicũque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, si clericus sit, totius ecclesiastici Ordinis pręrogatiua priuetur, & sic omni officio & beneficio spoliat⁹ ecclesiastico secularis potestatis relinquatur arbitrio, animaduersione debita puniendus: nisi cõtinuò post depræhensionem erroris ad fidei catholicæ vnitatem spontè recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis publicè abiurare & satisfactionem congruam exhibere cõsenserit, c. ad Apostolicam, ext. eo. c. super eo, eo, tit. in 6. Si autẽ fuerit laicus, tunc nisi (prout dictum est) abiurata hæresi & satisfactione exhibita confestim ad fidem confugerit orthodoxam, secularis iudicis arbitrio relinquatur: debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionẽ. Qui verò inuẽti fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad arbitrium Episcopi, iuxta considerationẽ suspicionis, qualitateḿq; personę propriam innocentiã congrua purgatione monstrauerint, simili sentẽtiæ subiacebunt, c. excõmunicamus, §. qui aũt, extr. eo. Illi aũt qui post abiurationẽ præfati erroris, vel post quã se proprij antistitis examinatione purgauerint,

rint, deprehẽsi fuerint in abiuratã hæresim recidisse, seculari iudicio, sine vlla penit⁹ audiẽtia sũt relinquẽdi, d.c.ad Apost.eo.&, c.accusa.eo.ti.in 6. Secũdò, q̃ bona hęreticorum ipso iure sint cõfiscata. Quæ bona, si eorum domini hæretici, q̃bus ablata sunt, in clericatu sint, vel tẽporali ecclesiæ ditiõi subiecti, ecclesię fisco addicũtur: vel si ab aliq̃ ecclesia stipendiũ habeãt, ipsi ecclesię, q̃ stipendiũ eis suppeditabat applicãtur: sin aũt laici sint, & imperio Principis secularis subiecti, fisco debẽtur, nec vnq̃ restituuntur, nisi abnegantib. hæreticorũ consortium Princeps misericordia ductus, vltrò restituat. Cõfiscationis tñ executio, vel bonorum ipsorũ occupatio fieri nõ debet per Principes, aut alios, anteq̃ per Episcopum loci, vel aliam personam ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata, c. cùm secundũ, eo. tit. in 6. &, c.vergẽtis, ex.eo.c.excõmunicat⁹, §. dãnati, ex.eo.

Tertiò, licet filj pro parentib. ratione criminis patrati regulariter non puniãtur, l.1.q.4. per tot. tñ in hæresi vltio non solùm in authores scelerũ sed etiã in progeniẽ damnatorũ, iuxta canonicas sanctiões, vt in crimine læsę maiestatis, fertur: ita vt nec filij orthodoxi parentib. ob hæresim dãnatis succedãt, nec aliquis miseratiõis p̃textus huiusmodi scueritatis censuram impedire possit, c. vergentis, §. ne huiusmodi, extr.eod. licet leges aliud statuant, l. manichæos, C.eod.

Quartò, vxorũ catholicarum sciẽter nubentiũ maritis hęreticis, dotes, ꝓpter hæresim maritorũ simul cum alijs bonis confiscantur: nisi tẽpore cõtracti matrimonij maritos hæreticos ignorarẽt, c.decreuit, eod.tit.in 6.

Quin,

Quintò, in eo casu, quo hæredes ad successionẽ ob hæresim sui authoris non debent admitti: nõ obstante, q̃ authore ipso viuente hoc non fuerit (interueniente ipsius morte) per sententiam declaratum, ad confiscationem bonorum post mortẽ eiusdem, instituta accusatione proceditur, c. accusatus, §. in eo verò, eod. tit. in. 6. Proceditur autem in hæresis causa simpliciter, & de plano. Et dicta testium accusatorum q̃ non publicantur, si periculũ timeatur, c. statuta, eo. in 6. 6. Filij hæreticorum vsq; ad secundũ gradum lineæ paternæ, & ad primũ gradũ lineę maternę, ad beneficiũ ecclesiasticũ vel officiũ seculare, nõ admittuntur: nisi parẽtes ante mortẽ se emendauerint, c. statutũ, eod. in 6. 7. Absoluuntur, & liberantur à debito fidelitatis, dominij, & obsequij, quicũq; lapsis in hæresim aliquo pacto tenebãtur adstricti, c. absolutos, ext. eo. 8. Filius per hæresim patris liberatur ei⁹ potestate: ideò emãcipatio à patre facta, etiãsi postea vitiũ detegatur, nullius momẽti est, c. q̃cunque, §. illorum, eo. in 6. 9. Credẽtes, receptatores, defensores & fautores hæreticorum, excommunicationis censurę subijciũtur, & postq̃ quis taliũ excõmunicatione fuerit notatus, si intra annum satisfacere cõtẽpserit, extũc ipso iure fit infamis: nec ad publica officia seu cõsilia, nec ad eligẽdos aliquos, nec ad testimoniũ, nec ad hæreditatis successionẽ, nec ad testandi ius, vel alium iuris actũ, admittitur, c. excõmunicamus, §. credẽtes, ex. eo. c. quicunq;, §. hæretici, &, c. statutũ felicis, eo. in 6.

10. Aduocati, notarij, qui hæreticis credẽtibus fautorib. vel defensorib. eorundẽ, in aliquo præstiterint patrociniũ, auxiliũ, consiliũ, vel fauorẽ, vel instrumẽta publica cõscripserint, ab officio su

ſpensi perpetuæ infamiæ nota plectuntur, c. si aduersùs, ext. eod. &, d. c. excõmunicauimus, §. credentes. 11. Cadauera hæreticorum, credentiũ, receptatorum, defensorum, vel fautorum eorũ ecclesiasticæ sepulturæ nõ traduntur: si quis autẽ hoc scienter facere præsumpserit, excommunicationis pœnam incurrit: nec absolutionis beneficium meretur, nisi proprijs manibus publicè extumulet, eaq; terræ proiecta relinquat, c. quicunque hæreticos, eod. tit. in 6. 12. Damnato authore, damnantur eius scripturę, libri & opera, c. fraternitatis, extr. eod. 13. Aeternæ felicitatis iacturam faciet, & diabolo angelisqúe eius associabitur, nisi retracto gradu resipiscat, atq; se per pœnitentiam fidemq; in Christum veram, repulsa falsa opinione, vnitati Ecclesiæ aggreget, c. firmissimè, extr. eod. 14. In causa hæresis excommunicatus potest esse iudex, idem excommunicati participes vel socij criminis alijq; intestabiles ad testificandum admmittũtur, procediturqúe sine strepitu & figura iudicij, c. in fidei, c. præsidentes, &, c. fin. eod. in 6.

Quæ Cognata?

Schisma, apostasia, infidelitas, Iudaismus, hypocrisis, superstitio, relapsus abiuratione facta.

Quæ Pugnantia?

Pura doctrina, opinio pertinaciter tamen nõ defensata, fidelitas, abiuratio criminis, veritas, dona Spiritussancti.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Dubius in fide, infidelis est, nec eis omninò credendum est, qui fidem veritatis ignorat, c. 1. extr. eod.

Qui

Qui alios, cùm potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat, c. 2. extr. eod.

Omni homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neq; Baptismus, neq; eleemosyna quantumuis copiosa, neq; mors pro nomine Christi suscepta proficere potest ad salutem, c. firmissimè, ext. eod. c. quicunq;, 24. q 1.

Sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo ex anima rationali et humana carne subsistens, c. cùm Christus, extr. eod.

Longè grauius est æternam, quàm temporalem, ladere maiestatem, c. vergentis, eod.

Iuxta Canonicas sanctiones quandoq; vltio non solũ in authores scelerum, sed etiam progeniem damnatorũ fertur, c. vergentis, extr. eod.

Hæretici magistri erroris existunt. Quia veritatis discipuli non fuerunt, c. quid autem, 24. q. 3.

Diuina maledictio meritum maledicti designat, c. Deus, 24. q. 3.

Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia. Quia iustus ex fide viuit, c. vbi sana, 24. q. 1.

Hæretici cũ à fide catholica desiterint, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt, c. hæretici, 24. q. 1

DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS ab eis.

Titulus VIII.

Continuatio.

AFfine hęresi est schisma. Nullum n. schisma est, quod sibi non aliquam hæresim confingat. Hoc tñ inter schisma & hęresim interest: q̃ hęresis peruersum dogma habeat: schisma post Episcopalem decessionẽ ab Ecclesia pariter separat: q̃ qui-

quidē à principio aliqua ex parte intelligi potest diuersum, c. inter hæresim, 24. q. 3.

Quid est Schisma?

Schisma est, illicita diuisio ab vnitate vel vniuersitate Ecclesiæ, per inobedientiam facta, d. c. inter schisma, 24. q. 3.

Vnde dicitur Schisma?

Dicitur schisma à scissura. Cùm. n. fides vel Ecclesia catholica vnionē designet: si qs ab hac recedat, diuis' est, & schismatic' dicitur, c. schisma, 24. q. 1.

Quot modis dicuntur Schismatici?

Dicuntur largè, minùs largè & strictè. Largè dicūtur schismatici, qlibet criminosi, c. sacerdotes, 1. q. 1. &, c. sectādū, 24. q. 3. Minùs largè schismatici dicuntur, excōmunicati, c. Apostolicæ, 24. q. 3. Ex quibus aliqui sunt, qui nō peccāt in excōmunicatione manentes, c. inquisitioni, ext. de sent. excō. c. exceptionē, ex. de exce. Strictè appellātur schismatici, q diuisi ab vnitate Ecclesiæ, peculiarib. cōstitutionib. factis, suos cōstituunt Episcopos, & presbyteros, c. Nouatianus, 7. q. 1. vel q, contēptis cōstitutionib. Ecclesiæ, cōtra Episcopos & prælatos Ecclesiæ cōiurationes & cōspiratiōes faciunt, c. coniurationū, & 4. c. sequentibus, 11. quæst. 1.

Quibus pœnis puniuntur Schismatici?

Primò, excōmunicationis, & suspēsionis cēsura feriūtur: & si nō resipuerint, deponuntur, c. in nomine Domini, 23 dist. Et si nec sic corrigi possunt, imploratur iudicis secularis officium, & brachiū seculare, c. petimus, 10. q. 1. &, c. quoniā in quibusdā, §. penul. & fin. ext. de off. Ordinarij. Secūdò, quòd ordinationes, beneficiorum collationes ecclesiasticarū rerū alienationes per schismaticos

 factæ,

fctæ,sint irritæ,c.1.extr.eo. Et ordinati ab officio repellantur:nisi cum eis fuerit dispensatum, c.fi. extr.eo.Sed à quo ordinatus per schismaticum dispensationem habere debet vt sustineatur? Et distinguitur:Aut scienter recepit Ordinem à schismatico,& solus Papa dispensat.Vel ignorãtia ductus probabili & nõ supina:ex tũc à discreto Prælato prodest accepta dispensatio.Quia & ordinati ab hæretico dispensatiuè admittuntur, & tolerantur in ordinibus,c.1.&,c.2.ex de ord.ab Episcopo,qui resig.Epis.Prædictas tamen pœnas intellige de schismaticis stricta significatione sumptis.Inter quos tamẽ ita distinguitur:vt schismatici constitutis suis Episcopis & Prælatis ab vnitate Ecclesiæ recedentes,pœnas recensitas ipso iure incurrant,ordinatiq; ab eis ordinis executione ipso iure priuentur,& deponantur,d.c.1.&,2. extr.eod.sed schismatici, qui coniurationes contra Episcopos & Prælatos faciunt, non sunt ipso iure suspensi vel excommunicati sed suspendendi vel excommunicandi: nec eorum ordinationes ipso iure irritæ,sed per censuras ecclesiasticas inordinatos exercitas infringendæ, c. coniurationum,11.q.1.& Innocent.in c.quod à prædecessore,extr.eod. Tertiò,puniuntur amissione fidei,iustitiæ & charitatis,c.vbi sana fides, 24.q.1. Quartò,priuatione perfectionis spiritus sancti. Qui enim à fide & vnitate Ecclesiæ recedit, spiritus perfectionem amittit,c.hęretici,24.q.1.Quintò,perpetua damnatione, vnde Beda super Matthæum:Quicunque ab vnitate fidei,& societatis Petri Apost. quolibet modo semetipsos segregauerint,tales nec vinculis peccatorũ absolui,nec ia

nuam

huam regni cælestis ingredi possunt, c. quicunq; 24.q.1.& August.de fide catholica,omni homini, qui Ecclesię catholicę non tenet vnitatem,neque Baptismus,neq; eleemosyna,quantumuis copiosa,neq; mors,pro nomine Christi,susceptа,profi cere poterit ad salutem,c.firmissimè, ext. de hęr.

DE APOSTATIS ET REITERANTIbus Baptisma.

Titulus IX.

Continuatio.

HAeretici & schismatici deuiando à rectæ fidei tramite, & recedendo ab vnitate Ecclesiæ in apostasiæ crimen incidere dicuntur, c.excommunicatus,§.1.ex.de hæret.

Quid Apostasia?

Apostasia,(secundùm Hostiens.) est,à statu fidei obedientiæ & religionis, quam quis professus est se tenere,temerarius recessus,Hostien. §.quid sit, eod.tit.

Vnde dicta?

Apostasia dicitur,quasi post status. Vnde Apostata, quasi retrò stans vel retrogradiens, c.non obseruetis,26.q.7.c.sancimus,12.q.1.

Quot sunt species Apostasiæ?

Secundùm Innocen.in c.præterea,ext.eod.tres sunt species: Prima,apostasia perfidiæ : qua quis recedit à fide,quam antea colebat, sicut Iulianus apostata,c.non potest,2.q.7.Secũda,apostasia inobediętię:qua quis præceptũ maioris sui transgreditur,vel sacris statutis & canonibus nõ obedit, c alieni,3.q.4.c.si qs,ex.de maio.& obe. Quę spẽs

ita intelligitur, si statutis obediendũ credat, alioquin est hęreticus & schismaticus, c. nulli, dist. 19. Tertia species est, apostasiæ irregularitatis, scilicet, cũ quis à statu sumptæ religionis, recedit, c. fi. ext. eod. c. ex parte, ext. de temp. ord. c. fin. dist. 50. c. quantùm, dist. 47. c. beatus, 3. q. 4.

Quæ pœnæ in Apostatas statutæ?

Apostotæ perfidi amittunt omnia à iure cõmuni Christianis cõcessa, bona eorũ confiscantur (nisi habeant liberos & cognatos) & ipsi infames fiunt, accusariq; possunt, absq; obseruatiõe iudicia ris lapsu tollitur, nisi mortuo apostata post quinquennium, l. 1. 2. 3. & 4. C. de apostatis, c. nõ potest, 2. q. 7. c. infames, 6. q. 1. c. celebritatẽ, dist. 4. Et in omnibus puniuntur vt hæretici. Quia rei veritate inspecta illi hæretici & excõmunicati sunt, Innocent. c. 1. ext. eo. Apostatæ inobedientiæ, id est, qui non obediũt Prælato, vel canonibus, cum nota infamię repelluntur ab accusatione & testimonio, excommunicantur & deponuntur, & quandoq; degradati iudici seculari tradũtur, c. si quis à suo, 3. q. 4. c. si autem vobis, 10. q. 3. & c. Apostatæ irregularitatis: ea durante ab accusatione & testimonio repelluntur, & infames ipso iure fiunt, c. alieni, 2. q. 7. c. beatus, 3. q. 4. nec ad dignitates eligi possunt, c. legi, 16. q. 1. & si post admonitionem se non correxerint, deponuntur, priuilegijsq; clericis cõcessis priuãtur, c. sine ornatu, 22. q. 4. c. sin autem, 11. q. 3. &, c. 1. extr. eod.

Quæ pœna reiterationis Baptismi?

Secundùm canones clerici deponuntur, c. eos quos, dist. 4. laici verò excommunicãtur, nec ad ordi-

ordines admittũtur,c.qui aliquo,dist.51.c.qui in qualibet,1.q.7.c.2.ext.eo. Verùm secũndùm leges rebaptizanti & rebaptizato scienter, i. non ignorantibus hoc esse prohibitum, sed dolo malo in reiterationem Baptismi consentiẽtibus,pœna imponitur capitalis,l.2.C. ne sanctum Baptisma iteretur.Episcopi etiam illicita vsurpatione sanctitatem Baptismatis geminãtes sacerdotio destituti legitimis pœnis subijciuntur,l.1.C.ne sanctum baptis.iteretur,& secundùm Azonem ibi.

DE HIS QVI FILIOS OCCIderunt.

Tıtulus X.

Continuatio.

CVm illi,quos natura in officio retinere non potest,magnitudine pœnæ à maleficijs sint submouendi:non iniuria grauissima pœna in parricidas,qui huius officij obliti, naturalem coniunctionem delinquendo tollunt,statuta est.

In quibus personis lege Pompeia parricidium committatur? & quomodo puniatur?

Lege Pompeia de parricidijs cauetur, ait Marcianus,l.1.ff.de lege Pomp.de par.si quis,patrem, matrem,auum,auiam,fratrem,sororem,patruelem,matruelem,patruum, auunculam,amitam, consobrinum,consobrinam,vxorem,nurum,generum,socrum,vitricum,priuignum, priuignã, patronũ,patronámve occiderit, cuiúsue id dolo malo factum erit:vt pœna ea teneatur, q̃ est legis Corneliæ de sicarijs. Sed & mater quæ filium filiámve occiderit,eius legis pœna afficitur: & au' qui nepotẽ occiderit.Et præterea qui emit vene-

num, vt patri daret, quamuis conatus non sortitus fuerit effectum, l. 1. ff. de lege Pom. Pœna aũt parricidij more maiorũ hæc instituta fuit, vt parricida virgis sanguineis verberatus, deinde culeo ĩsuatur, cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, atq; in mare profundũ culeus iactetur, vt omniũ elementorũ vsu viuus carere incipiat, & ei cælũ superstiti, terra mortuo auferatur, l. vnica, C. de his q̃ par. vel lib. occid. Hoc ita, si mare proximũ sit, alioquin bestijs obijcitur, secũdũ Diui Hadriani cõstitutionem. Atq; illa pœna lege Pomp. confirmata est, in illis personis, q̃ appellatione parentum & liberorum veniunt. Qui aũt aliàs personas propinquitate sanguinis vel affinitate iunctas interfecerint, pœna legis Cornelię, & vltimo supplicio plectuntur. Sanè si per furorem aliquis parentem occiderit, impunitus erit, vt Diui Fratres super eo, qui per furorem matrẽ necauerat, rescripserunt. Nam furore ipso eum puniri, diligentius q̃ custodiendum, aut etiam vinculis coercendum sufficere putant, l. pœna parricidij, ff. de leg. Pomp.

Quomodò parentes necantes filios puniuntur?

Et distinguitur. Aut interfecerunt scienter, diabolo instigante, & imponenda est pœna grauior, q̃ pro homicidio, c. cũ iuramento, ext. de homici. c. aut facta, dist. 1. de pœnit. Aut non apparet, vtrũ à patre vel matre oppressus sit filius, vel suffocatus, vel propria morte defunctus. hoc casu non debent esse securi parentes, nec etiam sine pœna: sed tñ consideratio pietatis haberi debet, vbi nõ voluntas sed euentus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se grauiter deliquisse, ideò pœnitẽtiam triũ

annorum agere debent,c.fin.ext.eo. Mulier tñ, quòd maritus sæpè turgido vultu illi exprobraſſet filium ſuum non eſſe, iracundiæ calore ducta eundem filium interficiēs,debet mortuo marito perpetuò in monaſterio pœnitere, ſi tñ timetur de incontinentia, datur vel ſaltē non denegatur ſibi licentia nubendi. Cùm tutiùs videatur,vt in domino nubat vni ſoli, quàm inhoneſtè multos admittat,c.veniens,ext.eo.Quòd ſi autē maritus cum quibuſdam liberis adhuc ſit ſuperſtes, vxor iniuncta ſceleris ſui pœna, ob ſalutem filiorum, marito non adimenda,vel adempta, reſtituenda eſt,c.intelleximus,ext.eod.

DE INFANTIBVS ET LANguidis expoſitis.

Tıtulus XI.

Continuatio.

Ait Paulus,libro ſecundo ſententiarum: necare videtur non tantū is,qui partum præfocat,ſed & is,qui abijcit,& qui alimoniam denegat,& qui publicis locis miſericordiæ cauſa,quam ipſe non habet,exponit,l.necare,ff.de agnoſ.& alen.lib.

Quid Expoſitio infantum & languidorum?

Expoſitio eſt,q̄ pater,mater,dominus vel extraneus qdā,ipſis ſcientib.& ratū habentib.pietatis officio relegato,infantem,filium, liberū vel ſeruum,ante eccleſias vel alium publicum locū,collocant,ad hoc vt alij eos videntes ex commiſeratione recolligant & educent,c.ſi expoſitus,87.diſtinct.l.necare,ff.de agnoſ.& alen.lib.

Quæ cauſa Efficiens?

Voluntas patris vel dñi,c.vni.ex.eo.&,l.1.C.eo

Quod Obiectum?

Filius in sacris patris constitutus, seruus, vel libertus, infans vel languidus cuiuscunq; ætatis, q exponuntur, vel, quibus alimenta denegantur, d. c. vnico, &, l. sancimus, C. eod. & d. l. necare.

Quæ expositionis Forma?

Vt infans, liber, vel seruus, à patre vel domino, val alio quodam extraneo ipsis scientibus, cõsentientib. vel ratum habentib. ante ecclesiam vel alium publicum locũ absq; omni pietatis ratione exponatur, c. vni. ex. eo. l. 1. C. eod. vel patre & domino ignorãtibus, nec ratum habentib. extraneꝰ quidã exponat, & cõtestatio: vt si qs in puero ius putet habere, intra decẽ dies ad probandum veniat, & ab eo, qui expositum suscepit, per epistolã publicè fiat, c. si expositus, distinct. 87.

Quis Finis?

Vt moriantur, vel ex commiseratione suscipiãtur, & educẽtur expositi, l. sancimus, vers. & mortis fortè, C. eod. &, d. c. si expositus, dist. 87.

Quis Effectus?

Primus effectus est. Quòd filius infans in sacris patris cõstitutus à patre, siue alio, sciẽte ipso, aut ratum habẽte, relegato pietatis officio, expositꝰ, hocipso, à potestate patria liberetur, c. vni. ex. eo. Secundò. Quòd per talem expositionẽ libertus ingenuitatem, & seruus libertatem, adipiscatur. Quod & de cuiuscunq; ętatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impiè negari contigerit, est dicendũ, d. c. vni. ex. eo. Tertio. Quòd nec patri, domino, vel patronocõpetat repetitio: nisi ijs inuitis vel ignorantib. expositio facta

facta sit, tunc enim cum conditione prestandi ea, quæ in alendo eo, vel fortè ad discendum artificium iustè, consumpta sunt, restitutio fiet, l. 1. C. eod. Quartò. Vt contestationes per epistolam publicè facta, si nec intra decem dies quæsitus agnitusq; fuerit à patre vel domino, qui se ignorantibus expositionem factã prætendunt, securus habeat, qui eum suscepit: Et si lapso decem dierum spacio calumniator extiterit, sicut patrum sanxit authoritas, vt homicida, ecclesiastica districtione dãnetur, c. si expositus, dist. 87. Quintò. Quòd illi, qui ita expositi sunt, ingenui & liberi fiant, & manent, nec de dominica vel patria potestate, per expositionem vindicati, suscipientis potestati subijciantur: sicuti nec is, ob nutritionẽ vel educationem, in eorum personis ius aliquod sibi vindicare potest, c. vnic. ext. eo. &, l. sancimus, C. eod.

DE HOMICIDIO VOLVNTARIO vel casuali.

Titulus XII.

Continuatio.

NOn tantùm inter sanguine iũctos, verùm etiam inter alios, temeritas lędendi, & iniustus conatus inferendi necem, prohibetur. Naturę enim parens & opifex omniũ rerum naturalem quandã inter homines constituit cognationẽ, quam qui violãt, etiam aduersùs Deos immortales impij iudicandi sunt. Nam ab ijs cõstitutam societatẽ inter homines euertũt: consequẽs igitur est, vt ait Florẽtinus, hominẽ hominis vitę insidiari, nefas esse, l. vt vim, ff. de inst. & iur.

Quid Homicidium?

Homicidium est, interfectio hominis, dolo, culpa, vel ex ira, iusto dolore, metu præsentis violentiæ vel casu, ab homine facta, c. presbyterum, c. ad audientiam, c. lator, c. dilectus, ex. eod. c. verò, dist. 50. l. vt vim, ff. de iust. & iure.

Vnde dictum Homicidium?

Dictum ab homine & cædo, quasi hominis cedium, Hostien. §. quid sit, eod. tit.

Homicidium quotuplex

Secundùm Hostien. duplex. Nã aut est spirituale aut corporale. Spirituale per detractionẽ, odiũ, iniquitatẽ, oppressionẽ, iniustitiã, denegationẽ alimẽtorũ, & alijs varijs modis cõmittitur, c. homicidiũ, dist. 1. de pœn. c. pasce, dist. 85. c. omnis, &, c. homicidiorum, dist. 1. de pœn. Corporale aũt aliud nõ est, q̃ corporis peremptio, c. homicidiũ, dist. 1. de pœnit. Et illud, vel est voluntariũ, vel casuale, vt notatur in rubrica.

Quæ causa Efficiens?

Volũtas, conatus animi, vel adhibitę violẽtię actus, c. Hẽricus, ext. de cle. pug. in duel. Vnde dicitur in c. omnis, dist. 1. de pœn. Etsi gladio nõ occidas, volũtate tñ interficis, & is, qui telo hõis necandi causa ambulauerit, sicut is, q̃ hominẽ occiderit, vel cuiꝰ dolo malo factũ erit cõmissũ, legis Corneliæ de sicarijs, pœna coercetur, l. is, qui cum telo, C. ad l. Cor. de sica. Qđ & D. Adrianus in hæc verba rescripsit, in maleficijs voluntatẽ nõ exitũ spectari, l. Diuꝰ, & l. 1. §. diuꝰ, ff. ad l. Corn. de sicar.

Quod Obiectum?

Corpus humanũ animatum. Nam corporis nõ-

dum

dum formati & inanimati homicidium non cõmittitur: cũ per homicidiũ exanimatio, i. animæ à corpore ſeparatio inducatur. Exanimatum aũt corpus dici non poſsit, q̃ adhuc animã non habebat, nec poſsit dici animã habere, cũ ſenſu caruerit, c. quòd verò, 32. q. 2. Vnde, ſi fœtus abigatur, antequam veriſimiliter animatus fuerit, id eſt, ante quadrageſimum à conceptione diem, homicidium non committitut, nec abigens vt homicida, ſed mitiore pœna, lege Moſaica, canonica & ciuili punitur, vt notatur in c. Moyſes, 32. q. 2. c. ficut ex literarũ, ext. eo. & l. ſi mulierẽ, ff. ad l. Cor. de ſicar.

Quæ Forma?

Forma cõmittendi homicidij varia eſt. Nã aut conſultò & dolo malo cõmittitur, & voluntariũ dicitur, c. ſignificaſti, ext. eo. Aut caſũ aliquo inopinato, citra dolũ malũ, & caſuale dicitur, vt notatur in c. Ioannes, c. exhibita, c. dilectus, &, c. ex literis, ext. eo. Aut ex iuſto dolore, & ob vim illatam, q̃ propulſare leges permittunt, & ex neceſsitate p̃ſentis violẽtiæ vel iniuriæ auertendæ & cõprimendæ gratia, & coactũ appellatur, l. 1. §. fi. ff. eo. & l. 4. C. de adul. cõmittitur etiã vario telorũ genere. quid aũt teli appellatione veniat? Vide, l. ſi calũnietur, §. telũ, ff. de verb. ſign. &, l. penul. ad l. Iul. de vi pub. & l. armorũ, ff. de verb. ſignifi. Cõmittitur etiã veneficijs & incẽdijs: quæ omnia lex Cornelia compræhendit. Nec non inuidendo, detrahendo mala perſuadendo, decipiendo, conſulendo. Vnde dicitur in c. pernitiosè, diſt. de pœni. pernitiosè decipiũtur, qui exiſtimãt eos tantũ homicidas eſſe, q̃ manib⁹ hominẽ occidũt, & nõ potiùs eos, per q̃ cõſiliũ & fraudẽ & exhortationẽ homi-

homines extinguuntur. Homicidium enim, vt ait Celestinus III. in c. Henricus, ext. de cler. pug. in duello; tam facto, quàm præcepto, siue cõsilio aut defensione patratur. Imò qui oderunt, detrahunt, & mala persuadent alteri, pariter homicidę sunt, quod homicidium spirituale dicitur, c. homicidiorum, &, c. noli, dist. 1. de pœn.

Qui Effectus?

Effectus Homicidij à diuersis pœnis, pro qualitate delicti, aliarumq; circunstantiarum statutis, ducuntur. Nam in talibus excessibus, non solum quantitatem, & qualitatem delicti, sed ætatem, scientiam, sexum, atq; conditionem delinquẽtis, locumq; & tempus, quo delictum committitur, esse attendenda, Alexander III. statuit, c. sicut dignum, extr. eodem.

Homicidiũ voluntarium igitur punitur secundùm leges pœnâ legis Cornelię de sicarijs: quę est, in insulã deportatio, & omniũ bonorũ adeptio. Sed solent hodiè (vt ait Marcianus) capite puniri, nisi honestiore loco positi fuerint, q̃ vt pœnã legis sustineãt. Humiliores enim solent bestijs subijci, altiores in insulã deportantur, l. eiusdẽ, §. legis Cornelię, ff. ad l. Cornel. de sicar. Infans autẽ vel furiosus ob homicidiũ cõmissũ, lege Cornelia nõ tenẽtur. cũ alterũ innocẽtia cõsilij tueatur, alterũ fati infelicitas excuset, l. infans, ff. eo. Secũdùm canones aũt Episcopus, absq; dispensatione deponitur, & 15. annorum iniungitur pœnitẽtia. p̃sbyter 12. annis pœnitere debet, & deponitur Superioris sentẽtia. diaconus 10. clericꝰ & laicus 7. annis pœnitere. Et depositi excõmunicatiq; ad gradũ cuiuslibet sacerdotij accedere, nullo modo præ-

præsumere debent,c.si quis homicidiũ, dist.50.c. si quis viduã,&,c.si voluntate, dist.50.Casuale homicidiũ aut culpa fit,aut citra culpã.Culpa:vt cũ præceptor puerũ parũ benefacientẽ in docẽdo occidat,l.sed etsi,§.fi.ff.ad l.Aquiliã:p̃ceptoris enim nimia ſęuitia culpę adſignatur,l.p̃ceptoris, ff. ad l.Aquiliã. cùm leuis tantũ castigatio conceſſa ſit docẽti,d.l.ſed etſi.Atq; in huiuſmodi casibus, vbi de ſeruo culpa occiſo agitur,ex l. Aquilia ad cessationis operarũ,& mendicationis ſumptũ reſarciendũ ciuiliter agitur,d.l.ſed etſi,& Exod.21.19. Et Ratio eſt.Quia culpa quanuis lata,in l.Cornelia pro dolo nõ habetur Dd.in l.q; nerua,ff.depo. Clericus aũt casuale homicidiũ culpa cõmittẽs, iure Pontificio incurrit irregularitatẽ, & cõgruenti iniuncta pœnitẽtia deponitur:nec miniſtrare niſi in ſubdiaconatus officio & minoribus ordinibus cũ diſpenſatione permittitur, c. p̃sbyterum,c.continebatur,c.ad audientiã,ext.eo. c. eos verò:&,c.eũ,qui dist.50.Verũ citra culpã casu cõmiſſum homicidiũ,ſicut iure ciuili,ita canonico nullã meretur pœnã,c.lator,c.dilectus,c. exhibita ext.eo.licet ob ſpirituale homicidiũ iniũgatur pœnitentia,c.ſi quis voluntate,dist.50.& per.tot. dist.1.de pœn.

Quæ Affinia?

Falſum teſtimoniũ,mala perſuaſio,c.noli,dist. 1.de pœn.Omnis motus ad nocendũ iniquè,c.homicidiũ,dist.1.de pœn.

Quæ Contrari.?

Præceptum decalogi: Non occides, c. homicidium,dist. 1.de pœnit.homicidium iure conceſſum,de quo in c.quicunq;,23.q.8.& in c. miles, 23. q.5.& in c.officia,23.q.5. fortuitus casus, c. ſi quis voluntate,& ſeq.capitulis,dist.50.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Omnis iniquitas, & oppressio & iniustitia, iudicium sanguinis est, & licet gladio nō occidas, voluntate tamen interficis, c. omnis, dist. 1. de pœn.

Homicidium lege vetitum putabatur non aliud esse, nisi corporis peremptio. Aperuit ergo Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari, c homicidium, dist. 1. de pœn.

Non ideò minùs delinquit, cui sola deest facultas, c. si cui, dist. 1. de pœnit.

In illos, qui Christianos persequuntur, & ex vrbibus & proprijs sedibus pellunt, iustè pugnatur, c. dispar, 23. q. 8

Qui crimina, quæ potest emendare, non corrigit, ipse cōmittit, c. præterea, 23. q. 8.

Quicunq; percutit malos, in eo, quod mali sunt & habet causam interfectionis, minister Dei est, qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem sacrilegum, & adulterum, periurū, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur, & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam, abusiuè vsurpare non timuit potestatem, c. quicunq;, 23. q. 8.

Si quatuor homines, aut quinq;, seu etiam plures contra hominem vnum rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus ferit, quicunq; eorum plagam ei imposuit secundùm statuta canonum, vt homicida iudicetur: reliqui autem, qui eum impugnabant, volentes eum interficere, similiter pœniteant. Qui nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantùm ad fuerunt, extr. noxam sint, c. si quatuor, 23. q. 8.

Mali

Mali prohibendi sunt à malo, & cogendi ad bonum, c. vnum, 23. q. 1.

Non ita resistamus malo, ne nos vindicta, quæ alieno malo animum pascit nos delectet, c. de occidendis, 23. quæst 6

Seipsum perimere, nulla legis authoritate permittitur, d. c. de occidendis, in fine.

Miles cùm obediens potestati, sub qua legitimè constitutus est, hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege, Reus est homicidij. Imò nisi fecerit, reus est imperij deserti atque contempti. quòd si sua spontè, absq; authoritate feciſſet, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaq; vnde punitur, si fecerit iniussus, inde punietur, si non fecerit iussus, c. miles, 23. q. 5.

Homicida est, qui spontè occidit, quos iudex iubet occidi, c. cùm minister, 23. q. 5.

Sicut iure laudatur obedientia, ita reprehenditur, qui sibi non concessa vsurpat, c. lex æterna, 23. q. 5.

Officia vindictæ possunt impleri boni bono animo, quomodò iudex & quomodò lex, c. officia, 23. q. 5.

Non est iniquitatis, sed potiùs humanitatis crimen persequi, vt homo liberetur, c, non est, 23 q 5.

Non frustrà sunt instituta regis potestas, & cognitoris ius, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiã boni patris. habent omnia ista modos, causas rationes, vtilitates, hæc cùm timentur, & mali coercẽtur, & boni quieti inter malos viuunt, c. non frustrà, 23. q. 5.

Plus peccat is, qui causam mortis præbet, quàm qui occidit, c. cùm homo, 23 q. 5.

Homicidas sacrilegos & veneratios punire, non est effu-

sio

sio sanguinis, sed legũ ministeriũ, c. homicidas, 23. q. 5.
Iudex scelus nõ admittit, qui hoẽs vincit, c. iudex, 23. q. 5

DE TORNEAMENTIS.

Titulus XIII.

Contiuantio.

IS, qui aliquem in torneamentis interfecit, eadẽ pœna, quæ in homicidas constituta est, coercetur. *Quæ dicuntur Torneamenta?*

Torneamenta dicuntur, nundinæ vel feriæ, in quibus milites ex condicto conuenire, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ, temerè congredi solent, c. fœlicis, extr. eod.

An Torneamenta sint concessa?

Canones torneamenta detestantur. Leges automne virtutis causa certamẽ initum, siue quis certet hasta, siue pilo iaciẽdo, currendo, saliendo, luctando, pugnando, permittunt. intantùm, vt etiã in illis ex lege Titia, & Cornelia sponsionẽ facere liceat, l. solent, &, l. in quib. ff. de aleatorib. Nec teneatur lege Aquilia is, qui in publico certamine damnũ dedit. Sic enim inquit Vlpianus, lib. 18. ad edictũ: si in colluctatiõe, vel in pancratico, vel pugiles dũ inter se exercẽtur, alius aliũ occiderit, si qdẽ in publico certamine, cessat Aqlia. Quia glorię causa & virtutis, non iniuriæ gratia, videtur dãnum datũ. Hoc aũt in seruo nõ procedit: quoniã ingenui solẽt certare, in filiofamiliàs vulnera to ꝓcedit, l. q̃ actione, §. si in colluctatione, ff. ad l. Aquiliam. *Quæ causa prohibitionis?*

Euitatio periculi. Quia ex hisce hominum cõgressibus, non tãtùm vitæ, verùm etiã animæ, pericula

ricula prouenire solent, quæ quantũ fieri potest, declinare oportet. cùm prudentis & circunspecti sit, futura pericula præcauere, l. licet, extr. de ele, c. in nouo, 22. q. 1. c. in nomine Domini, 23. dist.

Qui ad Torneamenta accedentes, & qua pœna puniantur?

Si ad Torneamẽta accedentes se in congressu interfecerint, vel alter horum interfectus fuerit, & interfector, & interfectus, puniuntur. interfector quidem, pœna homicidæ voluntarij. Interfectus autem, priuatione sepulturæ. Quod quidem ita procedit, si animo ludendi & congrediendi: non aũt animo perquirendi & percipiendi credita eò sese quis contulerit. is enim, si inopinato casu opprimatur, licet sepultura, neq; vilis, neq; speciosa, animæ salutẽ promoueat, honestè tamen eius funera celebrari debent, c. 2. ext. eod. c. sacris, ext. de sepul. &, c. animæ, 13. q. 1.

DE CLERICIS PVGNANTIBVS in Duello.

Titulus XIIII.

Continuatio.

CLericus, siue alicui spontè duellum obtulẽrit, vel oblatũ susceperit, &, trucidando aduersarium, victor extiterit, instar homicidæ, punitur, c. 1. extr. eod.

Quid Duellum?

Duellum, authore Hostiens. est singularis pugna inter aliquos ad probationis veritatem inuenta, §. quid sit, eod. tit.

Vnde dictum Duellum

Sicuti monomachia Græcè dicitur pugna sin-

gularis inter duos: ita duellũ Latinè quasi duorũ bellũ dicitur, c.1.&,c.2.ext.eo.c.monomach.2.q.5

Quæ Forma pugnandi in Duello ad promerendam Canonis pœnam?

Vt per se, vel per alium, duellum sponte offerat, vel oblatum sponte suscipiat, vel coactus iudice forsitan præcipiente, non tamen inuitus, cũ potiùs debeat omnia mala tolerare, quã malo cõsentire, c.itáne, 32.q.5.c.ita faciat, 22.q.2. Quòd si inuitus suscipiat, cũ aliàs forsan euadere, vel res suas saluare nõ posit, tũc excusatur, c. interfecisti, ex.de homicid.& Inno.in c.porrò.si cle.ex.eo.

Quis huius Pugnæ finis?

Probatio veritatis. Nam ea ad probationem veritatis instituitur, & qui vicit probasse, & victus in probatione defecisse intelligitur, Hostien. in §. quid sit, eod.tit.

Quæ causa Prohibitionis?

Ne Deus tentetur. Hac enim pugna Deus tentatur, c.Mennam, 2.q.5. Deus autem tentari non debet, c.quare, 22.q.2.

Quis Effectus?

Si clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel oblatũ susceperit, siue victor, siue victus fuerit, de rigore iuris est meritò deponẽdus. Sed quãtũcũq; eius in hoc grauis est & enormis excessus, ea dere potest depositionis sententiã: si cũ ipso suus Episcop⁹ duxerit misericorditer dispensandũ, dũ modò ex ipso duello homicidiũ vel membrorũ diminutio nõ fuerit subsecuta, c.porrò, ex.eo. Et hoc verũ, licet nõ in propria persona, sed per aliũ pugnet, intantùm, vt peremptione hominis cuta, verus existat homicida. Cũ homicidiũ nõ tan-

tantũ facto, sed etiam præcepto siue consilio aut defensione pateretur, c. Henricus, extr. eod.

DE SAGITTARIIS.

Titulus XV.

Continuatio.

NOn minùs sagittarij, quàm alij pugnantes, ob periculum teli, quo in opprimendis hominibus vtuntur, pœnis canonicis coercẽtur.

Qui Sagittarij? & vnde dicti?

Sagittarij sunt milites, q̃ in bello sagittis, i. arcu & balistis ad perimẽdos homines vtũtur, dicti à mittendis sagittis, Host. hoc tit. vers. sed forte.

Quæ pœna statuta in Sagittarios?

Pœna anathematis constituta est in balistarios & sagittarios: qui artem illã mortiferã & odibilem cõtra Christianos & catholicos exercẽt, c. Vnico, extr. eod. contra Sarracenos aũt, & alios infideles impunè exercere possunt. Cùm vbi iustũ præliũ, (vt est illud, q̃ pro defensiõe patriæ, aris focisq; & fide, suscipitur,) non referat, qualiter, quibus armis, quo fuco, qua frõte, aperta ne vel occulta, & ex insidijs pugnetur, c. domin⁹ iubet, 23. quæst. 2.

DE ADVLTERIIS ET STVPRO.

Titulus XVI.

Continuatio.

ADulterij crimẽ cæteris grauius, nõ tantùm ob id cẽsetur, quod illa extra corpus committuntur hoc verò solũ corpus cõtaminat, verùm etiam, quia illa vitia sibi adiuncta habet, scilicet homicidia, periuria, falsa testimonia, vim, iniuriam, &c.

Quid est Adulterium? Et Vnde dictum?

Adulterium est, alieni thori violatio. Vnde adulterium dicitur, quasi ad ad alterius thorũ accessio, c. cùm lex, §. adulterium, 36. q. 1. Nam, vt Isidorus ait, adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit, c. non mechaberis, 32. q. 6.

Quotuplex Adulterium?

Duplex. Generale scilicet, & propriũ, siue speciale. Generale dicitur, quod non tantùm alieni thori violationem, sed omnem ferè illicitam fornicationem compræhendit, c. meretrices, 32. q. 4. §. fi. Propriè aũt & specificè adulterium dicitur illicitus coitus cum vxore aliena, siue is, qui eam adulterat vxorem habeat, siue non, 32. q. 4. mo. & q. 5. c. non mechaberis, l. inter liberas, §. 1. ff. eod. l. inter stuprum, ff. de verb. sign.

Quæ causa Efficiens?

Consensus & scientia alieni thori. Vnde si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, nunquã ex hoc adultera erit: si aũt sciat, iam ex hoc adultera esse incipit, ex quo cũ alieno sciens cubauerit. Sicut in iure p̃diorũ tãdiù quisq; bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiù se possidere ignorat alienã. Cùm verò scierit, nec ab aliena possessiõe recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur, & iustè iniustus possessor vocatur, c. si virgo, 34. q. 1. & 2. vel si vxor ab alio, q̃ pro marito violentur fueri t oppressa, vel ignorãter cognita, adulteriũ ab vxore commissum quò ad accusationis effectum non videtur, c. in lectũ, 34. q. 2. &, l. vim passa, ff. de adult.

Quod Obiectum?

Vir & vxor. Licet enim iure ciuili vir coniugatus,

us, vel ſolutus ad mulierem accedens non coniugatam non cõmittat adulterium; hoc enim iure non coniugatus vir corruptus, ſed coniugata mulier corrupta adulterij crimen inducit; ſecus obſeruatur tñ iure Pontificio, & vir adulterãdo grauiùs delinquere dicitur, q̃ mulier. Eſt enim caput mulieris ipſe vir, honeſtiorẽ igitur ducere vitam, & in omnibus vitæ operib. vxorẽ ſuã excellere debet, tantò igitur grauiùs, ob tale delictum, eos puniri oportet, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exẽplo regere fœminas, c. indignãtur, c. nõ mechaberis, 32. q. 6. Nõ enim cõmixtionẽ ſeminis, cõfuſionẽ familiæ, vel incertitudinẽ agnitæ prolis, ſicuti leges. Sed delicti atrocitatem, qua quis proprium thorum violare dicitur, hoc ius Pontificium reſpicit.

Quæ Forma committendi Adulterij?

Actus violãdi thori proprij vel alieni, prębito conſenſu cõmittentium. Quia hoc crimen ſine dolo malo nõ cõmittitur; nec à voluntate, ſed ab actu intelligitur, l. pen. &, l. miles, ff. eod. l. 23. & l. 25. ff. eod.

Quis Effectus?

Iure Canonico laicus cõmittens adulteriũ excõmunicatur, c. ſi quis Epiſcopus, 27. q. 1. &, c. lator, 2. q. 7. clericus deponitur, d. c. ſi quis Epiſcop⁹, 27. q. 1. Abb. & alij in c. vt clericorũ, &, c. pœnit, extr. eo. Licet in foro pœnitẽtiali vtriq; certa pœnitentia quoq; imponatur. Laicus enim 7. annis, & clericus 10. annis pœnitere, ſanctione Canonica iubẽtur, c. præsbyter, 83. diſt. c. deuotã, 27. q. 1. &, c. hoc ipſum, 33. q. 2. Secundũ legẽ verò Moſaycã, mulier de adulterio cõuicta lapidabatur, c. hæc imago, 33. q. 5. c. 1. ver, cognoſcat, diſt. 6. de pœn. c. qui ſine,

&,c. postulatus,3.q.7. secũdũ leges ciuiles vir adulter punitur gladio,& pœna capitali, l. quãuis, C.eo.&,l.trãsigere,C.de trãsact.Mulier aũt adultera virgis cæsa nouella cõstitutiõe,& iure canonũ, in monasteriũ cõijcitur:q̃,intra bienniũ,maritus in gratiã recipere potest. Eo aũt elapso ꝑpetuò ibi cõmorari debet,etiã marito mortuo,vnà cũ bonis suis,si liberos non habet,q; si eos habet, duæ partes liberis,parentib.vna relinquenda,nouella,vt nulli,§.adulteriũ,aut.sed hodiè,ibi Bal. C.eo.c.gaudemus,ext.de cõuers.cõiug. In accusanda autẽ vxore hic ordo obseruandus est:vt accusatio primo loco deferatur marito, q̃ iure mariti absq; inscriptione & obligatione ad talionis pœnã accusat.Deinde agnatis, deniq; cuiuis de populo.nec.n.extraneꝰ ab omni accusandi iure, (cũ hoc iudiciũ inter publica referatur)per l.q̃uis,C. eo,arcetur:sed tãtũ ab illa accusatione, q̃ iure mariti fit,& proximiorib.agnatis cõceditur, glo.in l.4.qui accusare,ff.eo. Qd̃ si nõ criminaliter, sed ciuiliter,de hoc crimine agatur, primus effectus est,actio iniuriarum, q̃ ipsi coniugi,cuius matrimonium flagitio alterius violatur,cõpetit.Dubium.n.nõ est,quin atrocissima afficiatur iniuria, cùm vtriusq; familia hoc vitio quasi conspurcetur,l.quãuis,C.eo.Rom.cons.451. c.nu.10.& Bal. in l.1.ff.eo. Alter effectus est, diuortiũ: potest.n. mulier agere ad diuortium si velit.Quo casu separabitur matrimonium,quò ad thorum: nõ autẽ quò ad substantiam matrimonij.quia hac ratione coniugib.separatis neuter ad aliud matrimonium conuolare potest:etiãsi p̃cedens matrimonium ex causa consanguinitatis, vel affinitatis, nullum

nullum declarari posit,gl.& Saly.in d.l.1.ff.eod. & l.consensu,C.de repud.&,c.tuæ,ext.de procur. Ex quo & alius effectus colligitur,scilicet, priuatio,dotis,&donationis propter nuptias.Vt.n.qui illicitè diuertit,& matrimoniũ dissoluit: ita & qui vagis pollutionibus illud inquinas,& euertit, hac pœna coercentur,d.l.consensu.Mulier ergo adulterij damnata dote relicta marito, priuatur:ita,vt liberis in quota parte ius proprietatis reseruetur.ediuersò maritus adulterij conuictus iacturam facit donationis propter nuptias, quæ vxori vnà cũ dote,salua liberis proprietate assignatur.Donatiõe aũt propter nuptias vel pactis dotalibus non celebratis vel constitutis mulieri quarta pars substantiæ mariti, peræquè, atq; illo mortuo conceditur,reliquis bonis ad liberos aut proximos hæredes redeuntibus:ita tamen,vt inde marito damnato,quò ad viuat alimenta ad vitæ sustentationem necessaria sint præstãda, auth. vt null. iud. & auth. vt licet matr. & auiæ, &, l. consensu: iuncta l. fin.C.de repud.Et hanc de donatione propter nup.cõstitutionem quoq; in bonis paraphernalib.quę mulier marito extra dotẽ affert,obseruandã quidã putant,vt Panor.c. plerunq;, ext.de dona.inter virũ,&c.&,c.pastoralis ext.de iud.Boer.decis.338.& Hip.in l.pater,nu.10. ff.de q.Sed & priuatim adulteria puniri lege ciuili permittitur.Quia pater deprehensã filiã cũ adultero occidere potest,l.nihil,l.q; ait,ff.eo. & auth. si qs,C.eo.Q& & marito post ternã denuntiationẽ in adulterũ,si in domo sua reperiat, aut alioq; vilis sit permissũ est,l.marito,ff.eo.vxorẽ aũt ob adulteriũ trucidare iure canonũ prohibetur,c.inter hæc,33.q.2.

Quæ Affinia?

Fornicatio, ſtuprum, inceſtus, raptus, lenocinium. Quæ Gelaſius in c. lex illa, 36. q. 1. ita diſtinguendo deſcribit: Fornicatio, licet videatur eſſe genº cuiuſlibet illiciti coitus, q̃ fit extra vxorem legitimam: tamen ſpecialiter intelligitur in vſu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. Stuprum propriè virginum eſt illicita defloratio, quando videlicet, non præcedenti coniugali pactione, vtriuſq; voluntate virgo corrumpitur, patre iniuriam ad animũ ſtatim poſt cognitionẽ non reuocante. Inceſtus eſt conſanguineorũ, vel affinium abuſus. Vnde inceſtuoſi dicuntur, qui conſanguineis & affinibus abutũtur. Raptus admittitur, cũ puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorem habeatur: ſiue puellæ ſolummodò, ſiue parentib. tantùm ſiue vtriſque vis illata, conſtiterit, d. l. lex illa. Lenocinium committitur, ſi maritus turpis quæſtus gratia vxorem proſtituit, illamq; in adulterio depræhenſam retinuit, l. 2. ff. eod. Et in hos eadem pœna q̃ in adulteros cõſtituta eſt, l. auxilium, ff. de mi. & pœna lenocinij tenetur, & is, cuius ope vel cõſilio dolo malo factũ eſt, vt deprhẽſi in adulterio pecunia, vel pactiõe aliqua interueniente, ſe redimerẽt, l. 2. &, l. caſtitati, C. eod. l. is cuius, ff. eod.

Quæ Adiacentia?

Multa ſunt crimina, quæ adulterio cohærẽt. Vt ſunt raptus, ſtuprum, vis, iniuria, homicidia, periuria, falſa teſtimonia, lenocinium, veneficium.

Quæ Pugnantia?

Præceptum decalogi & lex diuina: Non mechaberis, qua omnis illicitus coitus dãnatus, Deut. 23. &

23.& 1.Cor.5. Fides matrimonij, pactio coniugalis,thori pudor, violenta oppressio, reconciliatio.Sunt enim quidam casus,quibus,licet ad alterius thorum fiat accessio,tamen quò ad iuris effectum nõ committitur adulterium:ita, vt nec maritus vxori crimen adulterij obijcere, vel huius gratia criminale vel ciuile iudicium illi dictare possit.Primus est:si & ipse maritus fornicatus sit. fit enim criminis compensatio,& violasse thorũ alienum non videtur,vbi nullus est thori pudor, vel respectus,sed promiscua & vulgaris conniuẽte marito turpido,Bal.Cyn.& Salice.in l.si ea,&, l.quæ adulterum,C.eod.& per totum,32.q.6. 2.Si eam adulterandam tradiderit, c. discretionem, ext.de eo.q cog.cõsang.vxo.&c.3.Si violẽter fuit oppressa,l.vim passa,ff.de adult. 4.Si ignoranter fuerit cognita,c.in lectum,34.q.2. 5.Si credẽs maritum mortuum,de licentia Episcopi nupsit alteri,c.cùm per bellicã,33. q.2. 6. Si post adulterium eã sibi recõciliauit,c.quẽadmodùm, ext.de iurei.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Coniunx coniugem de adulterio impetere non potest, si & ipse adulterium commisisse conuincatur,c.intellextimus,ext.eod.c.fin.eod.

Maritis ex suspicione vxores accusare permissum est, & in accusando præfertur cæteris,c.maritis,ext.eod.

Maritus retinens adulteram coniugem, non peracta pœnitentia,particeps est delicti,c.si vir,ext.eod.

Stuprans virginem nondum desponsatam tenetur eã dotare & ducere in vxorem. Quòd si noluerit cum eo cõtrahere, vltra præstitam dotem corporaliter castigatur, c.1.ext.eod.

Hic raptum admisit, qui florem virginitatis puellæ renitenti violenter eripuit, c. de raptoribus, 36. q. 1.

Vir & Mulier vna caro sunt, c. si cuius, 35. q. 10.

Veritas sæpiùs exagitata magis splendescit in lucẽ, & pernicies reuocata in iudicium grauius & sine pœnitentia condemnatur. Nam fructus diuinus est, iustitiam sæpiùs recensẽri, c. graue, 35. q. 10.

Sẽtẽtia, nisi per appellationẽ intra terminũ legẽ cõstitutũ, reuelata fuerit irreuocabile robur obtinebit, c. 1. 35. q. 9

Quod contra interdictum & ordinem Ecclesiæ factũ est, ratum non haberi, tam humanæ, q̃ diuinæ legis proclamat auctoritas, c. videtur, 35. q. 7.

Vsus naturalis licitus est, sicuti in coniugio, illicitus sicut in adulterio: cõtra naturã verò semper illicitus, & procul dubiò flagitiosior, atq; turpior, c. vsus naturalis, 32. q. 7

Vir caput est mulieris: meliùs igitur viuere debet, q̃ mulier, & ipsam in omnibus bonis operibus excellere, c. non mechaberis, 32. q. 6.

Mariti tantò grauiùs, ob flagitia patrata, puniẽdi q̃ mulieres, quantò magis ad eos pertinet, & virtute vincere & exemplo regere fœminas, c. indignãtur, 32. q. 6.

Iniquum est, vt quis de alio iudicare velit & iudicari de se nolit, c. iniquum, 32. q. 6.

Reuerà non potest caro corrũpi, nisi mens fuerit antè corrupta, c. reuerà, 32. q. 5.

Cùm pudicitia sit virtus animi, comitẽq; habeat fortitudinem, potiùs quælibet mala tolerare, q̃ malo consentire decernit, c. itáne, 32. q. 5.

Appellatione mechiæ omnis illicitus coitus intelligi debet, c. meretrices, 32. q. 4.

San-

Sanctius est, absq; liberis esse, q̃, ex illicito coitu, stirpem quærere, c. sicut, 32. q. 4.

Qui coniugali affectu copulantur, etiamsi non causa procreandorum filiorum, sed explendæ libidinis conueniant, non ideò fornicarij, sed coniuges appellantur, c. concubinæ, 32. q. 2.

Quorum vnum corpus est, vnus debet esse animus, c. de neptis, 30. q. 2.

DE RAPTORIBVS, INCENDIARIJS, & violatoribus ecclesiarum.

Titulus XVII.

Continuatio.

RAptus, inquit Isidorus, lib. 2. etymologiarũ, cap. 33. quoq; illicitus coitus est à corrumpẽdo dictus. Vnde qui raptu potitur stupro fruitur, c. raptus, 36. q. 1.

Quotuplex est?

Duplex. Aut. n. circa ꝑsonas, aut circa res, cõmittitur. Fraudulẽta abductio ꝑsonarũ raptꝰ, violẽta aũt ablatio rerũ, rapina dicitur, c. lex illa, 36. q. 1.

Quid Rapina?

Rapina est fraudulosa rei alienæ mobilis, & corporalis vi, aut dolo malo, studiosè facta. Et hoc intellige de rebus priuatorum, aliàs dicereture committi sacrilegium, c. nulli liceat, 12. q. 2. c. conquestus, extr. de foro. comp.

Quid Raptus?

Raptus est fœminæ innuptæ, cuiꝰ fama honesta est, inuitis illis, in quorum potestate est, facta abductio, c. lex illa, 36. q. 1

Quæ

Quæ causa Efficiens?

Fraudulẽta mens,& vis ad potiendũ,personis, & rebus alienis,adhibita,c.de raptoribus,36.q.1.

Quæ Materia vel Obiectum?

Rapinę materia est,res aliena mobilis,corporalis,& prophana.Nã res immobiles propriè nõ rapiuntur,sed inuaduntur,& in reb. ecclesiasticis, si illa rapiãtur sacrilegiũ cõmitti dicitur,d.c.conquestus,extr.de foro competen.&,c.nulli liceat, 12.q.2.Raptus aũt obiectum,est fœmina honestę famæ,siue virgo,siue vidua,siue vestalis aut monialis sit.Nam in meretricem,sicuti nec stuprum, ita nec raptus,committitur,c.raptores,3.q.2.

Quæ Forma?

Forma rapinæ est,violenta rei alienæ mobilis corporalis,& prophanę ablatio dolo malo facta. Forma raptus est,cõtrectatio fraudulẽta personę honestę,violenter à domo eius,in cuius potestate est,abductæ,ad hoc,vt corrupta in vxorẽ habeatur.Vnde dicit Gelasius:Raptus admittitur,cùm puella violẽter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorẽ habeatur, siue puellæ solũmodò siue parentibus tantùm,siue vtrisq; vis illata constiterit,c.lex illa,36.q.1.

Quis Finis?

Vt reb.personisq; raptis potiatur, vel vt corrupta in vxorẽ habeatur,d.c.lex illa, c. apud omnipotentẽ,36.q.2.

Qui Effectus?

Rapinæ effectus est, actio Vi bonorũ raptorũ, quę datur ei,ex cuius bonis res rapta est:vel cuius interest,rem non fuisse raptam, licet non habeat in bonis:vt est creditor pignus habens, depositarius

rius,conductor,vsufructuarius, contra raptorẽ, & eum,qui prębuit opem & auxilium hęredesq; inquantùm ad eos peruenit, intra annum quidẽ vtilẽ in quadruplum:ita vt huic quadruplo persecutio rei insit, post annum aũt in simplum,l.1. & 2.C.eo.1. Et iure Pontificio, raptores qui suis rebus spoliãt peregrinantes excommunicatione alijsq; pœnis coërcentur:nisi ablata restituãt, vel de restituendo caueãt:de quibus habetur c.super eo,&,c.excommunicationi,ext.eo. Raptus effectus secundùm leges,est pœna capitalis,intãtùm, vt Iustiniani cõstitutione nõ solũ illi,qui huiusmodi crimen cõmiserũt,sed &,qui inuasionis tẽpore eis auxiliũ præbuerũnt,adhuc flagrãte crimine cõpræhẽsi,à parẽtibus virginũ vel ingenuarũ,vel viduarũ,vel quarũlibet fœminarũ aut earũ cõsanguineis,aut tutoribus, vel curatoribus, vel patronis,vel dominis conuicti interfici possint,l.vnica,C.de raptu virginũ,seu vidua.nec nõ sanctimo.& l.raptores, C.de Episc. & cler. sed secundùm Canones huiusmodi raptores cum suis adiutorib. anathemate,aut si clerici sint, proprij ordinis & honoris priuatione coërcentur,c. si qs virginem,c.raptores,&,c.eos,36.q.2. Sed sciendũ est iure ciuili raptores non tantùm Vi bonorum raptorum,sed etiã alijs actionibus conueniri posse,tam ciuilibus,vt lege Aquilia,cõdictione furti rei vindicatione,alijsq; condictionibus, q̃ criminalib⁹,l.si quis in tãtam,C.vñ vi,l.extat, ff.quod metus causa, tot.titu.C.ad l.Iul.de vi pri.& ad l. Iul.de vi.pub.& l.vni.C.de rapto.Imò qui ex incendio ruina, rate,naueq;,expugnata aliquid rapuisse,recepisse,vel quid damni rebus alienis dedisse

disse dicitur actione in factū ex edicto de incendio, ruina, & naufragio tenetur, l. 1. ff. eod.

Qui dicuntur Incendiarij?

Qui, data opera, ex odio, vel vindicta, ignē ad cōflagranda ædificia apponunt, vel apponi faciunt: non autem illi, quorum negligentia incendij fomitem præbet, c. pessimam, 23. q. 8.

Quomodò Incendium coercetur?

Secundùm leges distinguitur. Aut incendiū fit intra oppidū vel ciuitatem, aut extra. Et tunc, aut data opera, dolo, vindicta, vel ex odio. Aut negligētia, aut fortuitò. Primo. Qui data opera, inquit Vlpianus, libro 8. de officio procōsulis, in ciuitate incēdiū fecerint, si humiliore loco sint, bestijs subijci solēt; si in ali quo gradu id fecerint, puniūtur capite, aut certè in insulā deportātur, l. licere, ff. de incēd. ruin. nauf. Quod & Calliſtratus in l. capitaliū, §. incēdiarij, ff. de pen. asserit inquiens: Incendiarij capite puniuntur, q̄ ob inimicitias, vel p̄dæ causa, incēderint intra oppidum, & plerunq; viui exuruntur. Vnde q̄ ædes aceruumúe frumēti iuxta domum positum cōbusserit, vinctus, verberatus, igni necari, (Caio teste,) iubetur: si modò sciēs prudēsq; id cōmiserit, l. q̄ ædes, ff. de incend. rui. nauf. Qui verò causam aut villā structo incēdio cōflagrāt aliquātò leuiùs puniuntur, d. l. capitaliū. Quòd si per negligentiā incendium fuerit exortū, & dāno vicinis sit, ciuiliter exercetur, vt qui iactura affectus est, dāni disceptet, vel modicè vindicetur, vt Caliſtratꝰ vult, d. l. capitaliū vel, vt Caius explicat, noxā sarciat, vel si minùs idoneus sit, leuiùs castigetur, d. l. q̄ ędes, ff. eo. Fortuitū aūt incēdiū: in quo nulliꝰ culpa, luxuria, vel dolus, ar

gui

gui potest, veniã meretur, l. si fortuitò, ff. eo. De iu re aũt põtificio: si quis studio, odio, vel vindicta, ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus cõsilium, vel auxilium scienter p̃stiterit, excommunicatur. Et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum priuatur sepultura. Nec absoluitur, nisi priùs damno, cui intulit, pro ratiõe facultatum suarum resarcito, iuret, se vlteriùs ignem non appositurum, si quis aũt Archiepiscopus vel episcop⁹ hoc relaxauerit indulseritq;, dãnum restituere: & per annum ab officio episcopali abstinere, districtione canonica compellitur, c. pessimam, 23. q. 8. c. indignè, 12. q. 5. &, c. quisquis 17. q. 3. Non tamen isti incendiarij ipso iure excõmunicati intelliguntur vt prædictis iuribus, nisi ecclesiam vel ædificia religiosa, cœmeterium aliaq; quæ intra spacium priuilegiatum constructa sunt incenderint vel effregerint. illi enim, simulatq; denunciati sunt, pro sacrilegis habẽtur, & in ecclesia ipso iure dicuntur excommunicati: nec absoluuntur, nisi per summum Pontificem, c. tua nos, &, c. conquesti ext. de sentent. excom. c. Canonica, 11. q. 3. c. cùm deuotissima. 12. q. 2.

Quid est Sacrilegium?

Sacrilegium est, quotiens quis sacrum violat, aut auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de nõ sacro, vel non sacrũ de sacro, c. si quis contumax, &, c. quisquis, 17. q. 4.

Quæ causa Efficiens?

Ipsa rei sacræ contrectatio, vel iniuria violentiaq; personis vel rebus sacris adhibita, d. c. quisquis, §. sacrilegium, &, c. si quis suadente, 17. q. 4.

Quæ

Quæ Materia?

Res sacra, mobilis & immobilis corporalis siue surripiatur, contrectetur, siue violetur. Vnde qui prædia ecclesiastica inuadit, vexatq; sacrilegij crimen incurrit, c. prædia, & cùm deuotissimã, 12. q. 2. & qui non sacrum de sacro auferat; quia sacrũ violare videtur, licet res, quæ sacra non sit, surripiatur, d. c. si quis, 17. q. 4. Iure tamẽ ciuili si res nõ sacra auferatur non sacrilegium, sed furtum cõmittitur, l. Diuus, ff. ad ad l. Iul. pecul. Dicitur etiã sacrilegium committere, qui violentas & impias manus in clericum iniecerit, d. c. si quis, 17. q. 4.

Quæ Forma.

Cõmittitur sacrilegiũ, vel in rebus, vel in personis ecclesiasticis. In rebus quidẽ, Ecclesiã infringẽdo, aliquid inde diripiendo, auferẽdo, iniuriã inferẽdo, p̃dia ecclesiastica inuadendo, vexando, &c. c. qsquis, 17. q. 4. & p̃dia, 12. q. 2. Et intelligẽ, q̃ si quid horũ fiat intra 30. passus ab ecclesię ianuis: nam tot passibus vniuscuiusq; ecclesię reuerentia in toto circuitu defẽdi debet, c. diffiniuit, 17. q. 4. In personis aũt, manus violentas clericis, vel personis ecclesiasticis injiciendo, pulsando, vinciendo, verberando, aliaq; iniuria afficiendo, c. si quis suadente diabolo, c. quisquis, &, c. si quis, 17. q. 4. Cõmittunt etiã impropriè sacrilegiũ, qui contra diuinæ legis sanctitatem, aut nesciẽdo cõmittũt, aut negligendo violant & offendunt, aut qui de principali iudicio disputant, dubitantes, an is dignus sit, quẽ Princeps elegerit? vel qui intra prouinciam, in qua prouinciales & ciues habẽtur, officiũ gerendæ aut suscipiendæ administrationis desiderant, c. si quis suadẽte, §. committũt, 17. q. 4.

Qui

Qui Effectus?

Effectus in varijs ſacrilegij cõmiſsi pœnis verti tur: 1. Enim cùm quis ſacrilegiũ rẽ ſacrã è loco ſacro, publico vel priuato vel ex loco nõ ſacro ſuffurãdo, perpetrauit, iure pontificio, indicitur aliqñ pœna excõmunicationis ipſo iure, aliqñ latæ ſentẽtiæ, vt probãt Dd. in c. cõqueſtus, ext. de foro cõp. &, c. cõqueſti, ext. de ſent. excom. & pœna pecuniaria. dicitur. n. in c. ſi quis cõtumax, 17. q. 4. ſacrilegiũ duplicẽ cõtinere pœnã, pecuniariã videlicet, & excõmunicationis. pecuniaria eis perſoluẽda eſt, ad quos querimonia ſacrilegij pertinet, & ideò ſeq. c. quiſquis, 17. q. 4. ſubijcitur. Quiſquis inuentus fuerit reus ſacrilegij. Epiſcopis vel abbatibus ſiue perſonis ad quos q̃rimonia ſacrilegij iuſtè pertinuerit, 30. libras examinati argenti puriſsimi cõponat, d. c. quiſquis. Et eod. c. qſquis, §. fin. ſi qui monaſteria & loca Deo dicata & eccleſias infringũt, &, depoſita, vel alia q̃libet, ex inde abſtrahũt, dominia nouies cõponãt, & emunitatẽ tripliciter, & velut ſacrilegi Canonicæ ſentẽtię ſubiugãtur, & in inuaſores rerũ immobiliũ eccleſiaſticarũ pęna ſtatuta eſt hoc Canone: Attendẽdũ eſt omnib⁹, ne p̃dia vſibus ſecretorũ cœleſtiũ dedicata, à quibuſdã irruentib. vexẽtur, q⁹ ſi quis fecerit, poſt debitæ vltionis acrimoniã (q̃ erga ſacrilegos iure ꝓmẽda eſt) perpetua dãnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuę deportationis ſeruetur, c. attendẽdum, 17. q. 4. c. p̃dia, &, c. qcũq⁹, 12. q. 2. Nota quoq⁹ pœnã q̃ habetur in c. de viro nefando, 12. q. 2. In hoc tamẽ differt ius ciuile, q⁹ eo iure ꝓpriè ſacrilegiũ dicatur, cũ res ſacra de loco ſacro publico ſurrepta fuerit, nõ aũt de

priuato sacro vel nõ sacro, nisi impropriè. Ob id priore casu pœna mortis, posteriore aũt arbitraria ex arbitrio iudicis imponitur, Bal. & Bar. in l. sacrilegij, ff. ad l. Iul. pecul. qđ notat Hier. Zanet. tract. de diff. Iu. Can. & ciuil. nũ. 128. 2. Cùm sacrilegiũ ꝑpetratur immittẽdo impias manꝰ in clericos, tũc is sacrilegus iure ciuili pœna mortis punitur, l. si qs in hoc genus, C. de Episc. & cler. q̃ tñ cũ grauis sit, mitigata videtur ex auth. sed nouo iure, C. de Epis. & cle. quo loci scribit Bal. hodiè pœnã capitis huic sacrilegio indici si 4. cõcurrãt, scilicet: 1. Quòd sit clericus. 2. Quòd diuina celebrẽtur. 3. Quòd sit in ecclesia. 4. Quòd diuinũ officiũ perturbetur. Alioqui altero ex his quatuor deficiẽte, pœna erit exilij. Iure aũt Põtificio vulnerans, vel verberãs clericũ, ipso iure in maiorẽ excõmunicationẽ incidit, à qua nõ nisi à Põtifice absolui põt, c. si qs suadẽte, 17. q. 4. quã cõstitutionẽ glos. ibi intelligit ꝓcedere, etiãsi violẽtia in vestes clerici cõmittat, qđ & affirmat Innoc. in c. nuper, ext. de sententia excõ. Deniq;, cum quis sacrilegium improriè cõmittit: vt putà, qñ qs legẽ diuinã offendit, seu quo ius modo eius intellectũ violat, vel cùm de authoritate Principis, Põtificis, vel Imperatoris disputat atq; dubitat. Hoc in casu pœna est arbitraria, ita sentit Frãc. de Marchis, q. 859. part. 2. Et intellige: disputat de potestate Principis in his, q̃ iuris sunt positiui, de quibus Princeps, cùm ius condẽdæ legis habeat, pro arbitrio statuere põt. Non aũt in his, q̃ iuris diuini, naturalis, vel iuris gentiũ sunt, ita Crauet. cõs. 241. num. 20. & tract. de antiq. temp. prima parte, num. 38. Cõmittitur etiam sacrilegiũ violando virginitatem Deo dicatam, de cuius pœna suprà, eod. tit.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Ratio nulla ꝑmittit, vt ꝓprijs cuiusq̃ vsib. applicetur qđ ꝑ cõmuni vtilitate datũ esse cognoscitur, c. rõ, 17. q. 4.

Reum ad ecclesiam confugientẽ nemo abstrahere audeat, neq; inde damnare ad pœnã vel ad mortẽ: vt honor ecclesiarũ conseruetur, sed rectores ecclesiæ pacem eius & vitam & membra obtinere studeant, c. reum, 17. q. 4.

Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur, qui autem pecuniam aut res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, c. qui rapit, 17. q. 4.

Sacrilegiũ est quoties quis sacrũ violat, aut auferẽdo sacrũ de sacro, vel sacrum de nõ sacro, vel sacrũ de sacro. Dicitur etiã sacrilegiũ cõmittere, q̃ violẽtas et impias manus in clericũ iniecerit. Porrò ipsũ sacrilegiũ duplicẽ cõtinet pœnã, pecuniariã videlicet & excommunicationis, c. si quis, 17. q. 4.

Qui sacris locis derelicta retinere contenderit, vel ecclesiæ res & facultates alienauerit, sacrilegus esse iudicatur, c. sacrilegium, &, c. omnes, 17. q. 4.

Summũ in reb. bonũ est iustitiã colere, ac sua cuiq; iura seruare, & in subiectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est, custodire, c. si seculi, 12. q. 2.

Qui abstulerit patri aut matri aliquid, dicitq́; hoc peccatũ nõ esse, homicidij particeps ẽ. Pater noster sine dubiò Deꝰ ẽ, q̃ nos creauit, mater vero nostra, Ecclesia est, q̃ nos in Baptismo regenerauerit: ergo q̃ Christi pecunias et ecclesiæ rapit vel fraudat, homicida ẽ, c. q̃ abstulerit, 12. q. 2

Rapinã emere non licet, nisi ea intẽtione, vt cui est ablata, restituatur, c. rapinam, 14. q. 5.

Bonus vsus nõ iustificat iniustè quæsita, c. neq;. 14. q. 5.

Cum alterius detrimento alteri subuenire non licet, c. denique, 14. q. 5.

Aliena rapere, nõ est cõtra præceptũ: nullo siquidẽ Dei mãdato rapina videtur ꝓhibita: sed nomine furti omnis illicita vsurpatio rei alienæ intelligitur, c. dixit, 14. q. 5.

Iniuria ex affectu faciẽtis cõsistit, c. illud relatũ, 15 q. 1.

Voluntarios Reos nõ necessitate compulsos culpa constringit, & pœna condemnat, c. illa cauenda, 15. q. 1.

Si qui per vinum deliquerunt, apud sapientes iudices venia quidem facta donantur, sed leuitatis damnantur auctores, c. sanè, 15. q. 1.

Si quis ecclesiam igne combusserit, quindecim annis pœniteat, & eam sedulò restituat, & precium pauperibus restituat, c. si quis ecclesiam, 17. q 4.

Res ecclesiæ nullo modo distrahi possunt: Et si distractæ sint, non possidentur, c. nunc quæritur, 12. q. 2.

Qui res mobiles ecclesiæ rapit, vel immobiles inuadit, sacrilegij crimẽ incurrit, c prædia, &, c. in antiqs, 12. q. 2

DE FVRTIS.

Titulus XVIII.

Continuatio.

RApina & sacrilegium species furti sunt. hinc rapinã vel sacrilegiũ nõ permisit, qui furtũ ꝓhibuit. Cùm furti nomine omnis illicita rei alienæ vsurpatio intelligatur, c. dixit, §. obijci tur, c. pœnale est, 14. q. 5. &, c. meretrices, 32. q. 4.

Quid est Furtum?

Furtum, authore Paulo, est cõtrectatio rei fraudulosa lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiã vsus eius, possessionisúe, quod lege naturali, prohibitum est admittere, l. 1. §. furtum, ff. eod.

Quo-

Quotuplex Furtum?

Duplex. Generale & ſpeciale. Generale eſt, quod oẽm illicitã rei alienæ vſurpatiõem cõ præhẽdit. Vnde & rapina, ſacrilegium, peculatus, &c. furti appellatione veniunt, d.c. metetrices, 32. q. 4. &, l. 1. ff. ad legem Iuliam pecul.

Quid Furtum ſpeciale priuatum: & quomodò diuidatur?

Furtum in ſpecie conſideratum, vel eſt manifeſtum: vt cùm quis adhuc in ipſo actu ſurripiendi, vel antequam ad locum deſtinatũ perueniat cum re furtiua, vel à domino rei, vel ab alio deprehenditur, l. fur eſt manifeſtus, ff. eod. Vel non manifeſtũ: quod eſt, cùm quis inſcijs alijs, rem furto ablatam in eum transfert locũ, in quem ſeſe recipere conſtuit, l. ſiue igitur, &, l. ſeq. ff. eod.

Vnde dicitur Furtum?

Furtum à furno, i. nigro dictum Labeo ait, q̃ clã & obſcurè fiat, & plerunq; nocte. Vel à fraude, vt Sabinus ait, vel à ferendo & auferendo, vel à Græco ſermone quo φῶρας appellatur fures. Imò vt Paulus opinatur Græci ἀπὸ τοῦ φέρειν, hoc eſt à ferẽdo fures appellarint, l. 1. ff. eod.

Quæ cauſa Efficiens?

Mẽs fraudulosa, affectus, & cõtrectatio furãtis, c. hi q in furtis, §. furtum, &, c. fur aũt, 14. q. 6. ſicuti enim nullum delictũ, nec plagium, nec adulterium, nec violentia, nec homicidium, ſine doloſa intentione committitur: ita nec furtum abſq; dolo & contrectatione, licet voluntas, verba, vel ſcriptura, interuenerint, fieri dicitur. Vnde ſola cogitatio furti faciendi non facit furem, l. 1. ff. eod. &

l.si quis vxor.l. inficiando,& l.falsus,ff.eod.

Quæ Materia?

Res aliena,mobilis,corporalis, vel ipsius vsus &possessio,siue illa res modica sit,siue magni momenti.Sicuti enim in fornicatione,nō id circa diuersa est,fornicatio,si mulier sit pulchra, aut deformis,ancilla,aut ingenua,paupercula,aut opulenta:sed qualiscūq; illa fuerit,vna est fornicatio: ita in furto quantūcunq; quis abstulerit,furti crimen incurrit.Non enim furtū tā in quātitate rei, q̄ in affectu furandi considerat.mens.n.sola furantis attēditur,c.fur est,&,c.hi qui in furtis,14. q.6.Aliena res esse debet cuius furtum fit.Quia in re propria furtum non committitur: nisi cum alio sit cōmunis,l.si socius, ff.eod. nisi quis protestetur iure potius suo,q̄ furti consilio vti,l.merito,ff.pro socio.Et mobilis.Quia immobiliū furtum fieri,nequit,l.qua re, ff.de vsucap. sicuti nec incorporalium.Quia incorporalia nec tradi, nec possideri, vel cō trectari possunt,l.seruus,§.incorporales,ff.de acq̄.rerū dom.Furtū aūt iure corporali,vel eius vsu, vel possessione cōmittitur: vsu, Nam si creditor vtatur pignore, vel depositarius re depositā,furti tenetur vel possessionis: veluti si debitor rem pignori datam subtrahat creditori:vel si colonus,qui fundum conduxit,eo vendito dominum possessione fraudet,furtū cōmittitur, l.cùm æs,§.1.ff.eo.l.is.q̄ rem pignori, ff.eod.

Quæ Forma?

Fraudulenta contrectatio rei alienæ inuito domino facta,vnde,vt furtū cōmitti dicatur, quatuor coniunctim requiruntur: 1.Mens fraudulēta furantis,c.fur aūt,14.q.6. 2.Vt fiat,domino inuito,

uito,l.falsus,ff.eod.3. Actualis contrectatio, l.inficiando, ff. eod. 4. Vt Res talis sit in qua furtum committi possit,l.1.ff.eod.vnde Vlpianus,lib.41. ad Sabinum,hæc requisita explicans ait:Qui alienum quid iacens lucrifaciendi causa quid sustulit,furti obstringitur,siue scit cuius sit,siue ignorauit.Nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cuius sit ignoret,quod si dominus id dereliquit,furtum non fit eius.etiamsi is,qui surripit, furandi animum habuerit.Nec enim furtum fit, nisi sit cui fiat, in proposito autem nulli fit, sed si non fuit derelictum, putauit tamen derelictum esse: sed si neque fuit, neque putauit, iacens tamen tulit, non vt lucretur, sed redditurus ei cuius fuit, furti non tenetur. Quid si nesciat cuius fuerit?solēt inquit Vlpianus,pleriq; libellum continentem se inuenisse, & redditurū ei qui desiderauerit & ostenderit rem suam esse, proponere, quo facto, non furandi animo se fecisse,ostendūt,l.falsus creditor,§.qui alienum,ff. eod.Non igitur solus furandi animus ad inducēdum furti vitium, sufficit:sed etiam desideratur vt subsecuta actualis cōtrectatio in re, in qua cōmittitur furtum,inuito domino fiat. Contrectatio bifariam hic intelligitur,verè & interpretatiuè.Contrectatio vera,quolibet actu,quo res furtiua abducitur,amouetur, vel transfertur designatur,l.si quis vxori,§.si quis asinum,ff.eod.l.alienum,C.eo.§.furtū,Inst.de oblig.quæ ex delict. l.possideri,§.si rē,ff.de possess. Interpretatiua contrectatio dicitur:quæ considerato effectu in iure pro vera habetur. hinc falsus procurator tenetur, si volens debitum exigere alijs delegauerit

ſoluendum ſe præſente : nam propter præſentiã ſuam, in ſe pecunia translata videtur, l. falſus, §. ſed ſi is, ff. eo. Item is, qui opẽ & auxilium ad furtum faciendũ præſtitit, l. is qui opem, ff. eod. Itẽ receptator rerum furtiuarum, l. eos, C. eod. & qui in officio fraudulenter verſantur, l. 1. §. fin. &, l. 2. ff. de tute. & rat. diſtra. nuncius tamen pecuniam, q̃ illi perferenda commiſſa eſt, inuito domino, cõ ſumens, nõ pœna furti ſtatutaria, ſed mitiori pro arbitrio iudicantis plectitur, Iaſon in l. eius qui, §. quas actiones, ff. ſi cer. peta.

Quæ cauſa Procatarctica?

Circunſtantiarũ cõmittendo furto inſeruientium oblata occaſio, commoditas occultãdi, &c.

Quis Finis?

Perceptio lucri ex contrectatione rei alienæ: ſi .n. ad alium finem, ſcilicet explendæ libidinis, vel al terius rei cauſa fiat', furtum non erit, 'l. verum eſt, ſi meretricem, ff. eod. furtum enim, ſine intentione lucrandi non committitur.

Qui Effectus?

Actio furti pœnalis: actio ad exhibẽdũ: rei vindicatio, & cõdictio furtiua. Actio furti ẽ merè pœnalis, & vel iure prætorio, vel ciuili ad perſequendam pœnam ſiue quadrupli, ſi furtũ manifeſtũ ſit, vel dupli, ſi non manifeſtum, cum omnib. acceſsionibus ſeu fructibus rei furtiuæ competit, l. qui, ſacrũ, ff. eod. Et datur domino rei furto ſubtractæ, vel ei, cuius ex honeſta & probabili cauſa intereſt furtum factum non eſſe: vt ſunt creditor, commodatarius, depoſitarius, ſocius, bonæ fidei poſſeſſor, & maritus rei dotalis, l. eũ qui, §. qualis

&

& §. si res cõmodata, ff. eo. l. si soci⁹, ff. pro socio, l: interdũ, &, l. cũ æs, §. 1. ff. eo. Et hæredib. eius, qui furtum passus est, §. nõ autẽ, inst. de perpet. & tẽp. actionib. cõtra furẽ præstantẽq; opẽ & cõsiliũ, l. 1. l. falsus, l. qui seruo, &, l. in furti, ff. eo. In hęredẽ tñ furis nõ exercetur, nisi de eo, q; ad ipsũ ex furto peruenit scientẽ & cõtrectantẽ, vel si lis cũ fure superstite cõtestata fuerit, d. §. nõ aũt, &, §. pœnales, inst. de perp. & tẽp. actionib. Actio ad exhibendũ, est, p̃paratoria rei vindicationis: Nã cõpetit ad exhibendã rẽ surreptã, vt vindicari possit, l. 1. ff. ad exhib. Rei vindicatio dño aduersùs quãlibet possessorẽ, vel eũ, qui dolo desijt possidere, ad consequendã rẽ furto sibi surreptã competit. Qua actione possesso conuentus rem furtiuã domino, etiam præcio non persoluto, restituere tenetur, l. in ciuilem, C. de fur. & ser. corrup. condictio furtiua etiam domino aduersùs furẽ ipsum hæredesq; eius, aut quemlibet successorẽ, siue res extat, siue perierit, ob morã, q̃ fur, qui primo inuito dño, rem contrectauit, semper in restituẽda ea facere videtur, ad restitutionẽ rei furtiuę, etsi melior facta sit, impensa ipsius furis extorquendam datur, l. ex argento, l. 1. &, l. fi. ff. de cõdict. furti. Cùm igitur furti actio ad pœnæ persecutionẽ spectet, condictio verò & vindicatio, ad rei persecutionẽ cõsequitur, recepta re, aut perempta, nihilominus furti actionẽ cõpetere, cõditionẽ verò, & vindicationẽ tolli, sicut ex diuerso post solutã dupli, vel quadrupli pœnã salua est vindicatio, & cõdictio: ita tñ, vt alterutrius electione altera tollatur, l. si pro fure, §. furti actio, ff. de cõ. fur. Hodiè verò cõstitutionib. imperialib. hoc furti

iudiciũ quasi publicũ constitutũ est: Et fures, qui quinq; solidos vel rem eius æstimationis furati fuerint, laqueo vel cruce, sin minus, forcipe & fustigationib' puniũtur, §. si qs quinq;, c. de pace tenenda in vsibus feud. & const. Caroli V. Impe. articulo 160. cũ duob. artic. sequentib. in tractatu de causis criminalib. Et hoc ob delicti huius frequẽtiã, qua Reipublicæ salus, ad cuius conseruationẽ oẽs leges referẽdæ sunt, nimium lædi videbatur. Nã & Claudius Saturninus, legibus permisſũ esse tradidit, Vt constituta maleficiorum supplicia in terrorẽ aliorũ exacerbentur, si quãdo nimiũ mul tis grassantibus exemplo opus est, l. aut facta, §. euenit, ff. de pœnis. Canones quò ad pœnam ita distinguunt. Aut furtum fit ob necessitatem, vt si fame, vel indigentia rerum quis oppressus furetur cibaria, vestem, vel pecus: & trium hebdomadarum iniungitur pœnitentia, c. si quis, ext. eod. Aut nulla impellente necessitate, sed fraudulenta intentione fit furtum: & tunc, vel est occultũ, aut manifestum: si occultum: & fur sponte illud fuerit confessus, quo casu tenetur ad restitutionẽ & agendam pœnitentiam, quibus peractis ad sacros Ordines promoueri potest, c. ex literis, extr. eod. Si autem est manifestum, & accusatus, confessus, vel furti Reus legitimè cõuictus fuerit, eo casu deponitur, & in monasterium conjcitur, vel si necdum corrigibilis sit, secular i iudici legitima pœna puniendus traditur, c. at si clerici, §. 1. & c. cùm non ab homine, extr. de iud. c. tuæ, extr. de pœnis. Aliam pœnam furis in ipso actu furandi occisi, vide, c. 2. ext. eod. & c. fures, 13. q. 2. Quomodo autem illi, qui fures & latrones in ipso delinquen-

linquendi actu interficiũt, cum eos compræhendere possint puniantur? vide c. si fur aut latro, 13. quæst. 2.

Quæ Affinia?

Rapina, quæ violentia, sacrilegium, quæ in re sacra fit, crimen peculatus: quod quasi publicum furtum dicitur, quò quis defraudat ærarium publicum: simonia, qua simoniacus quasi furari gratiam intendit: vsura, quia vsuram exercens, quodammodo furtum committit.

Quæ Pugnantia?

Præceptum decalogi: Ne furtũ facias, lex diuina: ratio & lex naturalis; Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: ius gentium, quo dominia sunt distincta, & vnicuiq; suum adiudicatũ, l. ex hoc iure, ff. de iustitia & iure.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Non fur solùm, sed & ille reus tenetur, qui furti conscius, quærẽte possessore nõ iudicat, c. qui cũ fure, ex. eod.

Non est aliquid eripiendum diuitib. vt detur egenis, c. fortè, 14. q. 5. (14. q. 1.

Cũ alterius detrimẽto alteri subuenire nõ licet, c. denig.

Si quid inuenisti & non reddidisti, rapuisti, quantũ potuisti fecisti. quia plus non inuenisti, igitur plus non rapuisti, c si quid, 14. q. 5. & c. multi, eod.

Furti nomine omnis illicita rei alienæ vsurpatio intelligitur, c. dixit, &, c. pœnale, 14. q. 5.

De malo bonum facit, qui pauperibus dispensat, quod cũ labore & solicitudine acquisiuit: quia nomine mali cura, et solicitudo mortaliũ exprimitur, c. qui habetis, 14. q. 5

Quæ contra ius societatis humanæ furtis, rapinis, calum-

calumnijs, oppreßionibus, inuaßionibus, ſunt ablata reddẽ da, potiùs quàm donanda ſunt, c. non ſanè. 14. q. 5.

Furtum non tam in quantitate reî, quàm in affectu furantis, conſideratur, c. hi qui, 14. q. 6.

Fur non ſolùm in maiorib. ſed in minoribus etiam iudicatur. nõ enim quod furto oblatũ eſt, ſed mens furantis, attenditur, quomodò in fornicatione non idcircò: diuerſa eſt fornicatio, ſi mulier ſit pulchra, aut deformis, ancilla, aũt ingenua, paupercula aut opulẽta: ſed qualiſcũq; illa fuerit, vna eſt fornicatio. ita in furto quantũ cuiq; quis abſtulerit furti crimen incurrit, c. fur autem, 14. q. 6.

Voluntas, eſt animi motus ad aliquid imitandum, vel nõ imitandum, vel adipiſcendum, c. quod autem, 15. q. 1.

Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequẽdi, quod iuſtitia vetat, d. c quod, 15. q. 1.

Qui ob neceßitatem ad ſe alendum furatur, pœnam regulariter in fures ſtatutam non incurrit, c. ſi quis, ext. eod.

DE VSVRIS.

Titulus XIX.

Contiuatio.

VSura cum furto affinitatem quandam habet: cùm hoc vitio cõtra diuinã legẽ alienę rei illicita contrectatio fiat, c. ſi quis, 14. q. 4

Quid Vſura?

Vſura eſt, lucrum, quod ſorti mutuò datæ accedit, vel ex pacto, vel intentione mutuantis, c. vſura, 14. q. 3. &, c. de eulogijs, diſt. 18.

Vnde dicitur Vſura?

Vſura dicitur ab vſu rei, i. pecuniæ. Nomine autem pecuniæ cõtinetur quicquid homines in bonis habent, c. totum, 1. q. 1. ſed hic cùm vſura non niſi

nisi in cõtractu mutui cõmittatur, vsum rei, pro abusu & consumptione ipsius rei, accipere oportet, Hostien. §. vnde dicatur hic.

Quotuplex Vsura?

Duplex. Mentalis & conuentionalis. Mentalis est, quam sola intentio dantis absq; pacto ab initio interueniente inducit, c. consuluit, extr. eod. Conuentionalis dicitur, quando habito in contrahentes tractatu de vltra sortem mutuatã prę-stando & exigendo conuenit, c. vsura est, 14. q. 3. Est & vsura vel spiritualis, quæ sacris literis commendatur, c. sicut nõ suo, dist. 46. Vel corporalis, quæ omni iure improbatur, de qua tot. hoc tit.

Quæ causa Efficiens?

Conuentio cõtrahentium & voluntas, vel peruersa intentio mutuantis, d. c. vsura, 14. q. 3. &, c. consuluit, extr. eod. Nam si gratis aliquid detur, nõ est vsura c. de elogijs, dist. 18. nisi spes vltra sortem quid consequendi adsit, arg. c. tua, extr. de fim. &, c. 1. dist. 14.

Quæ Materia?

Res, quæ functionem in suo genere recipiunt. id est, quæ consistunt pondere, numero, & mensura: vt sunt pecunia, vinum, oleum, frumentũ, &c. Non enim vsura committitur, nisi in contractu mutui, Hostien. in §. & vnde, hoc tit. Ergo in his rebus tantùm, in quibus mutuum consistit vsura committitut. Quod intelligitur quò ad contractum. quia in alio cõtractu regulariter nõ debet committi vsura, vt tradit Abb. in rub. hîc, sed quò ad vsuram aliud est. Nam si pro mutuo detur vel exigatur vestis, bos, equus, capella, prædium, vel quid aliud, quod numero, pondere & mẽ

sura

ſura non conſtet vſura eſt, vt traditur, in c. plerique, &, c. vſura, 14. q. . ſi modò mutui contractus præceſſerit.

Quæ Forma?

Acceſsio ſolutionis rei mutuatæ, gratia ipſius rei vſus ex pactione interpoſita, vel ſola lucrandi intentione exacta vel accepta. Vt enim vſura cõmittatur, requiritur primo acceſsio. i. vt ſorti aliquid accedat. Quicquid enim vltra ſortem datur vel exigitur, vſura eſt, c. ſi fœneraueris, c. putant, c. plerique, 14. q. 3. ſecundò requiritur, mutuum, i. vt res ex mutui contractu data ſit. in alijs enim cõtractib⁹ minoris mali gratia vſura toleratur, Ab. in rub. Deniq; pactio contrahentiũ vel intentio exigentis, deſideratur. Quia ſi nullo pacto ab initio interueniente, & abſq; exactione debitor aliquid gratis offerret, impunè à creditore, qui mala intentione caret recipi poſſet. Siquidẽ, vt dicitur, oblatio nullã culpæ maculã ſuſcipienti ingerit, q̃ non exambientis petitione proceſsit, c. ſicut Epiſcopũ, 1. q. 2.

Quis Finis?

Lucrum: ſine ſpe enim lucri vſura non cõmittitur, arg. c. tua, extr. de ſimo. &, c. 1. diſt. 14.

Qui Effectus?

1. Deſertio agriculturæ. 2. Paupertas. Nam ſi licita eſſet vſura, eius lucrum culturæ poſſeſsionũ præferretur, ex quo multorum paupertas: cum annua vſurarum præſtatio periculoſa ſit, ſequeretur. Inno. in rub. hic. Vſurarũ enim vorago non tãtũ animas deuorat, ſed etiã facultates exhaurit, vt ait Grego. X. in generali Conci. Lugdu. c. 1. eo. in 6. 3. Idololatria. Quia in diuidendo & diligẽdo pecuniã, vix euitatur idololatria. ibi enim ſemp eſt

est cor auari, iuxta illud. Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Et auari gratius intuentur aurũ quàm Solem, c. omnis, &, c. sicut hi, dist. 47. Auar⁹ autem, quia cultũ Deo debitũ nummo impendit, Idolorum cultor ab Apostolo appellatur, c. q̃ aũt 26. q. 5. 4. Effectus colligitur ex pœnis in vsurarios constitutis.

Quibus pœnis vsura coercetur?

Varijs. Nam alia pœna imponitur à Canone, alia à Iudice, alia ab aduersario exceptionis obiectione. Pœna à Canone statuta triplex est. Nã Alexand. in Concilio Lateranẽ. statuit, manifestos vsurarios, nec ad cõmunionẽ altaris admittẽdos, nec in hoc vitio mortuos sepulturæ Ecclesiasticæ concedendos: nec eorũ oblationes ab Ecclesia accipiendas, sed esse excõmunicatos ipso iure, vt Innocen. super c. quia in omnib. ext. eod. & qui aliquid accipiẽdo vel Christianæ sepulturæ eos tradendo p̃dictis cõtra fecerit, eũ ad restitutionẽ accepti cõpelli, & donec ad arbitriũ Episcopi sui satisfaciat, ab officij sui executione suspẽdi, d. c. q̃a in omnib. ex. eo. Pœna à iudice ex superiori profi ciscitur. Nã si manifestus vsurari⁹, id q̃ vsuræ loco exegit, restituere, vel interdicto parere pertinaciter recuset, si clericus est, ab officio & beneficio suspẽditur: sin laicus, vsq; ad dignã satisfactionẽ vinculo excommunicationis obstringitur, c. præterea, & Innoc. in c. cùm tu manifestas, extr. eod. Qui si necdũ resipiscat, nec obtẽperare nolit, degradatus seculari potestati legitimè puniendus traditur, c. Canonum, c. si quis oblitus, &, c. quoniã, 14. q. 4. Quã tamen pœnam desistendo vitabit, c. 1. &, c. 2. distinct. 47. Gregorius etiam X.

consti-

constitutionẽ Lateranensis Concilij generali cõ
stitutione cõfirmans sanciuit. Ne collegium, aut
alia vniuersitas, vel singularis persona, cuiuscun-
que sit dignitatis, conditionis, vel status alienige-
nas publicã fœnebrem pecuniam exercentes aut
exercere volentes, ad hoc domos in terris suis cõ
ducere, aut conductas habere, aut alias habitare
permittant: sed huiusmodi manifestos vsurarios
omnes intra menses tres de terris suis expellant.
Qui verò cõtrà fecerint, si personę fuerint Eccle-
siasticę, Patriarchę, Archiepiscop. Episcopi, suspẽ
sionis, minoris verò personæ singulares, excõmu
nicationis: si aũt collegium, seu aliæ vniuersitas,
interdicti sententiã incurrũt, c. vsurarũ, eo. tit. in
6. Et Clemẽs V. Christianorũ cõsortio interdictos
esse iussit, qcũq; super his vsuris soluẽdis statuta
ordinarint, fecerint, scripserint, vel dictarint, vel
qui secũdùm ea statuta iudicarint, oneratq; fene-
ratores, in causis fœnore vertẽtibus, rationũ sua-
rũ libros aduersarijs pręferre & exhibere. Itẽ eos
hæreticos esse decernit, q̃ asseuerare non dubita-
rint, minimè peccatũ esse fœnerari, Clem. 1. §. cæ-
terùm, & §. sanè, eod. tit. Alia pœna imponitur
ab aduersario ope exceptionis. Vnde, si quis impe
trauerit literas super vsuris, quas ipse alij soluit,
restituendis sibi, vel fructibus sibi in sortem cõ-
putandis, nulli cõmodo ei erunt literæ impetra-
tæ, nec auditur: nisi priùs restituerit quas aliquã-
do extorsit vsuras. Quia frustrà legis auxilium in
uocat, qui committit inlgem, c. quia frustrà, extr.
eod. Sanxit etiam Gregorius X. manifestum fœ-
neratorem, nullo modo testamentis interesse,
nec ad confessionem vel absolutionem admitti:
nec

nec testamentum ipsius viribus subsistere posse, nisi de vsuris satisfecerit, vel de faciendo pro viribus facultatum idoneam cautionem præstiterit, c. quanquam, eod. tit. in 6.

Quomodo restitutio facienda? Et quæ forma cautionis pro facienda restitutione exhibendæ?

Quanquam vsurarij manifesti (vt inquit Gregorius X.) de vsuris, quas receperant satisfieri, expressa quantitate, vel indistinctè, in vltima volũtate mandauerint: nihilominus tñ eis ecclesiastica sepultura denegatur, donec de vsuris ipsis fuerit (prout eorũ facultates patiuntur) plenè satisfactum: vel illis, quibus facienda est restitutio, si præstò sint ipsi, aut alijs, qui eis possunt acquirere, vel eis absentibus, loci ordinario aut eius vices gerẽti, siue rectori parochiæ in qua testator habitat, corã aliquibus fide dignis, de ipsa parochia (quibus quidem Ordinario vicario, & rectori p̃dicto modo, cautionẽ huiusmodi eorũ nomine licet recipere, ita q̃ illis perinde actio acquiratur) aut seruo publico de ipsius ordinario mãdato idoneè de restitutione faciẽda sit cautũ. Cæterùm si receptarũ vsurarum quantitas manifesta sit, illam semper in cautione prædicta exprimi oportet. Alioquin aliã cautionẽ recipiẽtis huiusmodi arbitrio moderandã, ipse tamen scienter non minorem quã verisimiliter creditur, moderabitur. Et si secus fecerit, ad satisfactionem residui tenetur, c. quanq̃, eod. tit. in. 6. Quid si nusquã appareant illi à quibus vsuræ acceptæ sunt, cùm tamẽ certum sit aliquibus fuisse acceptas. Hoc casu poterunt malè ablata inter pauperes distribui, c. cũ tu, &, c. Michael, extr. eod. Verùm vt ijsdem ipsis

potiùs quib⁹ vsurariè erepta sunt, reddatur, quã incertis distribuatur, quod certis personis debetur, consultum erit publicis edictis patefacere eo loci, vbi vsuræ solutæ sunt, vt quisquis fœneris nomine à se aliquid sciat ablatũ, id veniat recepturus, glos. in d. c. quamquam verb. satisfieri, eod. tit. in 6. Et sciendum, quòd prædicta non tantùm procedant contra vsurarios manifestos, qui accusatione præmissa per sententiam legitimè condemnati sunt: verùm etiam contra eos, contra quos non apparet accusator, modò illos vsurarios manifestos esse, alijs argumentis constiterit, c. cùm in diœcesi, ext. eo. Et etiã cõtra hæredem fœneratoris, quod ad restitutionẽ attinet. ille enim ijsdem modis, quib⁹ ipse fœnerator posset, si viueret, ad restituẽdas vsuras compellitur, c. tua nos, ext. eo. Imò etiã contra Iudæos, qui ad restitutionẽ vsurarum, quas Christianis extorserint, interdicta eis Christianorum cõmunitate, & societate coguntur, c. penul. extr. eod.

Quæ Affinia?

Furtum, rapina, simonia, interesse, varijsq; generis accessiones, quæ ob ipsam sortem capiuntur, & turpe lucrum, quod quid sit? vide c. quicunq;, 14. quæst. 4.

Quæ Pugnantia?

Lex diuina, quæ dicit: Mutuum dantes nihil inde sperantes: Christiana charitas, qua quis tenetur subuenire proximo natura contractus mutui: quæ parem doti desiderat restitutionem.

AXIOMAT ET SENTENTIAE.

Qui ex eo, quod pecuniarum à se mutuo datarum periculum

riculum suscepit, aliquid vltra sortem percipit, fœneratoris labe non caret, c. fin. extr. eod.

Qui pro mutuata pecunia fundum pignori accepit, eius fructus, si quos percepit in sortem acceptos ferre debet: non sibi lucro adscribere, nisi fœneratoris nomen, & notã subire velit, c. 1. &, c. conquestus, extr. eod.

Vsurarius monitus non desistens, si clericus est, ab officio & beneficio suspenditur, si laicus excommunicatur, c. præterea, extr. eod.

Hæres vsurarij filius vel extraneus vsuras extortas per defunctũ restituere compellitur, c. tua nos, extr. eod.

Per subtractionem communionis Christianorum, & per principes seculares cogendi sunt Iudæi ad vsuras restituẽdas, c. post miserabilem, & c. quanto, extr. eod.

Non auditur vsurarius repetens vsuras: nisi priùs restituat extortas, c. quia frustrà, ext. eo. c. Michael, eod.

Maritus recipiens pignus pro dote promissa, non tenetur fructus in sortem computare, c. salubriter, ext. eod.

Conuictus de vsuraria prauitate per famam, & alia argumenta, tanquam manifestus vsurarius secundùm dispositionem Lateranensis Concilij compesci potest, c. cùm in diœcesi, ext. eod.

Vsurarum vorago sicuti facultates exhaurit, ita animas deuorat, c. 1. eod. in 6.

Quò minor fœneratorib. aderit fœnerãdi cõmoditas, eò magis libertas exercẽdi fœn^o adimẽda. d. c. vsurar. eo. in 6

Quia fœneratores vt plurimùm contractus vsurarios occultè ineunt & dolosè, quod vix conuinci possunt de vsuraria prauitate, ad exhibendam, cùm de vsuris agitur, suarum rationum codices, censura ecclesiastica

compelluntur. Clem. vni. §. cæterùm, eod.

Quicquid sorti accedit, vel supra datum exigitur, vsura est, c. putant, c. plerique, & c. si fœnerauerit, 14. q. 3.

Si quis vsuram accipit, rapinam facit, vita non viuit, c. si quis, 14. q. 4.

Non minus crudelis est, qui pauperem trucidat fœnore, quàm qui diuiti sua rapit, c. quid dicam, 14. q. 4.

Ab illo iure vsura exigitur, cui iure arma inferuntur, c. ab illo, 14. q. 4.

Turpe lucrum facit, quicunque tempore messis vel vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, concepe-rat annonam vel vinum, & seruat vsque dum carius venditur, c. quicunque, 14. q. 4.

Fideli homini totus mundus diuitiæ sunt, infideli autem nec obolus, c. quid dicam, 14. q. 4.

DE CRIMINE FALSI.

Titulus XX.

Continuatio.

VSurarij, ad extorquendum illicitas vsuras plerunque falsitate vtuntur.

Quid Falsitas?

Falsitas est, occultatio vel imitatio veritatis, ad decipiendum, scienter facta, c. homines, §. quia ergo, &, c. is aũt, §. nemo, 22. q. 2. c. 1. §. vterque, ext. eo.

Quæ causa Efficiens?

Mens conscia falsitatis, dolus malus. Falsum enim absque dolo non committitur, l. nec exemplũ, C. eod. Vnde de falso, quod dicto fit, dicitur quod nemo mentiens iudicandus sit dicere falsum, qui putat verum, quòd dicit. Quia quantum in ipso est

est non fallit, sed fallitur, c. is autem, §. nemo, 22. quæst. 2.

Quæ Materia?

Omnia falsa dicta & facta, quæ animo corrumpendæ veritatis in fraudem alterius dolo malo fiunt: licet non dictum sed falsitatis factũ lex coerceat, l. 3. & 4. C. de patr. potestate.

Quæ Forma?

Forma committendę falsitatis varia est. Nã aut dicto, aut scriptura, aut facto, aut vsu, committitur falsum. Dicto quidem, si falsum testimonium feratur, si loquendo occultetur veritas, & mendacium dicatur: quia & ille prodesse nõ vult, & iste nocere desiderat, c. 1. ext. eo. si periurium cõmittatur, de quibus habetur per totum, 12. q. 2. & 12. q. 4. &, l. 1. ff. ad l. Cor. de falsis. Scriptura cõmittitur falsum, siue quis falsum scribat, siue deleat verũ, vt rei veritas nõ appareat, Nec distinguitur: vtrũ sit testamentum, instrumentum mũe publicum, vel priuatum, tabulæ lignęę, cereæ vel rationes, l. 1. §. qui rationib. ff. eo. Vnde Paulus, li. 3. ad Sabinum. Qui testamentũ amouerit, celauerit, rapuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quiũe testamentũ falsum scripserit, signauerit, recitauerit, immutauerit dolo malo, cuiusũe dolo malo id factũ erit, legis Corneliæ pœna dãnatur, l. q testamentum, ff. eo. Et alibi, quid sit falsum? quæritur, & videtur id esse, si quis alienum Chirographum imitetur, aut libellum vel rationes intercidat, vel describat: non qui aliàs in computatione, vel ratione mentitur, l. quid sit falsum, ff. eod. Item, qui in testamento sibi aliquid adscripsit, l. impuberum, &, l. si quis legatum, ff. eo. Et qui fal-

sas leges ab obtinendam victoriã in lite allegat, iudicemq; fucosè confictis mendacijs instruit, l. 1. in princip. ff. eo. & l. fi. ff. eo. Item qui immutando literas Apostolicas falsificat, ita vt in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ, falsitas cognoscatur. Nouem aũt modos falsificandi literas Apostolicas, ex quibus varietas falsitatis deprehendi potest, tradit Innocentius III. in c. licet ad regimen, ext. eod. quos ibidem vide.

Facto falsum committit, qui signum adulterinum fecerit, sculpserit, partum falsum suppoſuerit, quo casu soli parentes accusant, aut hi, ad quos ea res pertinet. Non quilibet ex populo, vt publicam accusationem intẽdat, l. lege Cornelia, ff. eo. si venditor mensuras publicè probatas, vini, frumenti, vel cuiuslibet rei, aut emptor corruperit, dolóue malo fraudẽ fecerit, l. hodiè, ff. eod. Qui ad litem instruendam aduocatione testibusúe pecuniam acceperit, obligationem pactionẽúe fecerit, societatẽ inierit, vel vt aliquid eorum fieret curauerit, l. falsi pœna, & l. 1. ff. eo. Item qui in aurum vitij quid addiderit, vel argenteos nuncio adulterinos cõflauerit, falsi crimine tenetur. Cuius pœna afficitur etiam is, qui cùm prohibere tale quid posset, non prohibuit, l. lege Cornelia, ff. eodem. Vsu committitur falsum. Qui falsis literis scienter vtitur, c. ad falsariorum, ext. eod. &, c. accedens, eo. Qui nummos stagneos vel plumbeos emit vel vendit, l. lege Cornelia, ff. eo. Qui falso nomine dolosè vtitur. Falsi enim nominis, vel cognominis adseueratio pœna falsi coercetur, teste Papiniano, l. falsi, ff. eo. sicuti & ille falsarius prohibetur, quicunq; conditionẽ mentitus

titus est, ad imponendū alijs: vt si quis pro milite se gerat,& falso diplomate vtatur,vt tutò commeare possit,l.eos qui,§.vlt.ff.eo. Et deniq; quoties quis imitatione veri suū cōmodū dolo malo q̄rit,cū proximi sui detrimento, falsū cōmittere dicitur.

Quis Finis?

Vt quid dicatur, vel fiat,ne veritas appareat,& alius decipiatur, l. instrumentorum, &, l. 1. ff. eod.c.1.extr.eo.&,c.beatus Paulus,22.q.2.

Qui Effectus?

Pœna,inquit Marcianus, falsi, vel, quasi falsi, deportatio est,& omnium bonorum publicatio: Et si seruus eorū quid admiserit, vltimo supplicio affici iubetur,& licet hæc pœna in omnis generis falsarios iure Pandectarum constituta sit, tamē etiā ciuiliter & criminaliter de crimine falsi agi potest. Vnde Vlp.lib.7.ad edictum. Qui nomine Prætoris,literas falsas reddidisse, edictúmue falsum proposuisse dicetur, ex causa actione in factū pœnali tenetur,quanq̄ legis Cornelię reus sit,l.qui nomine,ff.eo.ciuiliter quidā actione in factū ad id, ℔ interest, d. l. qui nomine,vel ad duplum,l.hodiè,ff.eod.vel ad retractandum falsum,l.2.vbi glo.C.de fide instru. Criminaliter autem ad vindictam,l.penul.C.eo.quo casu iudex pro qualitate personæ falsitatis℔ commissæ (cū crimen falsi variè committatur) pœnam imponet, vel pœnam legibus constitutam moderabitur. Et ita falsitas quò atrocius crimen inducit, vel à nobiliori persona committitur,grauiùs punienda est. Vnde corruptæ monetæ author concrematur,l.penult. C. de falsi monet. & qui falsis constitutionib.nullo authore habito vtitur,lege

Cornelia aqua & igni ei interdicitur, l.fi.ff.eo.Nã tales falsitates quasi crimen læsæ maiestatis indu cunt, l.1.C.de fal.monet.Et nobiliores, à quibus dignitatis, honoris, bonęq; famæ conseruãdæ gra tia ob confirmatã opinionem, qua ipsorum sim plicibus promissionibus & verbis, perinde acsi iu ramẽti præstiti religione essent munita creditur, falsitas lõgè abesse debet, alijs in exemplũ grauio ri pœna afficiendi sunt, l.presbyteri, C. de Epis. & cler. Afflict. decis. 404. Iure autem Pontificio falsarij varijs plectuntur pœnis, nam clerici si Põ tificis literas falsasse fuerint depræhensi, omnib. officijs & beneficijs ecclesiasticis perpetuò priuan tur: ita q; qui per se falsitatis vitiũ exercuerint, postq̃ per ecclesiasticũ iudicẽ fuerint degradati, seculari potestati secundùm legitimas cõstitutio nes puniendi tradantur: per quã & laici, qui fue rint de falsitate cõuicti, & eorũ fautores, adiuto res, defensoresq; legitimè puniuntur. Qui verò ta libus Pontificis falsis literis vtuntur, si clerici fue rint, officijs & beneficijs ecclesiasticis spoliãtur: si laici, tamdiu donec competenter satisfaciãt, excõ municationi subiecti remanere coguntur: ita tñ vt in istis, & in illis malitia grauiùs, quàm negli gentia puniatur, c.ad falsariorum, extr. eod. Sed si non fuerint authores illius falsitatis, desistẽdo possunt euitare pœnam, c.accedens, ext.eo.&, l.fi falsos, C.eod. Quod & de his, qui falsas literas im petrãt, statuitur, d.c.ad falsariorum. Qui verò al terius Principis vt secularis sigillum falsauerit, si clericus, à suis ordinibus depositus, in signum facinoris patrati impressionẽ alicuius characte ris, q̃ ab alijs cognoscatur pati, et missꝰ in exilium pro-

prouinciã ipſam in qua deliquit abiurare cõpellitur,c.ad audientiam,extr.eod.ſed ſi prælati alicuius literis vel iudicis,falſitatem clericus adhibuerit,ab ordine depoſitus & omnibus beneficijs priuatus in monaſteriũ ad agendã pœnitentiã cõijcitur.quod ita verum eſt, ſi accuſatione præuia legitimè fuerit cõuictus:ſed ſi per modum inquiſitionis contra eum fuerit proceſſum, ab officio & beneficio ſuſpendendus erit, donec indulgentiam ſedis Apoſtolicæ meruit obtinere, c. ſi Epiſcopus,diſtinct.50.Abb.c.olim,ext.de reſcrip.Socin.in c.ad falſariorum,ext.eod. Falſidicus autẽ teſtis tribus perſonis obnoxius fit. Primo Deo, cuius præſentiam contemnit: ideò imponitur ei pœnitentia ſeptem annorum, c. quicunq;,7.q.1. Secundo iudice,quem mentiendo fallit, ideò infamis fit,c.ſi quis conuictus,22.q.6.Et verberibus caſtigatur,c.illi q.5.q.5.vel extraordinariè punitur,l.nullũ,C.de teſt.Poſtremò proximo ſuo innocẽti,quẽ falſo teſtimonio lædit,ideò pro læſionis ratione punitur,c.nihilominus,3. q.9. c. quiſquis,11.q.3.&,c.1.ext.eod.Et ſi non reſipiſcat,vitã æternã,qua mẽtiẽdo ſe indignũ fecit,amittit,iuxta illud: os quod mẽtitur,occidit animã,c.ſi quis ad te,22.q.2.

Quæ Affinia?

Mendaciũ,periuriũ,peruerſio humani iudicij: quorũ quodlibet falſitatẽ in ſe cõprehẽdit. Vnde etiã illi,qui talia cõmittunt,falſarij dicũtur, tex. & gloſ.in c.illud,extr.de exceſſ.prælatorum.

Quid Mendacium?

Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cũ volũtate fallendi,c.Beatus, §. ille ergo falſum, 22.q.2.

Quot genera Mendacij?

Primum est capitale mendacium: quod fit in doctrina religionis; ad quod mendaciũ nulla condi tione quis debet adduci, quia mẽtiri in doctrina pietatis, magnũ scelus est. Secundum: Vt si aliquẽ lædat iniustè, quod tale est vt nulli prosit & obsit alicui. atqui & hoc vitandum: quia nulli inferenda iniuria est. Tertiũ: Quod prodest alteri, ita vt obsit alteri: quãuis non ad immunditiã obsit corporalem. Nec hoc licitũ est. Quia nulli cum alterius detrimento est cõsulendũ. Quartũ: Sola mentiẽdi fallendiq; libidine, quod merũ mendaciũ, quod quoq; prohibitũ est, propter mendacij libidinẽ, q̃ per se ipsa vitiosa est. Quintũ. Quod fit placẽdi cupiditate de suaui eloquio. Nec hoc genere mentiendũ. quia nec ipsa veritas placendi causa hominibus enunciãda est: quantò minus mendacium, quod per se ipsum, quia mendaciũ est, vtiq; turpe est. Sextum. Quod alicui obest & prodest alicui. Velut: si quispiam pecuniã alicuius iniustè tollendam sciens, vbi sit se nescire mẽtiatur. Nec hoc licet. Neq; enim testimonij veritas pro cuiuscunq; temporali cõmodo ac salute corrumpitur: ad æternam verò salutem nullus opitulante mendacio ducendus est. Septimũ. Quod & nulli obest & prodest alicui: Velut si nolẽs hominẽ ad mortẽ quæsitũ prodere mentiatur. Nec sic mentiẽdum est. Non. n. cuiusq̃ cõmoditas aut salus tẽporalis perficiendæ fidei præferenda est. Nec se quisq̃ in rectè factis nostris tam malè moueri sentiat, vt firmato animo deterior, lõgeq; à pietate remotior. Octauum. Quod & nulli obest, & ad hoc prodest, vt ab immũdicia corporali aliquem tueatur. Nõ au-

aũt hoc genere mentiendum est. Quia & in bonis castitas animæ pudicitiæ corporis præfertur: & in malis quod ipsi facimus, eo quod fieri sinim⁹, nobis damnabilius est, c. primum est, 22. q. 2.

Quæ causa Efficiens Mendacij?

Animus fallendi, c. beatus Paulus, 22. q. 2.

Quæ Materia?

Quæuis res, quas verbis exprimimus.

Quæ Forma?

Oratio, nulla opinione sed certa proferentis scientia ad fallendum instituta, c. is autem, 22. q. 2. Nam quod non ex libidine fallendi processit, propriè mendacium non est, c. primum, 22. q. 2.

Quis Finis?

Vt alter mendacio decipiatur, c. primũ, 22. q. 2.

Quis Effectus?

Priuatio vitæ ęternę, iuxta illud: Os quod mẽtitur, occidit animã, c. sĩ quis, 22. q. 2. Nec minus periculi est verbis vel lingua mentiri, quàm manibus sanguinem fundere, c. nemo 22. q. 2. Sciendũ tamen est, quò ad effectum non esse paria mendacia, sed multùm interesse, quo animo, & de quib. rebus quisq; mentiatur. Non enim ita peccat qui consulendi, quomodò ille qui nocendi volũtate mentitur: nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in aduersum iter mittit, quantum is qui viam vitæ mendacio fallente deprauat, c. mihi aũt. 22. q. 2. Ergo pro ratione delicti pœna infligitur, si tñ mendaciũ dolo non caruit, pari pœna vt crimen falsi cùm huic non sit absimile coẽcretur.

Quid Periurium?

Periurium committit, qui contra conscientiã suã falsum iuramẽtũ præstat, quod maius crimẽ ipso

ipso homicidio creditur esse, vt tradit Ripa in c. ex parte, num. 3. ex. de rescrip.

Quæ causa Efficiens?

Dolus malus. absq; enim dolo nõ cõmittitur, l. qui iurasse, ff. de iureiur.

Quæ Materia?

Res falsæ, inhonestæ, & illicitæ.

Quæ Forma?

Conscientia veritatis contrariæ & aduersantis affeuerationi, quæ interueniente iurisiurandi religione per mendacium iniuste & ad decipiendũ facta est: Vnde dicitur in c. in dolo, 22. q. 2. In dolo iurat qui aliter facturus est, q̃ promittit, cùm periurium sit, nequiter decipere credentem. Huic accedit quod iusiurandum debeat tres habere comites, scilicet, veritatem, iudicium & iustitiam: ista si defuerint, nequaq̃ iuramentum erit, sed periurium, c. animaduertendum, 22. q. 2. &, c. innocẽs, 22. q. 4. c. in dolo. 12. q. 2.

Quis Finis & Effectus?

Quod in foro conscientiæ pœnitentia 50. dierũ imponatur, tex. est in c. quicunq;, 6. q. 1. &, c. prædicandũ, 22. q. 1. dicit qđ pœnitẽtia periurij est vel ut homicidij. Ciuiliũ aũt pœnarũ 7. sunt: 1. Priuatio omnis actionis, Alexã. cõs. 76. vol. 5. 2. Infamia iuris & facti, c. infames, 6. q. 1. 3. Priuatio dignitatũ, c. infamibus, de reg. iu. in 6. 4. Repulsio à testificando, c. paruuli. 22. q. 5. 5. Ab agẽdo repulsio, d. c. paruuli. 6. Priuatio beneficiorum, legum & canonum, Panor. in c. quæstioni, ext. de appellat. Beneficiati à beneficio remotio & collationis beneficij annullatio, c. quærelam, ext. de iurei. & Hostiens. in c. cùm inter, ext. de excess. prælato. si tamen iu-

ra-

ramentum legitima ex causa extortum fuit, putà, per vim vel metum, nullam pœnam incurrit, promissa non seruans, si iuramenti præstiti relaxationem consecutus fuerit. Hinc vsu frequenti obseruatur, vt subditi, qui à dominis suis absq; legitima causa fuerunt carceribus mancipati, nec relaxari potuerint, nisi præstito iuramento de non vindicando carcere, relaxationem à iuramẽto ad effectum agendi in Camera Imperiali petant. quod quomodo fiat? Vide And. Geyl. obser. 22.23.24.& 25.lib.1.pract.obser.& ordinat. Cameræ par.2.tit.24.

Quot modis humanum iudicium peruertitur?

Quatuor modis, scilicet, timore: dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus. Cupiditate: cùm premio alicuius animũ corrumpimus. Odio: cùm contra quemlibet aduersariũ molimur. Amore: dum amico vel propinquo contendimus præstare auxilium, c. quatuor. 11.q. 3. Et hi pari pœna cum falsarijs, cùm illis absimiles non sint, plectuntur, l.1.ff.eod. c. quicunq;, &, c. nemo, 10.q.3.

Quæ contraria?

Præceptum decalogi: non loqueris contra proximum falsum testimonium, Exod. 13. Veritas, iustitia, illæsa conscientia.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quicunq; aut consanguinitate aut amicitia, seu hostili odio, vel inimicitijs, in iudicando ducitur, peruertit iudicium Christi: qui est iustitia, & fructum illius vertit in damnationis amaritudinem, c. quicunq;, 41.q 3.

Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occul-

tat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominem, quàm Deum, c. quisquis 11. q. 3.

Vterque Reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat, d. c. quisquis, & c. 1. extr. eod.

Nemo peritorum aut prudentium putet, quòd minus sit periculum in verbis linguæ mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. melius est autem, pro veritate pati supplicium, quã pro adulatione beneficium. c nemo, 10. q. 3.

Falsidicus testis tribus personis est obnoxius, primum Deo, cuius præsentiam contemnit. Deinde iudici, quem mentiendo fallit. Postremò, innocenti, quem falso testimonio lædit, c. 1. extr. eod.

Hic qui veritatem pro pecunia negat, vel falsum testimonium contra aliquem dicit, Deum negare vel vendere videtur, c. vnicuique, 11. q. 3.

Graue satis est, & indecens, vt in re dubia certa detur sententia, c. goauè, 11. q. 3.

Duæ sunt res necessariæ, conscientia, & fama: conscientia tibi, fama proximo tuo necessaria est, c. nolo, 12. quæst. 2.

In dolo iurat qui aliter facturus est, quã promittit: cũ periuriũ sit, nequitur decipere credentẽ, c. in dolo, 22. q. 2

Iusiurandum tres habet comites, veritatem, scilicet, iudicium atq; iustitiam: si ista defuerint, nequaquam iuramentum erit, sed periuriũ, c. animaduertendũ, 22. q. 2.

Non omnis qui falsum dicit mentitur: sicut nec omnis, qui mentitur falsum dicit, c. homines, 22 q. 2.

Nemo mentiens iudicãdus est, qui dicit falsum quod putat verum: quia quantum in ip̃o est, non fallit ipse, sed fallitur, c. is autem, §. nemo, 22. q. 2.

Nō mētitur, q. animū fallēdi nō habet, c. beatus, 22. q. 2

Longè tolerabilius est in his, quæ à religione fidei seiun ctа sunt, mentiri, q̄ in his sine quorū fide, vel notitia, Deus coli non potest, falli, c. in ipsarum, 22. q. 2.

Veritas ipsa est, vt q̄t ē dicas, c. cū humilitatis, 22. q. 2

Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet quenq̄ decipere. Quia quomodolibet mentitur quis, occidit animam, c. nec artificioso, 2. q. 22.

Iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis: ergo iuramentum clerici, quo promisit concubinæ matrē suam cū fratribus domo se expulsurum, ab eo seruandū non est, c. inter cætera, 22. q. 4.

Iuramentū illicitū dicitur, vel ex eo, q̄t iuratur. vel ex causa extra veniēdi, vel ex mō iurādi, c. innocēs, 22. q. 4

Iuramenti huiusmodi causa est: quia omnis qui iurat, ad hoc iurat, vt quod verum est loquatur. Et ideò inter iuramentū, & loquelā, nulla est differentia. Quia sicuti in iuramento nullam conuenit esse perfidiam ita quoq; in verbis nullum debet esse mendacium, c. iuramēti, 22. q. 5.

DE SORTILEGIIS.

Titulus XXI.

Continuatio.

SOrtilegia etiam per falsitates, aliaq; dæmonū seducentium homines à via veritatis præstigia, cōmittuntur. his enim portentis per diabolorum fallaciam illuditur curiositas humana: quando illud impudenter appetunt scire homines, cuius inuestigationem nulla ratio permittit, c. nec mirū, §. his ergo, 26. q. 5. &, c. illud q̄t, 26. q. 2.

Quid Sortilegium?

Sortilegiū ē, quoddā genus culturæ idolorū, quo per

per falsam vel superstitiosam doctrinam,ex quibusdam signis coniecturando, vel ex dæmonum consultationibus per ludificationes futurũ prædicitur,c. quod aũt,26.q.5.& dicitur in legib.maleficium,sicuti etiã iure Pontificio,c.sortes,26.q.5.

Quotuplex Sortilegium?

Duplex. vnum quod causa amoris concitandi paratur. Alterum quod causa vaticinij prædicẽdi & ad diuinandum,committitur,de quo hoc titulo agitur. Vnde Isidorus libr.8. Etymologiarum, Sortilegos ita definit: Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas sanctorum seu Apostolorum vocant, sortes diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarũ inspectione futura promittunt, c. sortilegi, 26.q.1.& 2. Diuini ideò dicti sunt, quasi Deo pleni. diuinitate enim se esse plenos simulant,& astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant,c.igitur genus,26.q.3.& 4.

Quot sunt Diuinationum genera?

Varro Diuinationum genera quatuor esse asserit,scilicet, Geomantiam, à terra, Aeromantiã ab aẽre, Pyromantiam,ab igne, Hydromantiam, ab aqua dictam,c.igitur genus,26.q.3.& 4. Et, vt dicitur in c.nec mirum, 26.q.5. Hydromantia nihil aliud est,quàm in aquarum inspectione vmbras dæmonum euocare, & imagineas ludificationes eorum videre,ibiq; ab eis aliqua audire, vbi adhibito sanguine etiã inferos perhibentur suscitare: sicuti etiã Necromãtici, quorũ p̃cãtationib. videtur resuscitari mortui,diuinare,&ad interrogata respõdere. ad quos suscitãdos cadaueri sãguis adijcitur,nã amare sãguinẽ dæmões dicũtur: ideoq; quo-

quotiescunque Necromantia fit, cruor aquę miſcetur, vt colore ſanguinis faciliùs prouocentur, c. Nec mirū, §. necromātici, 26. q. 5. Et Magi, qui vulgò malefici, ob facinorum magnitudinem, nuncupantur, hi ſunt: qui permiſſu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minùs confidentium in Deo, ac ſine vllo veneni hauſtu, violentia tantùm carminis interimunt, vnde Lucanus:

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni incantata perit.

Dæmonibus enim accitis audent ventilare vt quoſcunque ſuos perimant malis artibus inimicos. Hi enim ſanguine vtuntur, & victimas ſæpè contingunt mortuorum corpora, c. nec mirum, §. magi ſunt, 26. q. 5. Sunt & alij diuinatores, qui non ab elementis, ſed ab alijs rebus, quibus diuinandi artem exercendo incumbunt, appellātur: vt ſunt Arioli, Aruſpices, Augures, Pythoniſſæ, Aſtrologi, Genethliaci, Mathematici, Horoſcopi, Salitores. Arioli, vocati ſunt, propterea, quòd circa aras idolorum nefarias preces mittunt, & funeſta ſacrificia offerunt: hiſque celebritatibus dæmonum accipiunt reſponſa. Haruſpices nuncupantur horarū inſpectores, dies enim & horas in agendis negotijs operibusque cuſtodiunt: & quid per ſingula tempora obſeruare debeat homo, intendunt. Augures ſunt, qui volatus auium, & voces intendunt, aliaque ſigna rerum, vel obſeruationes improuiſas hominib. occurrentes ferunt, ijdem ſunt & Auſpices. Nam & Auſpicia ſunt, quæ iter facientes obſeruant. Dicta autē ſunt auſpicia & auguria, quaſi auium garria. i. auium voces & linguæ. Item augurium quaſi auigeriū quod aues gerunt. Duo autem ſunt auſpiciorum genera: Vnum ad oculos: alterum ad aures pertinēs. ad oculos ſcilicet volatus, ad aures vox auium. Pythoniſſæ à Pytheo Apolline dictæ, quòd is auctor fuerit diuinandi. dictus autem Apollo pythius à pythonæ dracone, quem iaculis ſuis cōfecit. Aſtrologi dicti ſunt, eò quòd

in astris augurantur. Genethliaci appellati sunt propter natalitiorum considerationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim cæli signa describunt, syderumque cursus, nascentium mores, actus & euentus prædicere conantur. id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui nascitur interpretantur. Hi sunt qui vulgò Mathematici vocãtur, cuius superstitionis genus constellationes latini vocant, id est, notationes syderum, quomodo se habeant, cùm quisque nascitur. Horoscopi dicti: quòd horas natiuitatis hominum contemplentur dissimili & diuerso facto. Salitores vocati sunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi inde prosperum seu triste significari prædicunt, c. igitur genus, 26. quæst. 4.

Quæ causa Efficiens?

Ipse Sathan & assensus sortilegi. Omnes enim artes huiusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum proficiscuntur. Et quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ cõstituuntur, c. illud, quod, §. omnes, 26. q. 2. Hæc enim potestas immundis spiritibus ideò permittitur, vt peruersos sibi aptent, hoc est prauos homines seducant: illos scilicet, qui veritatem contemnunt, & erudunt mendacio: iuxta Pauli sententiam, sanam doctrinam non ferent, sed ad alia desideria coaceruabũt sibi, magistros prurientes auribus: Et à veritate quidẽ auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, onerati peccatis, ducentur varijs desiderijs: semper discẽtes, nunquam ad scientiæ veritatem peruenientes, c. Nec mirum, §. his ergo, 26 q. 5.

Quæ Materia?

Elementa, syderum motus, & constellationes. Et aliæ res, ex quarum cõsideratione vel potiùs inspectione, superstitiosa diuinatio desumitur, c. illud, 26. q. 2. & c. igitur 26. q. 4.

Quæ

Quæ Forma?

Forma ex varijs diuinationũ generibus colligitur, siquidem per superstitiosam inspectionem Elementorum, vel per quandam falsam artem, ex quorundam signorum coniecturis collectam, vel per concitationẽ furoris & dæmoniaci præstigij consultationisque inanem ludificationem sortilegia committuntur. Nam præter quatuor diuinationũ genera, ars & furor quoque diuinationis genere recensentur, c. igitur genus, 26. q. 4. & c. quod autem, 26. q. 5. & c. Episcopi, 26. q. 4.

Quis finis & quæ causa prohibitionis?

Ars putatiua diuinandi, superstitio, & ad idololatriam seductio. Antequam enim clarescceret Euangelium, multa permittebantur, quæ tempore perfectionis disciplinæ sunt sublata. Copula namq; sacerdotalis vel consanguineorum nec legali nec euãgelica vel Apostolica auctoritate prohibetur. Ecclesiastica tamẽ lege penitùs interdicitur: sic & sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam iudicans voluntatem, prohibetur tamen fidelibus, ne sub diuinationis specie ad antiquos idololatriæ cultus redeant, c. sors non est, 26. q. 1. & 2. c. illud quòd, 26. q. 1. & 2.

Qui Effectus?

Primò, quõd inducat hæresim & idololatriã, c. sors non est, 26. q. 1. & 2. Et tunc sortilegium iure ciuili, si hæresim sapiat manifestam, vt hæresis punitur, ita scribit Paulus Grillandus, tract. de sortileg. quæst. 11. Num. 1. & 6. Et intelligit etiam cùm amoris causſa sortilegia committuntur. Quæ autem sit pœna hæreticorum? supra tit. de hæret. vide. Quòd si manifestam hæresim non sapiat, & hic sortilegus sit laicus, tunc imponitur de iure ciuili pœna mortis, l. nemo, C. de malefi. & Mathemat. Subijcit Grillandus dicta quæst. 11. nu. 5. ius ciuile nullam constituere differentiam, siue sortilegium sit ad diuinandum, siue amoris causſa commissum. In

foro autem conſcientiæ, ſiue ſit laicus, ſiue clericus, à quo ſortilegium, quod nõ ſapit manifeſtam hæreſim, perpetratur, pœnitentia quadraginta dierum indicitur, c ..extr. eod. & ibi. Dd. Cùm autem in eodem ſortilegij crimine agitur de pœna in foro contentioſo iuris canonici, tunc ſi ſortilegus eſt clericus, ſuſpenditur à diuinis & à miniſterio Altaris, per annum, & vltra, iudicis arbitrio, ſecundùm facti qualitatem, & facinoris turpitudinem, ita probat tex. c. 2. & ibi clarè gloſ. extr. eod. Et ita ſentit Abb. num. 4. in fin. & Clarius Grillandus, d. tract. de ſortileg. q. 11. num. 3. & 10. Qui inquit hoc procedere cùm clericus bono zelo, & ex ſimplicitate ſortilegium commiſit: ſecus, ſi dolo & impiè, tũc deponitur ab omni ordine ſacro, omnibus beneficijs priuatur, & in monaſterium includitur, c. ſi quis Epiſcopus, vbi gloſ. 26. quæſt. ,. Laicus verò ſortilegium diuinatiuum committens, quod tamẽ manifeſtam hæreſim non ſapit, ſi vilis eſt, fuſtigatur, vel mittra inſignitur: ſi honeſtior, relegatur, vel perpetuo carceri mancipatur, quod probat tex. in c. contra idolorũ 26 q. 5. quem ſingularem dixit Rom. ſing. 660. Etpotiſſimùm ſi moniti vt deſiſtant non deſiſtunt. Sedolim ſortilegia pœna arbitraria puniebantur. Quod & Plato dialogo 11. de legibus faciendum eſſe ſcribit, his verbis: Quando verò quis nodis, inductionibus, cantibus ſimilibusque veneficijs ad nocẽdum paratus deprehenſus eſt, ſi Auruſpex, aut prodigiorum interpres ſit, occidatur: Sin verò non fuerit, iudicium ſimiliter de ipſo quid dari patiue debeat, ſtatuat. Lege autem 12. tab. ita ſancitum fuit: Qui malum carmen incantauerit, frugesque excantarit coercetor. quam conſtitutionem explanauit Baldui. in comment ad leges 12. tabul. lege autem Moſaica puniebãtur indiſtinctè, malefici omnes: ita enim legitur Exod. cap. 22. maleficos non patieris viuere.

Qua

Quæ Affinia?

Veneficium, hæresis, idololatria, crimen falsi, variæque gentilium superstitiosæ obseruationes.

Quæ Adiacentia?

Hæresis & superstitio.

Quæ Pugnantia?

Primum præceptum decalogi, quod, sicuti idololatriam, seu cultum falsorum deorum: ita artem magicam vel diuinatoriam, obseruationes superstitiosas, omnemque cultum impium damnat, Exod. 23. & Deut. 18. & 19. sicut enim auarus, quia cultum Deo debitum nummo impendit, idolorum cultor ab Apostolo nominatur: sic illi, qui futura, quæ ex Dei oracvlo nonnunquam reuelata inueniuntur, vel dæmonum consultatione, vel quibuslibet præstigijs inuenire laborant, diuinitatis iura creaturis attribuunt, vt est tex. in c. quòd autem, 26. quæst. 5. Constantia fidei. Qui enim constanter verbo diuino credit, non facilè ludificatione dæmonica ad fidem mendatio adhibendam, spreta veritate, seducitur, c. nec mirum, §. his ergo, 26. q. 5. Denique solius Dei diuina potestas. Futura enim præscire solius Dei est, qui in sui contemplatione etiam Angelos præscire facit illa. Vnde Esaias ait: priora & nouissima annunciate mihi, & dicam quòd dij estis, d. c. quòd autem, 26. q. 5. Non enim hæc præsciendi futura potestas dæmonibus, ex quorum consultationibus sortilegia committuntur concessa est. Quamuis dæmones acumine sensus, & celeritate motus, multo antè cogitata prænuncient, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur, 5. sciendum, 26. q. 4. nã; vt dicitur in d. c. sciendum, hæc natura dæmonum est, vt aërij corporis sensu terrenorum corporum sensum facilè præcedant, celeritate etiam propter aërij corporis superiorem mobilitatem non solùm cursus quarũlibet rerum: vt hominum, vel ferarum, verùm etiam,

volatus auium incomparabiliter vincant. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè maior experientia, quã potest hominibus, propter breuitatem vitæ, prouenire. Per has efficacias, quas aërij corporis natura sortita est, non solùm multa prædicunt futura dæmones, verùm etiam multa faciunt, quæ quoniam homines dicere aut facere non possunt, eos dignos quidem, quibus seruiant, & quibus honores diuinos deferant, arbitrantur, instigante maximè vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ, & excellentiæ temporalis, & quæ sequuntur, d. c. sciẽdum 26. quæst. 4.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam iudicans voluntatem, c. sors est, 26. q. 1. &
2. Sortes prohibentur fidelibus, ne sub specie diuinationis ad antiquos idololatriæ cultus redeant, c. sors est, eod.
Superstitiosum est, quicquid institutum est ab hominib. ad faciendа vel colendа idola, vel ad colendã sicut Deũ creaturam vel partem vllam creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atq; fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium vel Aruspicum & Augurum libri, c. illud, 26. q. 2.

Omnes artes huiusmodi nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta sunt, c. illud. §. omnes, 26 q. 2.

Obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex his futurorum rimari, cæterisq; huiusmodi superstiti-

superstitionibus implicari, genus idololatriæ est, c. sed et, 26. quæst. 2.

Est quoddam genus culturæ idolorum, ex dæmonũ consultationib. futura prædicere, c. quod autẽ, 26. q. 5.

Sicut auarus qui cultum Deo debitum nummo impendit, idolorum cultor ab Apostolo dicitur: sic illi qui futura, quæ ex Dei oraculo nonnunquam reuelata inueniuntur, vel dæmonum consultatione, vel quibuslibet præstigijs inuenire conantur, diuinitatis iura creaturis attribuunt, d. c. quod autem, 26. q. 5.

Futura præscire solius Dei est, qui in sui contemplatione etiam Angelos illa præscire facit: vnde Esaias ait, priora & nouissima annunciate mihi, & dicam quòd Dij estis d. c. quod autem, 26 q. 5.

Non intelligitur esse iteratum quod esse nescitur, c. vnico, extr. de cler. per saltum promoto.

Si quis Ariolos, Haruspices vel incantatores obserua uerit, aut phylacterijs eorũ vsus fuerit, anathema sit, c. si quis, 26. q. 5.

Non licet Christianis temerè traditiones Gentilium, & obseruare & colere elementa, aut Lunæ, aut stellarũ.

Cursus aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda vel propter segetes vel arbores plantandas, vel coniugia socianda, sed omnia, quæ verbo vel opere fiunt, in nomine Iheſu Christi cum gratiarum actione fieri debent, c. non liceat, 26. q. 5.

Mulieribus Christianis in suis lanificijs vanitatem obseruare non licet: sed Deum, qui eis sapientiam texendi donauit, adiutorem inuocare debent, d. c. non liceat, §. mulieribus 26. q. 5.

Insunt rebus corporeis per omnia elementa, quadam occultæ seminariæ rationes, quibus cùm data fuerit opportunitas temporalis atq; casualis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus: Et sic non dicuntur Angeli, qui illa faciunt, animalium creatores, sicut nec Agricolæ segetum, vel quorumcũq; in terra gignentium creatores dicendi sunt. Quamuis nouerint præbere quasdam visibiles oportunitates & causas, vt illa nascantur: quod autem isti faciunt visibiliter, hoc illi inuisibiliter. Deus verò solus est creator, qui causas ipsas & seminarias rationes rebus inseruit, c. nec mirum, §. insunt, 26. q. 5.

Nullum suffragium habet iustitia, d. c. nec mirum, 26. quæst. 5.

Præstigium Mercurius primus inuenisse dicitur, dictum à præstringendo, quòd oculorum aciem præstringat, d. c. nec mirum, §. præstigium, 26. q. 5.

Non omnis qui ignorat immunis est à pœna. Ille enim ignorans potest excusari à pœna, q. à quo disceret, nõ inuenit, illis autẽ hoc ignoscí non poterit, qui habẽtes à quo discerent, operam non dederunt, c. non omnis, dist. 37.

Geometria, Arithmetica & Musica in sua scientia veritatem habent: sed illa scientia non est pietatis. Quid autẽ sit scientia pietatis? vide in c. si quis artem, dist. 37.

DE COLLVSIONE DETEgenda.

Titulus XXII.

Continuatio.

Ad crimen falsi propiùs accedit præuaricatio, qua fal-

falsitas in probationibus dissimulandis, admittendisq; falsis excusationibus : & sic adiuuando aduersam partem cum proditione causæ propriæ committitur, l. 1. §. calumniari, ff. ad senatusconsl. Turpil. &, c. si quem, 2. q. 3.

Quid Collusio?

Collusio est inter Accusatorẽ & Reum occulta cõuentio, ad desistendum ab accusatione, citra abolitionem fraudulenter celebrata, c. si quem, 2. q. 3. Qua collusione, qui partem aduersam adiuuat, prodita sua causa, præuaricator dicitur, d. c. si quem.

Quis dicitur Præuaricator?

Præuaricator dicitur, qui causam aduersario suo donat, & ex parte Actoris in partem Rei concedit, l. præuaricatores, ff. de verb. signifi. Sic legitur etiam in l. 1. ff. de præuaricato. præuaricator est, quasi varicator, qui diuersam partẽ adiuuat, prodita causa sua. Et l. 1. §. calumniari, ff. ad senatusconsl. Turpil. Præuaricari (ait Marcellus) est, vera crimina abscondere. Et paulò pòst: præuaricatorem eum esse ostendimus, qui colludit cum Reo, & translatiuè munere accusandi defungitur, eò quòd probationes proprias quidem dissimularet, falsas verò excusationes admitteret.

Quot modis dicitur Præuaricator?

Duobus modis, vt ex prædictis responsis colligitur. Primò: qui tãquã alicuius aduocat⁹ vel ꝓcurator illũ ꝓdit, detegẽdo illius aduersario secreta causæ: ita loquitur d. l. 1. ff. de præuaricat. & l. præuaricatores, ff. de verb. signifi. Secundo verò modo dicitur præuaricator, is, qui cùm accusator & denũciator criminis sit, cum Reo colludit, ita loquitur l. 1, §. cal. ff. ad Turpil. & d. cap. si quem.

Vnde Præuaricatio dicta?

Præuaricationis nomen à varia certatione tractum,

Labeo putat.quasi is, qui prævaricatur, ex vtraq; parte consistat, cap. si quem, 2.q.3. & d.l.1.§. Vlpianus, ff. ad Turpillianum, sed veriùs à varicando dicitur. Varicari enim à varicibus crurum dicitur, qui in transuersum discedit. Vnde Vlp. in l.1.ff. de prævaricat. ait: prævaricator est quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat, prodita causa sua, & notat Alciat. in l. prævaricatores ff. de verb. signifi.

Quæ causa Efficiens?

Dolus malus colludentis, Aduocati vel Procuratoris, qui vel rem publicam, cuius interest delicta puniri, desistendo ab accusatione, vel clientulum, cuius causam accepta mercede defendendam susceperunt, vel deferendo vel secreta eius aduersario detegēdo, fraudare conantur, c. vt famæ, extr. de sentent. excom. & d. cap. si quem, 2.q. 3. c. audiuimus, extr. eodem.

Quæ Materia Collusionis?

Quæuis causa, licet enim in qualibet causa cuiuscunque generis sit, colludatur: Non tamen ob id is qui colludit prævaricari dicitur. Nā prævaricari is propriè dicitur, qui publico iudicio accusauerit, c. si quis, §. is autem, 2.q.3.l.1.§. is autem prævaricator, ff. de prævar. Impropriè tamen Aduocatus & procurator qui clientulos suos produnt, causaq; eorum, quas iam mercede accepta, defendendas susceperunt, deserunt, & in aliā partem trāseunt, hoc nomine appellari possunt. Quo crimine Demosthenem notatum & triginta talentis damnatum & in carcerem duci iussum, meminit Plutarchus in vita Demosth. ac Athenæ lib. 6. Dispon. cap. 5. & Iustinus histor. lib. 13. Qui cùm vna die reipublicę Athenienſis causam contra Millesiorum Legatos defendisset: altera die precio victus, tacuit, in publicum prodiēs collo lana circumuoluto, se anginam patiasse rens: cui vnus è populo exclamans dixit: Non anginā sed argentaginam pateris, Demosthenes, Author est

Gellius

Gellius lib. 11. noct. Attica. cap. 9. Huius criminis conuictum etiam Oldrad. testatur Castrensis, in l. 1. in fin. Cod. de Aduocat. diuer. iud. vbi, inquit, Oldradum prę nimio dolore, quod delictum fuisset detectum, decessisse.

Quæ Forma?

Admittitur colluſio, cùm actor vel accuſator ex parte Rei conſiſtunt. In cauſa quidem ciuili detegendo aduerſario ſecreta cauſę, vel mercede accepta prorſus deſerendo cauſam, & in aliam partem tranſeundo. in criminali autem citra abolitionem abſtinendo ab accuſatione, vel admittendo falſas excuſationes, vel diſſimulando proprias probationes. In cauſa ſpirituali denique ſuper ſpirituali trāſigendo, vel alterius generis conuentionem celebrando, c. audiuimus, extr. eod. l. 1. ff. ad Turpil. Tria enim genera cauſarum refert Innocent. in cap. crimina, extr. eod. ciuilem ſcilicet, criminalem, & ſpiritualem. A Ciuili pecuniaria, ſiue per gratiąm, ſiue per tranſactionem antè vel poſt litis conteſtationem, ſine iudicis authoritate recedere licet: Niſi in famoſa actione, in qua ſine iudicis authoritate trāſigere nō licet, l. furti, §. pac. ff. de his qui notā. infam. In criminali verò ante inchoatam accuſationem per abolitionem deſiſtere licet, poſt litis conteſt. non licet ſine authoritate iudicis, & ſine cōſenſu Rei, niſi intra 30. dies: quibus, etiam inuito Reo, abolitio permittitur. Niſi Reus tormenta vel verbera vel catenas fuerit paſſus, l. fallaciter C. de abolit. vel per accuſationem infamatus, cap. quidam, 5. q. 1. Et ſi aliàs deſtiterit, incidit in Turpillianum, ſi intendit publicum crimen, l. 1. C. ad Turpil. ſi autem priuatum extra ordinē punitur. l. ſi quis, ff. ad Turpillia. Tranſigere autem vel paciſci de crimine capitali (excepto adulterio) prohibitum non eſt: in alijs autem publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam nō ingerunt, citra falſi accuſationem

tionem transigere non licet, l. transigere C. de transactio. A causa deniq; spirituali, siue sit inquisitionis, siue denuntiationis, siue de rebus spiritualibus, ex causa licet, per gratiam discedere. Qui autem sine causa discedit punitur, c. quapropter, 2. q. 7. c. fin. extr de cal. Per transactionem autē non licet, cap. 3. extr. de transl. vbi aūt in criminali, vel spirituali aliter, quàm debet, accusator desistit, iudex nihilominùs ex officio inquiret, hoc tit. cap. 1. c. 2. & cap. 3.

Quis Effectus?

Primò Actio mandati, qua ultra pœnas legibus in præuaricatores constitutas, præuaricator procurator tenetur domino, ita gloss. in rub. C. de procurator. & ibi Iason, num. 2. Secūdò punitur præuaricator pœna extraordinaria, pro arbitrio iudicis Felin. in rub. extr. de cal. l. 1. &, l. 2. ff. de præuaricator. Tertiò vltra pœnā extraordinariam efficitur infamis, l. athletas, §. item præuaricator, ff. de his, qui notant. infam. l. 4. ff. de præuaricat. & Iulius clarus, lib. 5. sent. iuris, §. fin. q. 72. Quartò, repellitur à munere suo, l. 5. ff. de præuaricat. Et si in causa beneficiali colluserit, sitque beneficiatus, priuatur beneficio, cap. audiuimus, extr. eod.

DE DELICTIS PVERORVM.

Titulus XXIII.

Quæ suprà de pœnis perpetratorum criminum relata sunt in adultis delinquentibus locum sibi vindicant. peruersos enim mores, & delicta impuberum, infirmitas animi aliquo modo excusat: Et ita excusat, vt ob delicta, quæ puerilis ætas committere potest: vt sunt homicidia, furta, mendacia, periuria, mitiùs quàm adulti puniantur, cap. 1. extr. eodem. Hoc enim casu iudex suo arbitrio pœnam ordinariam, ratione ætatis, temperabit. Quod in specie affirmarunt Decius l. ferè, ff. de reg. Iu. Et Didac. in Clem. vnica, parte

parte 3.num.5.de homicid. Placa.lib.1. epitome delicto. cap.32. num.6.& 10. horum sententia confirmatur diuini Platonis auctoritate: qui dialog. 11. de leg. ita scriptum reliquit : Præterea in singulis iniurijs vt penitus moderatior fiat, mulcta afficiatur, leuiore quidem,si propter iuuētutis inprudentiam aliena malitia fuit impulsus: grauiore, si dementia sua, aut immoderatis voluptatibus,& doloribus, aut timore,aut inuidia,aut iracundia insanabili. Lege autem duodecim tabul. datum erat prætori arbitrium castigandi fures impuberes, quod apertissimè Gellius & Plinius testantur. Gellius quidem, lib.11. noct. Attica. cap. vlt. ait,sed pueros impuberes prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam sarciri. Plinius verò libro secundo natura. histo. cap.3. sic scribit,frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pauisse ac secuisse, puberi duodecim tabulis capitale erat,suspēsumque Cereri necari iubebant, grauiùs,quàm in homicidio conuictum: impuberem prętoris arbitratu verberari, noxamq; duplionemúe decerni. Hęc ille. Ex his patet ordinariam pœnam legibus constitutam, ratione ætatis, iudicis arbitratu esse temperandam. Quod non de infante doli minimè capace accipiendum est: ille enim in totum excusatur, l.1.§. impuberes C de fal. monet. l. infans, ad l.Cornel. de sicar. Clem. vni de homicid. sed intelligendum est, de proximo pubertati,& doli capace, l. auxilium, §. in delictis,ff. de minor. Vnde licet senatusconsulto Sullaniano impuberes serui excipiantur, Trebius tamen Germanus legatus, etiam de impubere sumi supplicium iussit. Et hoc non absq; ratione, vt ait Marcianus. Quia is puer nec multùm à pubertate aberat, & ad pedes domini, cùm trucidaretur cubuerat. Nec postea cędē eius prodiderat, l. excipiuntur, ff. ad senatuscōs. Sulla. Supplicio tamen non tam graui minor plectendus est, quo adultus teneretur: nā & mitiorib. tormentis a ffl

guntur

guntur serui impuberes, vel ancillæ nondum viripotentes: cū in causam domini in domo occisi torquendi sunt, vt expressa lege traditur, c. 1. §. impubes, ff. ad senatusconsul. Sulla. & pupillus committens homicidium, non punitur pœna mortis naturalis, sed mitiori, Mynsing. cent. 2. obseru. 54. & Dec. consil. 535. num. 5.

DE CLERICO VENATORE.

Titulus XXIIII.

Continuatio.

Vt pueri lasciuiētes delinquunt, ita clericorum quidam voluptatum illecebris detenti, venationibus, aliisque illicitis exercitijs nō absque impio officij iniuncti neglectu, sese dedunt, cap. 1. extr. eod.

Quid est Venatio?

Venatio est facultas persequendi & capiendi feras bestias, vbilibet locorum, omnibus liberè iure Diuino, gentium & ciuili permissa, Did. in c. peccatum 2. par. §. 8. nu. 3. de reg. iur. in 6. Quæ tamē facultas singulari summi Principis placito, inueteratæque consuetudinis dispositione restricta, & hodiè certis personis permissa est, vt inferiùs patebit &c.

Quotuplex Venatio?

Venatio triplex est. Oppressiua, Arenaria, & Saltuosa. Opressiua est: quæ homines perdit, vt cùm vir sceleratus rapiendo homines necat & trucidat. Huius meminit textus in cap. hic ita. distinct. quod sumptum fuit à Genesi cap. 10. cœpit Nemroth esse robustus venator coram domino, hoc est hominū oppressor. quemadmodū interpretes ibi exponūt, & Iohan. de turre cremata, in cap. qui venatoribus, num. 2. 6. distinct. Arenaria dicitur, cùm quis recepto salario in arena cum feris bestijs pugnat. Hic enim mos fuit antiquis Romanis, vt in spectaculis populorum ludi loco exhiberentur feræ bestiæ, quum quibus homines aliqui

liqui virtutis exercendæ gratia, vel mercede ad hoc conducti decertarent. Hinc ab arena arenarij dicti sunt, l. hę demum, ff. de operis liber. hos bestiarios appellat Iulius Capitolinꝰ in Antonino philosopho. Qui autẽ exercendæ virtutis suæ gratia in arenam descendebant, non infames, sed laude digni existimabantur, l. athletas, ff. de his qui not. infa. qui verò recepta mercede operas suas locabãt, infames & viles habebantur, l. i. §. item Senatus, ff. de postulan. & l. 2. §. vlt. ff. de ijs qui notan. infa. Venatio autem saltuosa est, quæ in syluis & saltibus persequendo & occidendo feras iure gentium permittitur.

Quæ causa Efficiens permittendæ Venationis?

Ius Diuinum, Gentium & Ciuile: imò ipsa naturalis æquitas, cùm enim naturalis æquitas admoneat occupanti benefaciendum esse, cùm nulli noceatur, feræ bestiæ autem secundùm suam naturam communes relictæ in nullius dominio sint, has occupanti cõcedendas consequens est, quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, l. quod enim, ff. de acquir. rerum dominio.

Quæ Materia?

Feræ bestiæ, quæ secundùm naturam suam relictæ sunt communes, volucres autem cæli in aëre, & pisces maris in aqua, feris bestijs non rectè annumerãtur. Cũ enim occupatio, quę est modꝰ iuris naturalis, quo rerum ex sua natura communium dominia acquirimus, tres discretas sub se contineat species, scilicet: venationem, aucupium, & piscationem, consequens est, occupationem diuersi generis animalium proprijs nominibus appellandam esse. Cùm & in ijs non sit per omnia iuris disponentis paritas, Dd. in §. feræ bestiæ, instit. de rerum diuis. & in cap. 2. extr. cod. & in cap. Esau, 86. distinct.

Quæ

Quæ Forma?

Est ipsa facultas adimendæ naturalis libertatis, qua ferę bestiæ fruuntur: Et ipsarum iure permissiuo in nostram potestatē redactio. Quia simulatque in potestatem nostram venerunt liberè vagandi facultatem amittunt, quam ante occupationem, & post, si nostrā custodiam euaserunt, recuperant. Et inde naturalis potestatis compotes dicuntur, quasi immensam & infinitam à natura liberè vagandi facultatem habeant. Quam tamen iure venādi comprimere, & illis adimere licet.

Quis Effectus?

Quòd quicquid persequendo feras captum fuerit, siue in fundo proprio, vel alieno, muris tamen vel sepibus non circumiecto, (nisi alieni fundi reditus ex venatione constet) hoc capienti acquiratur, glos. in d. §. feræ, & glos. in l. 3. ff. de acquir. rerū dominio, & in l. diuus pius, ff. de serui. Rust. præd. & Bart. in l. 1 §. omnia, ff. de acquir. rerū dominio, & l. venationē, ff. de vsuris vbi I.C. venationem fructus fundi negat esse, nisi fructus fundi ex venatione constet.

Ad quos hodiè spectat ius venandi? Et qua pœna coercetur contra prohibitionem Principis feras persequens?

Hodiè ius venandi ad Principes & nobiles, ex singulari summi Principis concessione, vel præscriptionis iure pertinet: Et instar realis seruitutis sese habet, iurisdictionisq; effectus esse videtur. Vnde is, cui, pro beneficio specialiter hoc ius concessum, vel longo vsu quæsitum est, in fundo alieno eius loci, cuius iurisdictionem habet, vel longo vsu præscriptionem induxit, etiam domino inuitò venandi, & subditos, vel dominos fundorum à venationibus arcendi, ex cōsuetudinis dispositione, facultatem habet: intantùm, vt

contra

cõtra Principum vel nobilium prohibitiones feras persequens iniuriarum teneatur, pœnaque extraordinaria, pro arbitrio principis, scilicet, capitis, oculorum priuatione, stigmatis impressione, cuiusdam membri mutilatiõe, vel pęna pecuniaria iure coerceatur. Quãdoquidem ex approbata moribus vtentium consuetudine feras syluarum & nemorum, piscésque aquarum publicarum. in principum ac nobilium possessione & dominio etiã esse constat. Quę si quis facilitate ductus propria authoritate, absque ipsorum consensu cœperit, furtum cõmittit. Quia inuito domino contrectat rem alienã, Decius cons. 197. Steph. Bertrang. cons. 255. in prima parte, Benedi. in repet. c. Raynutius, ext. de testam. Cæpolla, tract. ser. rusti. prædi. col. 7.

Quod genus venationis sit permissum? Et an clericis venari liceat?

Venatio oppressiua non clericis modò, sed quibuscũque prohibita est, extat enim Diuinum præceptum: Nõ occides, vt notat Ioann. de iure crem. in c. qui venationibus, num. 2. 6. Idem dicitur de venatione arenaria. Quia ex quo hominum interitus sequitur, peccatum est mortale, ita decertare, nisi id fiat causa necessitatis, ad mortem euitandam, Abb. & cæteri in c. 1. ext. eod. Vnde Canones. Qui venatoribus donant, non hominibus donant, sed arti nequissimæ. Nam si homo tantùm & venator non esset, non ei donares, honoras in eo vitium, nõ naturam, c. qui venatoribus, 86. distinct. & alibi: vident homines venatores & delectantur, væ miseris si se non correxerint. Qui enim venatorem vident & delectantur: videbunt saluatorem & tristabuntur, c. vident, distinct. 86. Saltuosa venatio sui natura & regulariter permissa est, vt scribit Chassaneus in catalogo gloriæ mundi, parte 11. consid. 50. versicul. Ex quo primò, Omnibus autem clericis, siue in Ordinibus, siue in dignitate constituti sint, venationes & syluaticæ vagationes

cum canibus,accipitribus,& falconibus,interdicuntur. Nam primò Episcopo:cùm id non facit causa recreationis honestæ,vel ex necessitate tutandæ & conseruãdæ scilicet sanitatis gratia,venari non licet, est tex.in c. 1.distinct.34. Abb.in c.1.ext.eod.& Angel.Clauasius,& Syluester in summa,in verbo,Venatio.Deinde reliquis clericis facultas venandi nõ est concessa,quod ita intelligitur, si venationibus quàm muneri iuncto magis intendere & plus operæ locare velint, ita quòd exinde ecclesia in spiritualibus vel temporalibus aliquod detrimentum patiatur.Ideò clericus,eo tempore, quo diuina peragenda,vel prædicandum est: canes & aues ad venandum sequi non debet,c.1.extr. ne clerici vel monachi,d.c.1 &,c.2.extr.eod,Sed necessitate ecclesiæ exigente,& ita causa vtilitatis vel etiam recreationis,dum modo rarò & tempore congruo fiat,clerici à venationibus non sunt arcendi, vt notant Benedi.in c.Raynutius in verb.& vxorem nomine Adalasiam,num.87.ext.de testa.& Bernhard.Diaz.in pract.canonica criminali,ca. 61.num.13.

Quæ rationes prohibendæ clericis facultatis Venandi?

Prima ratio est.Quòd clamoris plena & immoderata sit venatio. 2.Quòd in his contingant plerunque rixæ,iniuriæ & violationes pacis. Decet autem clericos honestati,paci,& tranquillitati esse deditos,& ab omnibus contentionibus,iniurijs & rixis auersos.3.Quòd clerici petulanti hoc voluptatis exercitio à diuinis abstrahantur.Cùm tamen nemo militans Deo,se negotijs talibus implicare debeat,c.1.ex.ne cler.vel monac.4.Quòd si venari eis liceret, permissa censeretur in antecedens facultas alioquin detestanda,habendi scilicet & alendi canes,accipitres, & his similia animalia venationibus inseruientia.Cùm tamen ecclesiæ bona ad hoctantùm clericis sint concessa,vt ecclesiæ & pauperum necessita-

ti(si

ti (si ex reditibus vltra sustētationem necessariam quid supererit) subueniant. Nō enim bonum est, (vt ait Christus) sumere panem filiorum & dare canibus. Et hanc rationem probauit glos. in c. Esau, 86. dist. Et Raynald. Corsus, lib. 3. indagationum iuris, cap. 14.

Qua pœna feriendi sunt clerici, qui contra ecclesiæ & canonum interdicta Venationi operam dant?

Ex concilio Aurelianensi, Episcopus tribus mensibus à communione, presbyter duobus, diaconus verò vel subdiaconus, ab omni officio suspendi iubetur, c. 1. extr. eod. &, c. quorūdam, dist. 34. Alij verò inferiores omnes, ita tamen vt trina monitio vindictam præcedat, iudicis arbitrio puniuntur, Iohannes And. in d. c 1. ext cod. Sed an capta restituere teneantur? dicit Didacus in c. peccatum de reg. iur. in 6. quòd non. Quia verè illa sibi acquirunt, &c.

Num Piscatio clericis permissa sit?

Piscandi facultas clericis permissa est, cùm quòd cessent in ea rationes, ob quas prohibita venatio dicitur: tū quia piscatio habet exempla virorum bonorum, quos piscantes Seruator noster ad se vocauit, & retia tēdi iussit, Lucæ, cap. 10. & 14. Vnde canon: Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitùs non inuenimus in scripturis sanctis, sanctum aliquem venatorem, piscatores inuenimus sanctos, c. Esau, dist. 86. Est autem clericis piscandi facultas cum moderamine quodam & tēporis ratione habita, concessa. Nam in maioribus solennitatibus, & dominicis prorsus nihil, alijs autem diebus vrgenti de causa, adhibita Superioris Prælati licentia, & pauperibus portione de captis facta, solùm piscari licet. Quod statuit Alexander III. in c. licet, extr. de ferijs. Quam constitutionem explicat Syluester Prierius in sua summa, in verb. piscatio.

DE CLERICO PERCVSSORE.

Titulus XXV.

Continuatio.

CLericis venationes interdictas, ob id traditum est, ne ipsi contentionibus vel rixis, ex quibus percussiones, vel etiam quandoque mortis pericula proueniunt, subijciantur, implicenturque.

Quotuplex percussio? Et quid vtraque?

Duplex, spiritualis & corporalis. Spiritualis est sermo inutilis; quo doctor siue percussor fecit conscientiam infirmorum, de qua habetur, c. sanè percussor, 45. dist. &, c. si rector, 44. dist. Percussio corporalis dicitur, cùm flagris vel verberibus afficitur is, qui percussori non est subiectus, vel subest quidem, sed crudeliter cæditur, c. præterea, ext. eod.

An Prælato liceat verberibus corrigere clericos?

Episcopus clericos delinquentes causa correctionis leuiter, non crudeliter, nec ex odio, nec per se, sed per alium clericum, non laicum, verberando punire potest, c. cùm beatus, distinct. 4. c. ante omnia, distinct. 35. &, c. circumcelliones, 23. q. 5. c. 1. 24. q. 5. quod de illis clericis accipiendum est, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti: nam clerici in sacris constituti & senio confecti, vel etiam alij, quorum existimatio collectis flagris lædi posset, huic correctioni non sunt subijciendi. Non enim asperis, sed blandis verbis, quidam ad fidem & obedientiam sunt prouocandi: nec Episcopum percussorem, iracundum, & perturbati sensus esse oportet: sed in corrigendo patientem, iuxta illud: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina, c. quid autē, c. sequitur, &, c. qui syncera, dist 45.

Qua pœna coercetur clericus Percussor?

Si quis eum, quem non licet, sæpiùs, vel eum, quem licet, aliter, quàm concessum sit, percusserit, quāuis mors secuta

secuta non fuerit,& monitus se non correxerit,deponitur,c.si quis,ext.eod.Quòd si non sæpiùs, vel monitione facta spes sit correctionis,ad tempus saltem suspenditur,c.præterea,ext.eod.&, c.neminem, 45.dist. Quòd si in conflictu vim illatam propulsare compulsus fuerit, nulla pœna imposita ad ordines promouetur,& promotus muneri suo præesse permittitur.Nam & naturali ratione vim vi repellere licet,c.præsentium,&,c. continẽtia,ext.eod.&,l.vt vim,ff.de iust.& iur.

DE MALEDICIS.

Tiulus XXVI.

Continuatio.

GRauia flagra Deo inferunt, qui Deum cum sanctis blasphemia afficiunt: vel in fidem Christianã quid iniuriosè dicunt,instar impiæ turbæ Iudæorum,qui Christum verberibus confectum,crucecq; subla tum impijssimè interfecerunt.

Quid Maledictio?

Maledictio est.cùm malum aliquod de præsenti, vel de præterito dicitur, Bart.in l.item apud labeonẽ,§. ait prætor,nu.4.ff.de iniurijs.Et hæc Blasphemia etiam dicitur.

Quid Blasphemia?

Blasphemia est,cùm de Deo aliquid negamus, quod ei conuenit:aut aliquid Deo tribuimus, quod ei minimè conuenit.c.non sunt, 11. q. 3.Didacus in c.quamuis, part.1.& 7.num.8. de pact. in 6.Et ideò is, qui derogat diuinæ maiestati,eius potestati aut bonitati detrahens, blasphemus est, & quidem propriè.

Estne differentia inter Blasphemiam & Maledictionem?

Quò ad Deum inter hęc nulla constituendaest differentia: cùm omnis maledictio,quò ad Deũ sit blasphe-

mia, Bar. in d. l. item apud Labeonem, §. ait prætor. Quocircà siue in foro conscientiæ, siue in foro fori, versemur, blasphemia proculdubiò erit. Cùm & statuta, quæ puniunt blasphemos, Dei cultum & reuerentiam respiciant, Soci. consil. 102. lib. 1. & consi. 119. lib. 4. Neapolita. tit. de blasph. colum. 3.

Quæ causa Efficiens?

Ipse Satan, liuor vindictæ, votum vltionis, & mens infernalibus furijs exagitata. Vnde à causa efficiēte maledictio dicitur licita & illicita. Illicita quidem, quæ ex voto vltionis & odio persequentis hominis improbi procedit. Maledictio autem licita est: qua sanctissimi viri non ex liuore vindictæ, sed amore iustitiæ maledicunt, c. cùm ergo, §. distinguendum, &, c. cùm sancti, 24. q. 3.

Quæ Materia?

Sunt res, quæ Deo falsò tribuuntur, vel de Deo falsò negantur. Et verba contumelioſa & impia, quibus diuinus cultus, reuerentiaque & diuina humanaque maiestas læditur.

Quæ Forma?

Cōmittitur blasphemia verbis & factis. Verbis quidē variè, vt notat Iacob. Menoch. de arc. Iudic. li. 2. cen. 4. casu 375. varias formulas blasphemandi explicans. Factis autem. Cùm signum Saluatoris nostri, vel imago, & statua Principis, manibus fœdatur, vel destruitur, & conspurcatur, l. vnica, C. nemini licere sig. Saluat. &c.

Quis Effectus?

Circa effectus distinguitur: aut blasphemia fit verbis in Deū, vel in Principem. Aut factis in imaginem Dei, vel Principis. Effectus blasphemiæ, quæ verbis in Deum fit, est peccatum, quod iure antiquo diuino morte plectabatur. Nam lapidibus blasphemi opprimebantur. Leuit. cap. 24. Sic & propter blasphemiam Senacherib, Angelus domini vna nocte totū exercitū percussit, Reg 4. cap. 19. & gygas Israelem blasphemans à Dauide occiditur,

tur, Reg. 2. cap. 21. Sic blasphemi qui Beelzebub cõsulue-rant, consumpti sunt igne è cælo demisso, Reg. 4. cap. 1. Constitutionibus etiam Imperialibus pœna mortis im-ponitur, vt in authent. vt non luxurientur contra natu-ram, est Nouella. 77. &, Didacus c. quamuis, part. 1. §. 7. num. 10. de pactis, in 6. quod etiam procedit, si ex con-suetudine blasphemat, & corrigi minimè potest, Bal. & Salice. in l. 2. C. de reb. cred. Iure Pontificio blasphemantib. variæ pœnę indicuntur Nam Pius I. huius nominis Pontifex sanciuit, vt est relatum in c. si quis per capillũ, 22. q. 1. quòd iurans per capillum Dei, vel aliter blasphe-mans, si in Ecclesiastico ordine sit, deponatur: si laicus anathematizetur. Gregorius deinde IX. hanc pœnam mitigauit, & blasphemanti primò à iudice spirituali pœnitentiam, deinde à iudice seculari pœnam pecu-niariam iniungendam in hæc verba statuit: Statuimus, vt si quis Deum, vel sanctos contumelios is & obscœnis verbis blasphemauerit, per Episcopum suũ pœna sub-datur inferiùs adnotatę, videlicet: quòd septem diebus Dominicis prę foribus ecclesiæ in manifesto blasphem⁹ existens, vltimo illorum die Dominico pallium & cal-ceamenta nõ habeat, ligatus corrigia circa collũ, septẽq; præcedentib. sex ferijs in pane & aqua ieiunet, ecclesiã nullatenus ingressurus. Quolibet quoq; prædictorũ die-rũ tres si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, siue v-nũ. Etsi nec ad hoc eius suppetant facultates, id in pœnã aliam commutetur. Cui etiam, si renuerit recipere ac peragere pœnitentiam supradictam, ecclesiæ interdica-tur ingressus, & in obitu, ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem præterea potestatem coactione (si ne-cesse fuerit) Episcopi diœces. adhibita contra ipsum bla-sphemus, si diues fuerit, quadraginta solidorũ, alioquin triginta, siue viginti. Et si ad id non sufficiat, quinq; soli dorũ vsualis monetæ pœna mulctetur, c. statuim⁹, extr. eo. sed Conciliũ deinde Lateranen. sub Leone X. Anno 1514. in blasphemos alias cõstituit pœnas. Communior

tamen Dd. opinio est pœnam blasphemorum esse arbitrariam: ita quòd iudex pro personæ & facti qualitate pœnam indicere possit. Nam is, qui incorrigibilis & semper blasphemare consueuit, grauius eo, qui non cõsueuit puniendus est. Blasphemare autem consueuisse dicitur, qui non bis vel ter, sed qui sæpiùs in illud vitiũ incidit. Et mitius agendum est cum blasphemo qui calore iracundiæ, quàm qui ex proposito blasphemauit, Decius cons. 103. num. 10. Tiraquellus, tract. de pœn. leg. caussa. 1. num. 13. Didacus, d. c. quamuis, part. 1. §. 7. num. 13. de pact. in 6. Abb. & cæteri, in c. 2. ext. eod. Alex. cons. 72. num. 7. lib. 1. Si autem infamia verbis facta sit, qua Princeps lædituɾ, tunc distinguitur. Aut quis temulentia, & ebrietate impulsus. Aut ex leuitate & linguæ lubrico, Aut ex stultitia, dementia, atque furore. Aut ex proposito & per iniuriam Principi maledixit. Primò, si temulentia, ebrietate, vel ex leuitate maledixerit, Principis arbitrio punitur: is enim vt iustus & æquitate insignis, ex personæ qualitate, vel indicere, vel remittere pœnam poterit, vt dicitur in fine l. vnicæ, C. si quis Imp. maledix. Qua constitutione Theodosius loquitur vt verus Christianus. Cuius non vlcisci sed remittere iniurias proprium est. Nec non hac loquendi formula voluit ostendere. Non quòd quælibet quouis modo iniuria illata Principi, sit remittenda: sed quòd iudices Ordinarij, non cum impetu ad hos maledicos coercendos prosilire, sed Principi, qui pro facti qualitate pœnam infligere poterit, referre debeant. Nec impunitum est delictum, quod per ebrietatem committitur. Nam & ius Pontificium per ebrietatem lapsos punit, siue ad ipsum delictum, siue ad ebrietatis vitium referatur, c. sanè, 15. q. 1. Nec obstat quòd dicitur: ebrietatem mentis exilium inducere, c. à crapula, extr. de vita & honesta. cler. Quia & milites per ebrietatem delinquẽtes capitali pœna remissa, militia exauthorandos esse statuit Menander in l. Omne delictũ, §. per vinum, ff. de re militari. Cũ autem

autem ex stultitia, dementia, atque furore quis Principi maledixit, non punitur. delicta enim ex intentione committentis dijudicantur, l. qui iniuriæ, ff. de fur. Stultus autem, demens, vel furiosus, quod agit, non intelligit. Imò perinde habendum est, quod ab ipsis actum est, ac si casu aliquo sine facto personæ id accidisset, l. vlt. ff. de administrat. tuto. Tiraquel. tract. de pœnis leg. causa 2. num 1. & 2. quo loci, num. 3. ex Theologorum sententia subijcit, quòd nec quoad Deum illæ personæ delinquendo peccent. Denique maledicum, qui ex proposito & per iniuriam maledixit, lex diuina, Canonica, & ciuilis, puniendum suadent. Diuina quidem. Quia scriptum est Exod. 22. cap. Dijs non detrahes, & principi populi non maledices, Canonica in c. 1. extr. eod. Maledicus in terrorem aliorum iubetur puniri. Lex ciuilis quidem, quæ illatam iniuriam priuato vlciscitur, magis igitur vindicanda est iniuria illata Principi. Nam ni si Princeps hos maledicos puniret, se nec legis diuinæ, nec humanæ obseruatorem, sed violatorem ostenderet. Cùm tamen non alia ratione à Deo præeminenti principis loco sit ordinatus. quàm vt bonos præmijs inuitet, malos verò emeritis pœnis coerceat, glos. in c. omnes, extr. de maio. & obed. Accedit, quòd quemadmodum leges non debent esse ludibrio: ita nec ipse Princeps sui cõtemptũ ferre debeat, l. si prætor, ff. de iud. Cum igitur tales maledici grauiter delinquunt, graui etiam pœna sunt plectendi. Non tamen pœna, qua reus criminis læsæ maiestatis afficitur, sed mitiori, pro arbitrio Principis, qui pro sua iustitia, facti & personæ qualitate pẽsata, pœnã imponet, d. l. vnica, C. si quis Imp. Crauet. cõs. 6. nu. 4. Gigas tract. de cri. læs. ma. Afflict. decis. 265. Diaz. in pract. Canonica criminali, c. 60. num. 2. Quòd si facto in imaginem Dei, vel Principis blasphemia comitta tur, vt spurcando, vel fœdando, vel obliniendo. Hoc casu blasphemus grauiter punitur, vel etiam mitiùs arbitrio iudicis, qui qualitate personæ, & facti perpensa,

poterit pœnam mortis, vel etiam multò mitiorem, indicere, vt putat Ang. in l. ex senatusconſ. ff. ad l. Cornel. de ſica. Quem ſecuti ſunt plures relati à Boerio, quæſt. 301. col fin. & Decius in l. ſi quis, num. 4. ff. de iuriſd. omnium iud. Nam ſi is, qui imaginem Principis fœdauit vel dehoneſtauit, grauiter puniendus eſt, l. non cõtra hitur, & l. ſequen. l. famoſi, ff. ad l. Iul. maieſt. l. capitalium, §. ſtatuas, verſ. eum quoque qui imaginem Cæſaris, ff. de pœnis, quanto grauiùs hic, qui imaginem Dei deturbat, plectendus eſt Quo argumenti genere vtitur Boerius, q. 301. num. 17 Et confirmatur ex l. vni. C. nemini licere ſignum Salua. Qua lege pœna grauiſſima puniuntur ij, qui in contemptum Chriſtianæ religionis in terra, vel marmore ſignum Crucis, vt pedibus conculcari poſſit, inſculpſit, atque fixit.

DE CLERICO EXCOMMVNICATO, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

Titulus XXVII.

Quæ pœna feriendus Clericus excommunicatus vel depoſitus miniſtrans?

EFfectus excommunicationis eſt, quòd clericus, durante excommunicatione, ſacra miniſtrare nõ poſſit, intantùm, vt ſi miniſtret, hoc ipſo irregularis efficiatur, c. ſi quis Epiſco. 11. q. 1. de ſent. & re iud. in 6. c. is cui, de ſent. excom in 6.

Circa hoc tamen diſtingue. Aut clericus ignarus excommunicationis, celebrat, & tũc ſi ignorãtia probabilis fuerit, excuſabitur. Cæterùm ſi fortè ignorantia craſſa, ſupina: aut erronea: niſi diſpenſationem à Pontifice conſecutus fuerit irregularitatem, contrahit, c. Apoſtolicæ, extr. eod. Quòd ſi cognita excommunicatio nis cenſura miniſtrat: intereſt an excommunicatio ma-

ior

ior vel minor sit. Si maior: clericus excommunicatus omnibus beneficijs priuatus, si monitus ab administrā-do non desistat, ad requisitionem Ecclesiæ exilio dam-natur, c. si quis, c. clerici, &, c. latores, extr. eod. Nec po-test aliud beneficium illi conferri Adeò, vt scienter ex-communicato conferens à beneficiorum collatione suspendatur, nisi collationis tempore absolutio illi con tigerit, c. postulastis, &, c. proposuit, extr. eod. Si verò mi nor excōmunicatio: quæ ex cōmunione excōmunicato rū puenit, & tunc cum clericus minori excommunica tioni subiectus, irregularitatem non contrahat, ea, quæ iurisdictionis sunt exercere poterit: si tamen ea quæ Ordinis sunt exercuerit, sacramentaque Ecclesiastica contulerit, licet conferendo peccet, collata tamen, vir-tutis non carent effectu. cùm non videatur à collatio-ne, sed participatione sacramentorum remotus. Dum-modò in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, videli-cet contra prohibitionem Superioris; communioni ex-cōmunicatus pertinaciter se non ingesserit. Eo enim ca su anathemate feriendus est, vt Gregorius VIII. statuit, c. si celebrat, ext. eod.

DE CLERICO NON ORDINA-to, ministrante.

Titulus XXVIII.

Quæ pœna clerici non ordinati ministrantis?

POena clerici ministrantis ea quæ ad ordinem, ad quem ordinatione Episcopi non est admissus per-tinent, est, quòd depositus ejiciatur ab ecclesia, nec amplius ordinetur, c. 1. ext. eod. licet Diaconus fungens munere sacerdotij, ad quod ipse non est promotus, à dia conatu, cum iactura adeptionis maiorum ordinū, bien-nio vel triennio suspendatur, c. ex literis, ext. eod.

DE

DE CLERICO PER SALTVM promoto.

Titulus XXIX.

Quis clericus dicitur per saltum promotus? Et quæ huius pœna?

PEr saltum promoueri dicitur clericus, qui non gradatim, sed præposterè aliquibus ordinibus intermedijs intermissis, ad ordines ascendit. Et tunc si in ordine recepto ministret scienter, pari pœna, quæ in clericum non ordinatum ministrantem, constituta est, punitur. Quòd si autem ignoranter, putans, scilicet, se promotum, cùm ex aliorum assertione contrarium appareat; iniuncta pœnitentia, cum dispensatione cautè supplebitur, quod incautè omissum est, c. vnico, ext. eo. &, c. Ecclesia, dist. 1. de conse.

DE EO QVI ORDINEM FVRtiuè suscepit.

Titulus XXX.

Quis dicitur furtiuè Ordines suscepisse? Et quomodo punitur?

CLericus furtiuè ordinatus dicitur tribus modis: 1. si clam cum alijs se intrusit, cũ quibus promouetur, c. quando Episcopus, dist. 24. 2. Si plures simul Ordines vno tempore suscepit, c. innotuit. ext. cod. 3. Si omissis quibusdam gradibus, per saltum promouetur, c. vnico, extr. de cler. per saltum pro. Vnde dicitur in c. sicut, dist. 48. Casum appetit, qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit assensum. Et sanè clericus furtiuè ordinatus, à maioribus Ordinibus excluſus, etiam suscepti ordinis executionem, de rigore iuris, non habet, c. innotuit, extr. cod. Et iniuncta pœniten-

pœnitentia monasterium ingredi admonetur, c. veniens, &, d. c. innotuit, extr. eod.

DE EXCESSIBVS PRAELATORUM & subditorum.

Titulus XXXI.

Quid est Excessus?

EXcessus hic dicitur delictum vel vitium, quo quis modum, quem seruari iuncti muneris ratio requirit, transgreditur, c. ad hæc, &, c. illud, ext. eod.

Qui dicuntur Excessus Prælatorum?

Sunt omnia grauamina iniquæ conditionis, quibus subditos opprimunt Prælati. Et vitia, quæ dignitati eorum non parum dedecoris afferunt: Vt sunt iniquæ exactiones, procurationes, census, iniustæ vsuræ, occupationes, detentiones, subiectiones, liberationes, iniustæ excommunicationes, suspensiones, aliaque interdicta, detractiones, diminutiones redituum, obseruationes nimij rigoris, nimiæ relaxationes rigoris, singularium cibariorum exquisitiones, diuitiarum & ornamentorũ studium, inhabilium promotiones, superbæ prædicationes, sacramentorum conferendorum neglectus & denegationes. Et alia vitia, quæ functionis ratio detestanda & fugienda flagitat, de quibus c. 1. c. 2. c. 3 c. sicut, c. inter, c. nimis, ext. eod. Et per omnes distinctiones decretorum.

Qui sunt Excessus subditorum?

Sicuti Prælatos virtute regere subditos debent, ita subditi vicissim suis Prælatis cum omni honore & reuerentia morem gerere tenentur: quem si peruersitate morum corrupti non gesserint, excessum facere videntur, dicitur enim excessus delictum, vel vitium, quo ratio officij quod incumbit, exceditur: vt sunt blasphemiæ

miæ, crimen læsæ maiestatis, crimen falsi, vsura, rapina, mendacia, furta, turpe lucrum. Et alia crimina, de quibus suprà latiùs. &c.

DE NOVI OPERIS NVNciatione.

Titulus XXXII.

Continuatio.

MOdus quandoque ædificando, non absque vicini iniuria & damno exceditur. Cui malo per operis noui nunciationem, iuris conseruandi, damniq; depellendi, causa, introductam, obuiàm itum est, c. 1. extr. eod.

Quid est noui operis Nunciatio?

Nunciatio noui operis est, illi vel alij eius nomine, q nouum opus cum damno & iniuria alterius ædificat, le gitimè facta prohibitio. Nunciare enim hic nihil aliud significat, quàm prohibere. & nunciat nouum opus, qui denunciat vicino, ne ædificet, glos. in l. si procura. ff. co. &, c. significantibus, extr. eod. Opus verò nouum facere videtur, qui ædificando, vel detrahendo aliquid, pristinam operis faciem mutat, d. l. 1. §. opus nouum, ff. eod.

Quæ causa Efficiens?

Lex, statuta canonum, & voluntas nunciantis. Vnde Lucius tertius Paduano Episcopo, sicut (inquit) leges non dedignantur sacros canones imitari: ita & canonum statuta Principum constitutionibus adiuuantur. Quod igitur post denunciationem noui operis, siue iure siue iniuria fuerit constructum, legalibus constitutionibus demoliri debet. Et quia nulla Ecclesia in præiudicium alterius est construenda, negotium ipsum, secùdùm legum & canonum statuta absque mora terminãdum est, c. intelleximus, extr. eod.

Quæ

Qua Materia?

Opus nouum, quod futurum est, & solo adhæret, siue fiat intra oppida, siue extra oppida, siue in villis, vel in agris, siue in priuato, vel publico. Publicum autē non de loco sacro, religioso, ripa publica, vel flumine publico accipiendum est, sic enim inquit Vlp. lib. 52. ad edictum remedium noui operis nunciationis aduersùs futura opera inductum est, non aduersùs præterita. Hoc est, aduersùs ea, quæ nondum facta sunt, ne fiant, nam si quid operis fuerit factum, quod fieri non debuit, cessat edictum, de noui operis nunciatione: & transeundū erit ad interdictum, quod vi aut clam, vt restituatur, & quod in loco sacro religioſóue, & quod in flumine publico ripáue publica factum erit. Nam his interdictis restituetur, quod illicitè factum est, d. l. 1. §. hoc autem, ff. eod. licet iure Pontificio inter loca non videatur distinguendum, c. 1. extr. eod.

Qua Forma?

Noui operis nunciatio fit tribus modis. Vel per prætorem, id est, authoritate magistratus, per personam publicam: vel per manum, id est, per lapilli iactum: aut verbis: nec ex edicto prætoris nunciatio habet necessariam prætoris additionē, fieriq; potest nostro & alieno nomine, omnibus diebus, aduersùs absentes etiam inuitos & ignorantes, l. de pupillo, §. meminisse, &, l. 1. §. nunciatio, ff. eod. Etiam is, qui nunciat, tenetur locum, in quo opus nouum nuntiat, demonstrare. vt is, cui nunciatū est, scire possit, vbi ædificare debeat, & vbi interim abstinendum sit. Totiens autem demonstratio facienda est, quotiens in partem fit denunciatio. Cæterùm si in totum opus fiat, non est necesse demonstrare: sed hoc ipsum dicere, si in pluribus locis opus fiat,

quia

quia in re præsenti fit nunciatio, plures nunciationes & remissiones, ex sententia Iuliani necessarias esse constat, d. l. de pupillo. Et denique notandum est, eum, qui nouum opus nunciat, iurare debere, non calumniæ causa, nunciare, quod tamen iusiurandum cum prætore authore deferatur, ad eius præstationem non tenetur, nisi legitimè fuerit exactum, d. l. de pupillo, §. qui opus, ff. eod.

Quis Finis & Vsus?

Nunciatio fit aut iuris nostri conseruandi causa: aut damni depellendi; aut publici iuris tuendi gratia, l. 1. §. nunciatio fit, ff. eod. Ob id Sextus Pedius Operis noui nunciationis triplicem esse causam definiuit, scilicet aut naturalem, aut publicam, aut imposititiam. Naturalem, cùm in nostras ædes quid immittitur: vel ædificatur, in nostro. Publicam causam, quotiens leges, senatusconsulta, constitutionesque Principum, per Operis Noui nunciationem tuemur. Imposititiam, cùm quis, postquam ius suum diminuit, alterius auxit, hoc est, posteaquam seruitutem ædibus suis imposuit, contra seruitutem fecit, d. l. de pupillo, ff. eod. §. & bellè.

Cùm igitur nunciationis finis potissimùm sit, vt ius nostrum conseruetur, duobus prioribus scilicet: per prætorem, vel lapilli iactum, vtendum erit: si quid Operis Noui in nostro ædificatur, & possessionem retinere velimus, non autem verbali nunciatione: Quia illa aduersarium possessorem facimus, sed verbali tantùm vtendum erit, si vicinus in suo ædificet, contra tamè causam imposititiam & constitutionem seruitutis, l. 1. §. in operis, &, l. de pupillo, §. & bellè, ff. eod.

Quis Effectus?

Quòd nunciatione noui operis facta, ædificans abstinere, & prætoris iurisdictioni examinandi iuris ædificationis gratia se submittere, vel si in ædificando per

pergere malit, satisdationem de opere demoliendo, si ita iudicatum fuerit, offerre teneatur. Edicto enim prætoris expressum est, ne post noui operis nunciationem quicquam operis fiat, antequam vel nunciatio missa fiat, vel vice nunciationis missæ, satisdatio de opere demoliendo fuerit interposita, qui ergo facit, etsi ius faciendi habuerit, tamen contra interdictum satisdatione non oblata facere videtur. & ideò hoc destruere cogitur, l. prætor, ff. eo. Satisdatio autem interponi debet, quoties vicinus dicit, ius sibi esse prohibere vicinum opus nouum inuito se facere, qua interposita vtrique cõsultum est: tam ei, qui nunciauit; quoniam cautum habet de opere restituendo: quàm ei, cui nunciatum est, quia molitio eius non impeditur, l. stipulatio, ff. eod. Iure autem Pontificio in optione nunciantis nouum opus est, an intra tres menses de præiudicio suo ostendere velit, & interim cessetur ab opere, an verò recepta cautione de opere demoliendo, statim ædificare permittat. Nam, non obstante satisdatione, si non iure ædificatum existat, tenetur ædificator nunciantem, iuris sui præiudicium probare volentem, per trium mensium spacium exspectare, c. is cui opus, &, c. significantibus, extr. eod.

DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIbus Priuilegiatorum.

Titulus XXXIII.

Continuatio.

PRiuilegiati quandoq; indultis beneficijs abutũtur, & vitæ modum, obliti conditionis suæ, excedunt.

Quid Priuilegium? Et vnde dictum?

Priuilegia (inquit Isidorus lib. 5. Etimologiarum) sũt leges priuatorum. quasi priuatæ leges. Nam priuilegiũ

dictum est ex eo, quòd priuato feratur, c. priuilegia, distinct. 4. Vel priuilegia dicta sunt, quasi priuata legia, vt Gregorius putat: eò quòd priuatam legem singulis generent, c. ideò permittente, §. priuilegia, 25. q. 1.

Quotuplex Priuilegium?

Duplex: generale & speciale. Generale est, quod pluribus personis, vel ratione plurium personarum, vel rerum conceditur. Speciale est, quod vni loco, vel personæ singulari quodam fauore indulgetur, c. cùm & plantare, extr. eod. c. veniens, extr. de præscrip., ex tuæ, extr. de filijs presbyterorum.

Quæ causa Efficiens?

Quæuis persona quæ ius condendi legem vel faciendi constitutiones habet, Hostiens. § quis possit, & §. qualiter, tit. de constitut. possunt igitur Imperator, Pontifex, Episcopus, & quilibet Princeps in loco sibi subiecto, arg. c. constitutus, extr. de relig. dom. c. constitutus &, c. cùm venerabilis, extr. de censi. c. visis, 16. q. 3. & c. inter vos, extr. de sent. & re iud.

Quæ Materia?

Res non turpis, sed honesta, & possibilis. cùm enim priuilegium sit priuata lex debet ipsum instar legis cõtinere in se honestatem, iustitiam & possibilitatem, c. factæ, §. præterea dist. 4. Ad hoc, iustum est Principem legibus obtemperare suis: tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimare debet, cùm & ille legibus à se latis reuerentiam præbet, c. iustum est, dist. 9. Ergo nec alij legum relaxationem singulari indulto priuilegio, quo pro libitu turpiter viuat concedere potest.

Quæ Forma concedendi Priuilegij?

Vt Princeps, qui condendæ legis potestatem habet, alicui, quem concedentis constitutio obstringit, aliquid singulare, quod in præiudicium alterius non tendat, vel bonis moribus non repugnet, speciali beneficio, considerata æquitatis ratione, concedat. Priuilegium bonis moribus repugnans, vel quo alter lædi-

rur nul-

tur, nullius est momenti, c. quæ est, 25.q.2.&,c. constitutiones, dist.10.concedentur ante priuilegia vel personis, vel rebus. vnde personalia & realia dicuntur. Personalia simul cũ personis quibus concessa sunt intereunt. Realia autem, personis etiam sublatis, in rebus subsistunt,c. mandata, extr. de præsumpt. c. petisti, 7.q.1.c. c hinc est 16.q.1.c. 2.extr.de vsu pallij,c. non exemplo, 26.q.2.& per tot.25.q.2.

Quis Effectus?

Acquisitio iuris priuati & specialis,quod tamen legi generali non aduersatur, c. ideò pœnitente, 25.q.1.§. priuilegia,c.non exẽplo,26.q.2.c.Abbate,extr.de verb. signific,c.priuilegia,dist.3.

Quæ Affinia?

Constitutiones,leges, consuetudines, rescripta, &c.

Quæ Pugnantia?

Sunt illi modi,quibus priuilegia amittũtur. Quod variè contingit,scilicet:primò:si priuilegiatus contra priuilegium quid committat, & eo indignum se reddat, c.pro illorum,extr.de presby.c,cùm accessissent, extr. de constit.c.si de terra,&,c.accedentibus, extr.cod. 2, perditur per negligentiam spatij 10.annorum,l.1.ff. de nundinis licet contra priuilegia Ecclesiæ 40.annorum tempore iure Pontificio præscribatur,c. accedentibus, extr.cod. 3. Si priuilegio abutatur, c. priuilegium 11. q.4.&,c.vbi ista,74.dist. 4. Propter delictum,c.talia,§. q.3.c.ad aures,&,c.in quibusdã,extr.de pœn. Vnde dicitur in c.ita nos ciuitatẽ perdere priuilegium,propter delictũ ciuium. 5. Cùm enorme damnũ inducit alteri, c.dilecti,extr.de dec.&,c.quid per nouale, extr.de verbo.signifi.6.Si princeps,qui illud concessit,scienter iudicat, contra illud suborta, extr. de re iud. 7. Si priuilegiatus, verbo vel facto tacitè vel expressè ei renunciat,c.licet,extr.de regul.iur.c, nuper, extr.de decimis. 8. Perditur per secundum priuilegium expressum de pri-

de primo faciens mentionem, c. 1. extr. de reſcript, c. veniens, ext. de præſcrip. ita tamen, vt generalitatis & ſpecialitatis habeatur ratio: quia ſpeciale non tollit generale prius, niſi quo ad hoc, quòd ſpeciale compræhendit. generi enim per ſpeciem derogatur, c. generi, de regul. iuris, in 6. &, l. vxores, §. feliciſſimos, ff. de leg. 3. 9. per reuocationem concedentis, c. ſuggeſtum, extr. de deci. niſi tamen priuilegiatus præſcriptione, vel alia legitima cauſa iuuetur, c. paſtoralis, extr. de don. c. intellecta, extr. de iureiur. &, c. Abbate, extr. de re iud. 10. Si quis cõtemptui aliorum priuilegia habeat, nec ea ſeruet, c. dilecti, extr. eod. Poteſt tamen contra priuilegia etiam Eccleſiæ præſcriptio per aliam eccleſiam induci, quæ cõtinuatione temporis 40. annorum completur, c. accedentibus, extr. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Cùm Eccleſia legum ſecularium, quæ æquitatis & iuſtitiæ veſtigia imitantur, ſeruitium non aſſpernetur: quia tamen in Francia & nonnullis prouincijs laici Romanorum Imperatorum legibus non vtuntur, & occurrunt rarò Eccleſiaſticæ cauſæ tales, quæ non poſſunt ſtatutis canonicis expediri, vt pleniùs ſacræ paginæ inſiſtatur, ſub excommunicationis pœna interdicitur, ne Pariſijs, vel ciuitatibus, ſeu alijs locis vicinis quiſquam docere, vel audire ius ciuile præſumat, c. ſuper, extr. eod.

Innouatio priuilegij ius nouum non inducit, ſed vetus conſeruat, c. quia intentionis, extr. eod. &, c. ex parte, eodem.

Qualem te inuenio, talem te iudico, c. ex parte, ext. eodem.

Pallium

Pallium est plenitudinis Pontificialis officij insigne, c. antiqua, extr. eod.

Exemptus ratione rei, vel certi loci non censetur exẽptus respectu alterius rei, vel loci, c. cùm capella, ext. eod.

Contra priuilegia ecclesiæ minori spacio quadraginta annorum non præscribitur, c. accedentibus, ext. eod.

Priuilegium vni concessum non potest, propter rationis paritatem ad alium extendi, c. sanè, ext. eod.

Suis priuilegijs priuandus est, qui alienis derogat, c. dilecti, extr. eod.

Liberum est vnicuique suo iuri renunciare, l. si de terra, extr. eod.

DE PVRGATIONE CANONICA.

Titulus XXXIIII.

Continuatio.

CErtitudine probationis vel accusatore deficiente, infamatus de aliquo crimine apud bonos & graues, purgatione canonica innocentiam suam prare tenetur, c. si quis presbyter, extr. eod.

Quid Purgatio?

Purgatio est innocentiæ super obiecto crimine certis à iure inuentis medijs facta ostensio.

Quotuplex Purgatio?

Canonica & vulgaris. Canonica est, quæ ad probationẽ innocentiæ faciẽdam Canonibus approbatur. Vulgaris autem, quæ non approbatur, de qua infrà, prox. tit.

Quæ causa Efficiens?

Præceptum & iussus iudicis: qualitercunq; enim de crimine contra aliquem actum fuerit, si nõ sit cõuictus & confessus, & nihilominus mala fama duret, mouebit eum iudex seorsim, postea coram testibus, vt se corrigat,

quòd si necdum hoc fecerit, præcipiet ipsi iudex super crimine, de quo infamatur, purgationem, quæ non in voluntate suspecti, sed in arbitrio iudicis consistit, vt notat Gratianus in c. auditũ, §. ecce, 2. q. 4. c. presbyter, 2. q. 4. & c. si quis presbyter, extr. eod. & donec ipsam fecerit, ab officio canonicè suspensus manebit, d. c. presbyter, eod.

Quæ Materia?

Quoduis crimen, vel vitium occultum, de quo quis infamatur, quia non tantùm adulterij, simoniæ, furti, periurij, alorumq; criminum suspicionem, infamatus purgare debet, c. nobilis. c. cõsuluisti, 2. q. 4. c. de hac autem, extr. de simonia, sed etiam suspicionẽ impotentiæ & defectus natalium. Vnde infamatus super defectu natalium priusquam se purget, ad Ordines promoueri non potest, c. accedens, extr. eod. debetque crimen, vel vitium esse occultum. Nam si probabile & manifestum fuerit, purgatio non indicitur. Quia nec in re notoria verisimili suspicioni, quæ purgationem inducit, locus datur, c. si quis de gradu, &, ùcm dilectis, extr. eod

Quæ Forma?

Vt suspectus de crimine occulto, suspicionem criminis prẽstiti iurisiurandi religione purget, adhibitis compurgatoribus, qui suspectum verum iurasse, pariter iuramento affirment, c. quoties, c. inter, extr. eod. c. presbyter, 2. q. 4. exẽpli gratia, vt si Episcopus cõmissæ simonię reus dicatur, ipse iurabit, ꝙ pro tali ecclesia, vel pro tali re spirituali dãda, seu cõcedẽda, nec ipse per se, nec ꝙ sub missã persõnã nec alius pro eo, se sciente, mandãte, cõsilium dante, vel authoritatem præstante, pretium receperit, d. c. quoties, extr. eod. c. si quis viduam, dist. 50. & c. auditum, 2. q. 5. Si verò super alijs criminibus fuerit suspectus, iurabit, quòd sit immunis ab illis, vel sub expressa in specie, forma, quòd simoniam, venditionem iustitiæ, & incontinentiam non commiserit, postquam ad Episco-

ad Episcopalem dignitatem fuerit assumptus, c. accepimus, extr. eod. Compurgatores autem corporaliter iurabunt, tactis sanctis Euangelijs, quòd ex sua conscientia iudicent ipsum ab illo crimine immunem esse, bonum igitur & verum iuramentū ipsum præstitisse credant, d. c. quoties, extr eod. & c. presbyter, 2. q. 4. c. de testibus, extr. eod. Potest autē iudex, vt suo arbitrio compurgatores assignentur, curare; modò illius honestatis, & opinionis sint, quòd verisimile sit, eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecuniæ, peierare. Vt autem idonei appareant, necesse est, inquit Alexander III. vt eius, quem purgare debent, vitam & conuersationem agnoscant, c. cùm P. Manconella, ext. eo. & d. c. presbyter, si à plebe, 2. q. 4, & c. cùm dilectus, extr. eod.

Quis Finis & Effectus?

Quòd purgatione legitimè facta ab illo crimine, cuius accusabatur: vel etiam à suspicione eius efficiatur immunis, ita vt nec postea huius delicti causa contra ipsum accusatio admittatur, exceptis tribus casibus: 1. nisi quis suā suorumq; iniuriā prosequatur. 2. vel nisi doceat cum priore accusatore collusionem interuenisse. 3. vel nisi ad probandum se offerat. Quòd suspectus peierando se purgauerit, contra illud enim iuramentū, cùm iudiciale sit, probatio in contrarium admittitur, Dd. in l. admonēdi, ff. de iureiur. & Speculat. tit. de abolit. & purg. in fin. Quòd si autem suspectus in indicta purgatione defecerit, perinde puniendus est, atq; si de crimine, de quo diffamatus fuit, legitimè conuictus vel confessus fuisset, c. cùm P. Manconella, & c. inter, in fin. extr. eod. Notat tamen Menoch lib. 2. Cen. 3. casu 274. num. 5 d arb. iud. Clericum deficientem in purgatione canonica, & ob id aditum curiæ seculari puniendum, non puniri pœna ordinaria, sed sola iudici arbitraria, arbitriumq; putat, quando quis in purgatione deficere dicatur, iuxta Simanc. tit. 54. num. 13.

DE PVRGATIONE VVLGARI.

Titulus XXXV.

Continuatio.

ALtera ſpecies purgationis eſt vulgaris, quæ cùm ex ſuperſtitioſa hominum inuidorum inuētione profecta ſit, Canonibus nō immeritò improbatur, c. Mennam, §. purgationem, 2. quæſt. 4.

Quid eſt Purgatio vulgaris?

Vulgaris purgatio dicitur, quam vulgus contra ſanctorum patrum traditiones & ſancita ſuperſtitioſè, & ex inuidia induxit, c. conſuluiſti, 2. q. 4.

Quæ cauſa Efficiens?

Ipſe ſathan, ſuperſtitio, & inuidia vulgi, d. c. Mennā, §. purgationem in verb. fabricante inuidia, 2. q. 4. & d. c. conſuluiſti, in verb. ſuperſtitioſa adinuentione.

Quæ Materia?

Crimen non manifeſtum, ſed occultum. Cuius cognitio & punitio ſoli Deo, qui omniū corda nouit relinquēda eſt, d. c. conſuluiſti, §. occulta, 2. q. 4. c. 1. &, c. 2. extr. eo d.

Quæ Forma?

Eſt aquæ frigidæ, candentis ferri, vel ſingularis certaminis, vel alterius rei ex ſuperſtitioſa inuentione vulgi inſtitutæ iudicium, ad probandā ſuſpecti innocentiam, vel extorquēdam criminis occulti confeſſionem adhibitū, c. conſuluiſti, c. Mennam, 2. q. 4. c. 1. c. 2. &, c. extr. eod.

Quis Finis & Effectus?

Vt, poſtquam ſubijt ſuſpectus iudiciū ferri candentis, vel aquæ frigidæ alterius q; rei, ſi non ſequatur læſio quaſi demōſtrata innocentia impunè euadat: ſi minùs pœnis ciuilibus ſubdatur, d. c. fin. extr. cod.

QUA

Quæ causa Prohibitionis?

Hæc purgatio vulgaris prohibetur. 1. Quia sanctorum Patrum sancitis aduersatur, c. consuluisti, 2. q. 4. 2. Quia superstitiosa, inuidiosa & nociua est, c. significantibus, extr. eod. &, c. satis peruersum, 65. dist. Denique. Quia hoc genere superstitionis Deus tentari videtur, c. monomachiam, 2. q. 4. quod omnibus modis cauendũ est, c. si nulla vrget, 23. q. 8. &, c. quæritur, 22 q. 2.

DE INIVRIIS ET DAMNO dato.

Titulus XXXVI.

Continuatio.

IS, qui canònica purgatione innocentiã suam ostendit, c. contra accusatorem, qui falso obiecto crimine diffamauit, iniuriarum experiri potest.

Quot modis accipitur Iniuria?

Duobus modis generaliter & specialiter. Vnde generaliter accipiendo iniuriã, iniuria ex eo dicta est, quòd non iure fiat. Omne enim, quod non iure fit, iniuria fieri dicitur: quandoque etiam significat damnum culpa datum, vt in lege Aquilia, & interdum iniquitatẽ, specialiter autẽ iniuria dicitur cõtumelia: contumelia dicta à contemnendo, l. 1. ff. cod. in princip.

Quid Iniuria specialiter accepta?

Iniuria est, delictum quod committitur, cùm liberi hominis corpus, dignitas vel fama læditur.

Quæ causa Efficiens?

Affectus & voluntas iniuriandi. Nam si noluerit iniuriam facere quis non tenetur. volũtas enim & propositum delinquentis, sicuti maleficia distinguunt, ita ea quoque inducunt, l. quæ iniuria, ff. de furt. & Bart. consil. 104. visis, l. 1. ff. si quan. pau. fecis. dicatur. & iniuria ex affectu facientis consistere dicitur, c. illud relatum, 16. q. 1.

Quæ Materia?

Corpus, dignitas, & infamia. Labeo enim ait, omnẽ iniuriam aut in corpus inferri, aut ad dignitatem, aut infamiam pertinere. in corpus fit, cùm quis pulsatur. Ad dignitatem, cùm comes matronæ abducitur. Ad infamiam cùm pudicitia attentatur, l. 1. §. omnemque ff. eodem.

Quæ Forma?

Vtis, qui iniuriam facere potest, affectu iniuriandi & dolo malo inferat iniuriam re, vel verbis, corpori, dignitati, vel existimatiõi eius qui pati iniuriã potest. Nã ad iniuriam committendam, requiritur primò, animus iniuriandi, vt scilicet contumeliæ faciendæ gratia: quid fiat. Vnde animantia bruta contumeliam inferre non possunt, quia affectu iniuriæ faciendæ carent, d. l. 1. ff. si quadrupes paup. Secundò, vt iniuria fiat re vel verbis: Vnde realis & verbalis dicitur. Re: vt si manus inferuntur, familia corrumpatur, impediatur quid fieri quod iure naturali conceditur, &c. Verbis: quando fit conuicium, quod varijs modis fieri potest, vt notãt Dd. in l. si non conuicij, C. eod. vel famosus libellus scribatur, de quo per tot. 5. quæst. 1. Quartò requiritur, vt persona iniurians & contumelia affecta talis sit, quæ iniuriam inferre & pati possit. qui autem illi sint? ex Pandectis perspicuè intelligi potest.

Quis Finis?

Vt alicuius corpus, dignitas, vel fama illata contumelia lædatur, l. 1. ff. eod.

Quis Effectus?

Actio iniuriarum, prætoria annalis, quæ tamen in tribus casibus, ex lege Cornelia ciuilis est, & vltra anni spacium durat: scilicet, si quis pulsatus, verberatus, domusque eius vi introita sit, l. lex Cornelia, ff. eod De quauis autem iniuria siue leui, siue atroci, potest is, qui eam passus est, vel ciuiliter, vel criminaliter agere, vtroque

que tamen modo ad vindictam. Ciuiliter quidē, quādo actor sibi adiudicari pœnā petit, daturq; ,intantū actio inquātùm iniuriā passus eam ad animum reuocauerit. Licet iudex perpensis circunstantijs (ex facto enim loco & persona atrocior redditur iniuria) suo arbitrio iniuriæ æstimationē moderari possit, l. constitutionibus, eo. Criminaliter agitur, cùm iniurias puniri petitur in corpore, vel agitur ad pœnam pecuniariam fisco applicandā, quo casu iudex quoq; ex facti qualitate & dignitate affecti iniuria, pœnam ex arbitrio statuere potest. Et notandum hic, quòd per electionem alterutrius actionis, altera consumatur: vtraque enim ad vindictam & pœnam tendit, cùm aliàs secus sit, si vna ad rem familiarē adipiscendam, altera ad vindictam competat, §. liberū, inst. de leg Aquilia. Alter effectus est actio iniuriarū reclamatoria ciuilis. qua iniuratus ad reuocationem iniurioſorum verborum si conuicijs fuerit lacessitus, agit. Quæ ab Imperatore etiam Carolo V. hodiè in noua Imperialis Cameræ Ordinatione comprobata est, in Ord. fol. 112. & iure communi fundata, Dd. in c. 1. extr. de libel. oblat. per tex. ibi ver. reclamationis. Vltimus effectus est: ipsa infamia, siue ciuiliter siue criminaliter iniuriarum actum fuerit. Quam tamen reus euitabit, si per procuratorem in iudicio litigauerit, vel antequam lis contestata fuerit pœnam, ratione iniuriæ illatæ, debitam præstiterit, Cæpolla caut. 12. in tract. cautelarum. Et Bart. in l. infamem, ff. de pub. iud.

Quæ Affinia?

Damnum, pauperies, furta, rapinæ, & alia delicta, quæ omnia circa res dicuntur iniuriæ.

Quid Damnum?

Damnum hic dicitur iniuria, qua quis seruum, vel quadrupedem alterius occidit, vulnerauit, vel alioqui res eius confregit, rupit vel læsit, §. capite tertio, Inst. de leg. Aquil.

Quæ

Quæ causa Efficiens?

Iniuria, dolus vel lata culpa damnum inferentis, §. 2. institut. de leg. Aquilia & l. sedet, §. iniuriam, ff. eodem titulo.

Quæ Materia?

Seruus, & quadrupes, vel quæuis alia aliena res, cui læsio infertur, l. 2. ff. ad leg. Aquiliam, c. 1. 2. 3. &, 4. extr. eodem.

Quæ Forma?

Ipsa læsio, dolo, culpa, vel iniuria seruis, pecudibus, vel rebus alienis facta. Tria enim sunt Aquiliæ legis capita: quorũ primo, de occiso alieno homine quadrupede: tertio de vulnerato damnoq; iniuria reb. alienis dato, scilicet: rumpendo, frangendo, vel vrendo, cauetur: secundum legis caput, nec antiquis in vsu fuit, Paul. lib. 1. tit. 15. Iniuria autem hic, nõ pro contumelia, vt in actione iniuriarum, sed generaliter quod contra ius & per culpam factum est, accipitur. Quotiescunque igitur damnũ iniuria infertur Aquiliæ locus erit. Quare magistratus, qui non ex lege, neque iure aliquem damno afficiunt, hac lege tenentur. Et vniuersitates, & qui horũ iussis illicitis parent. Culpa verò non tantùm lata verùm etiam leuis & leuissima, vt imperitiam & negligẽtiam cõtineat intelligitur. vnde Gregorius IX, si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitia tua siue negligentia euenerunt, iure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere, vel iacturam, c. si culpa tua, extr. eod.

Quis Effectus?

Actio legis Aquiliæ ciuilis in personam, quæ da-

tur,

tur domino aduersùs eum, qui damnum iniuria dedit, vel saltem causam damni præstitit, vt quanti plurimi res, vel anno proximo, vel triginta diebus proximis fuerit, tanti damnetur, l. ait lex, & ll. sequentibus, ff. ad legem Aquiliam.

Quid Pauperies?

Pauperies est damnum sine iniuria facientis datum. Nec enim, vt ait Vlp. animal dici potest iniuriam fecisse, quod sensu caret, l. 1. ff. si quadrup. Pan.

Huius forma est: Noxia commota feritate, contra naturam eius generis commune à quadrupede commissa. Nam si fera sit, quæ feritatem habet congenitam & euadendo noxam dederit, dominus non tenetur, ex damno dato. Nec conueniri potest hac actione in factum de pauperie, cùm euadendo quasi immensam & infinitam à natura liberè vagandi facultatem fera consequatur, & dominio custodientis & tenentis eximatur, d. l. 1. §. & generaliter. Effectus autem est, actio in factum de pauperie, ad consequendam quadrupedem, quæ pauperiem dedit, vel eius æstimationem. Quæ ex lege duodecim Tabularum descendit. quæ lex voluit, aut dari quod nocuit, id est, id animal quod noxiam commisit, aut æstimationem noxiæ offerre, quod in arbitrio ipsius domini est, vt scilicet possit quadrupedem noxæ dedere, vel æstimationem eius præstare, l. 1. ff. si quod: Nisi dominus in iudicio interrogatus quadrupedem suam non esse mentitus fuerit, d. l. 1. §. interdum: noxia autem est ipsum delictum, d. l. 1. Datur etiam hæredi cæterisque successoribus, item aduersùs successores cæterosque hæredes, non iure successionis, sed eo iure, quo domini sunt, d. l. 1. §. fin. Est tamen hæc actio etiam vtilis, Si non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecerit, l. hęc actio, ff. eodem.

Qua

Quæ Pugnantia?

Ius naturæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, vt in 5. & 8. decalogi præcepto. Defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, l. 1. C. vnde vi, & ibi Bart. & modi, quibus iniuria aboletur. Vt: dissimulatio: quando iniuriatus nullum de se iudicium iniuriæ ad animum reuocandæ ostenderit: sed eam negligit, vel prorsus vult esse sopitam, l. non solùm, ff. eod. Dein, pactum, transactio, vel iusiurandum super illata iniuria interposita, lapsus continui anni, l. si non conuicij', C. eod. Nisi ciuili, ex lege Cornelia agatur, l. lex Cornelia, ff. eo. Satisfactio: ea enim facta ampliùs non agitur, ad vindictam sed tantùm ad damna. Denique mors iniuriati lite nondum contestata, & iniuriantis etiam post litis contestationem, l. si eum, §. qui iniuriarum, ff. si quis caut.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Iniuria semel remissa, iterum reuocari non debet, c. si illis, 23. q. 4.

Peccata, quæ in Deum, vel proximum committuntur, legitimis pœnis vindicanda sunt: ea autem quibus in Principem delinquitur, patienter vel toleranda, vel dissimulanda sunt, c. inter querelas, 23. q. 4.

Non mediocriter Deum offendit, qui debita cœlestis regis sua præsumptione resoluit, c. si is, 23. q 4.

Occulto Dei iudicio mali obdurantur flagellis, boni emendantur, c. Nabuchodonosor, 23. q. 4.

Leuiùs occulta, seueriùs autem punienda sunt ab Ecclesia delicta manifesta, c. quisq;, 23. q. 4.

Infidelium colloquia & connubia non sunt vitanda, c. infideles, 23. q. 4.

Quando multitudo est in scelere, nec salua pace Eccle-

Ecclesiæ mali puniri possunt, tolerandi sunt potiùs, quàm violata pace Ecclesiæ puniendi, c. infideles, 23. quæst. 4.

Non tantùm iniuriam faciens punitur, verùm etiã, qui adminicula iniuriæ quoque modo suggesserit, c. si qs, §. non solùm, dist. 1. de pœn.

Si quis pulsatus quidem non est, verùm manus aduersùs eum leuatæ sunt, & sæpè territus, quasi vapulaturus, non tamẽ percussus iniuriarum actione tenetur, c. si quis, dist. 1. de pœni.

Non est inferenda, sed depellenda iniuria, secundùm virtutis legem: qui enim non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit, c. non inferenda, 23. q. 3.

Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, c. si culpa, ext. eod.

Ignorantia in damno culpa dato, non excusat, d. c. culpa, extr. eod.

Si quis domum vel aream cuiusquam incenderit voluntariè sublata & incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat, c. si quis, ext. eod.

Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, si iacuerit in lecto qui percusserit, operas eius et impensas restituat, c. 1 extr. eod.

Qui in alterius famam publicè scripturam aut verba contumelosa confinxerit, & repertus scripturam non probauerit, flagelletur, & qui eam priùs inuenerit, rumpat, si non vult, authoris facti causam incurrere, c. qui in alterius, 5. quæst. 1.

DE

DE POENIS.

Titulus XXXVII.

Continuatio.

SI reus crimen confessus, vel testibus, alijsq; iuris remedijs conuictus fuerit, legitimis pœnis subijcitur. Nam Reipublicæ interest: ne delicta remaneant impunita: si verò de cõmisso crimine manifestè nõ constet, nulla pœna in crimen, cuius suspicio extat, legesta tuta, suspectus coercendus erit. Satiùs enim est, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare, l. absentẽ, ff. de pœnis, c. vt famæ, ext. de sententia excom. c. non afferamus. 24. q. 1.

Quid est Pœna?

Pœna est generalis coercitio omnium delictorum, quæ per fraudem committuntur, legibus constituta, & approbata, l. aliud fraus, & l. si qua est, ff. de verborum significat.

Quot sunt species Pœnarum?

Secundùm Hostiensem sunt tres, personales, reales, & mixtę. Personales iure Pontificio sunt excommunicatio, suspensio, depositio, intrusio, incarceratio, verberatio, characteris impressio, seruitus, priuilegij clericalis priuatio, curiæ seculari traditio, relegatio. De excommunicatione, suspensione, & depositione legitur in c. sorte, 23. q. 4. c. cùm nõ ab homine, ext. de iu. Et ferè per tot. 11. q. 3. De intrusione, c. edictum, &, c. si quis clericus, distinct. 81. c. de lapsis, 16. q. 6. c. si qua monacharum, 27. quæstione 1. c. tuæ, extr. eod. De incarceratione, c. graui,

c.graui extr.depositi,c.à nobis, extr.de apostat.c. nouimus,extr. de verb. signif. De verberatione, c.illi qui,5.q.5.c.circumcelliones,24.q.5. De characteris impressione,c.ad audientiã,ext. de crim. fal.c.ita quorundam,ext.de Iudæ. c.cùm multæ, 15.q.fin. De traditione facienda seculari curiæ,c. ad falsariorum,ext.de crim.fal.c.ad abolendam, ext.de hære. De priuatione priuilegij clericalis, c.contingit,ext.de sen.excom.& l.fin. ext. de vita & honest.cler. De relegatione,c.cùm non ab homine,ext.de iud.&,c.2.ext.de arb.

Reales pœnæ sunt,in possessionem rei petitæ, vel aliàs promodo debiti declarati missio,de qua pœna in c.quoniam,ext.vt lite non contest.Beneficij priuatio,per tot.in titul.de cohab.cler.& tit. de cler.coniug. Beneficij suspensio, & subtractio, de quo in c.cùm ad hoc,ext.de cler.non residen.c. pastoralis,extr. de appella. c. excommunicamus, ext.de hæret. Rerum omnium confiscatio.c.ita quorundam, &, c. ad liberandam,extr.de Iudæ. pecuniaria imũcta,c.in archiepiscopatu, extr. de rap.c.2.ext.de maled.&,c.postulasti,ext.de Iudæ.

Mixtæ sunt,q̃ partim reales,partim personales videtur,vt sunt inscriptio, proscriptio,exiliũ & relegatio,c.accedẽs,dist.50.c.biduũ,2.q.6.&,c. placet,16.q.1.Nam & ad iudicẽ Ecclesiasticũ pertinet ex causa in exilium mittere. In exulibus aũt certos pœnarum gradus diuus Adrianus edicto constituit:vt scilicet,qui ad tẽpus relegatus est, si redeat,in insulam relegetur. Qui relegatus in insulam,excesserit,in insulã deportetur. Qui deportatus euaserit,capite puniatur,l.capitalium, §.in exulibus,ff.eod.Et iure ciuili:pœnæ vel sunt capi

tales, vel non capitales sunt, quæ caput vitamq; adimunt. Non capitales, quæ non adimunt. Quæ autem illæ sint? vide l. capitalium, & l. fin. ff. eod.

Quæ causa Efficiens?

Est ipsa lex, vel canon, qui legis nomine quoq; comprehenditur. Nam, vt Isidorus de officio legis dicit, omnis lex aut permittit aliquid; vt vir fortis petat præmium: aut vetat; vt sacrarum virginum nuptias, nulli petere liceat: aut punit; vt q; cędē facit capite plectatur, c. omnis aũt, dist. 3. Habent aũt potestatem animaduertēdi illi solùm, ad quos ius gladij & merum imperium spectat, l. 1. & l. 2. ff. eo. Et magistratus, cui administrādę iustitiæ onus incumbit, solùm pœnam lege constitutā exequitur. Nã & legis executio nihil aliud, q; administratio iustitię est, l. seruos, C. ad l. Iul. de vi pub.

Quæ Materia & Subiectum?

Sunt homines, qui deliquerunt: nō aũt alij pro illis qui non deliquerunt, in tantùm, vt nec filius pro patre, vel maritus pro vxore, & econtrà puniatur. Nam, vt dicitur pœna suos debet tenere authores, & vnusquisq; ex suo admisso forti subijcitur, nec alius alieni criminis successor constituitur, c. crimen, 1. q. 4. c. vndecunq;, dist. 56. c. quæsiuit, extr. de his quæ fiunt à maio. parte Cap. Prægnantis autem mulieris damnatę pœnam quò ad pariat differri, ita vt nec quæstio de ea, donec vterum gerit, habeatur, constitutum est, l. prægnantis, ff. eod. Quia partus non pœnæ, sed reipublicæ nascitur, l. 1. §. si ea, ff. de vent. in pos. mitt. Puniuntur igitur homines, aut propter facta, vt furta cædesq;: aut dicta, vt conuitia & infidas aduocationes: aut propter scripta, vt falsas chartas & famo-

mosos libellos: aut propter Concilia, vt coniurationes. Quæ quatuor genera septem modis sunt considerandа: scilicet, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu, c. aut facta, distinct. 1. de pœnit.

Quæ Forma imponendæ pœnæ?

Forma excommunicationis imponendæ habetur in c. debent, 11. q. 3. Forma traditionis, in c. nouimus, ext. de verb. sig. aliarumq; pœnarum canonicarum imponendarum modi habentur textib. sup. notatis. Et sanè varietas criminum, varietatē inducit pœnarum, c. pœnæ, dist. de pœnit. &, c. nō afferamus, 24. q. 1. Igitur respiciendum iudicanti (vt ait Martianus) ne quid aut duriùs, aut remissiùs, quàm causa deposcit, cōstituat. Nec enim aut seueritatis aut clementiæ gratia affectanda, sed perpenso iudicio, pro vt quæque res postulat, statuendum est. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse fas est, in grauioribus pœnis seueritatē legum cū aliquo temperamento benignitatis subsequi debent, l. perspitiendū, ff. eo. &, c. pœnæ, dist. 1. de pœnit. Considerare etiā debet iudex in modo infligendæ pœnæ seruando committentis intentionem & affectum, quia affectus discernit maleficia, & aliter is, qui proposito, quā q casu delinquit, puniēdus. Nam delinquitur tripliciter: aut popositо: aut impetu: aut casu. Proposito delinquunt latrones, qui factionem habent. Impetu, cùm per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum venitur. Casu verò cùm in venando telum in feram missum, hominem interficit, d. l. perspiciendum, ff. eod. Modus autem iustus obseruabitur, si circa facta, dicta, scripta aut

consilia quibus delicta committũtur, septem circumstantiæ, quarum meminit in l. aut facta. ff. eod. Claudius Saturninus: scilicet causa, persona, locus, tempus, qualitas, quantitas, & euentus in infligenda pœna rectè perpendantur, c. aut facta, dist. 1. de pœnitent. Primò enim considerandum est, ob quam causam quid factum sit, vt in verberibus patet quæ à magistro vel parente illata impunita sunt, quoniam emendationis animo, non iniuriæ gratia, videntur adhiberi: pœna autem infligitur, cũ quis ab extraneo per iram pulsatur. persona dupliciter spectatur, eius qui fecerit, & eius qui passus est, aliter enim puniũtur ex eisdem facinoribus serui, quàm liberi: & aliter q in dominum parẽtemúe aliquid ausus est, quàm qui in extraneum, & in magistratũ, quàm in priuatum, l. in seruorum, ff. eod. & in huiusmodi consideratione ætatis quoq; ratio habetur. Locus facit, vt idem vel furtum, vel sacrilegium sit capite puniendum, vel minore supplicio. Tempus discernit emansorem à furtiuo, & effractorem vel furem diurnum à nocturno. Qualitate factũ vel atrocius vel leuius est, vt furta manifesta à non manifestis discerni solent, rixæ à grassaturis, expilationes à furtis, petulantia à vinolentia. Quantitas discernit furem ab abigeo. Nam qui suem vnum surripuerit, vt fur coërcebitur, qui gregem, vt abigeus. Euentus spectatur vt à demen tissimo scilicet: qui animum nocendi non habet, facta, quanquam lex non minùs eum, qui occidẽdi hominis causa, cum telo fuerit deprehensus, q eum, qui occiderit, puniat. Et ideò apud Græcos exilio voluntario fortuiti casus luebantur, l. is q telo,

telo, C. ad l. Cor. de Sica. Euenit etiam vt eadē scelera in quibusdā prouincijs grauiùs plectātur, vt in Africa messium inciſores, in Myſia vitium, vbi metalla ſunt adulteratores monetæ. Nōnunq̄ euenit, vt aliquorū maleficiorū ſupplicia exacerbētur, quotiēs nimiū multis perſonis graſſantib⁹ exēplo opus ſit, c. aut facta, in fin. diſt. 1. de pœnit.

Quis Finis?

Conſeruatio reip. & ſocietatis humanæ. ſicuti enim præmio afficiēdi ſunt boni, ita pœna mali: his. n. duobus, præmio ſcilicet & pœna, oēm conſtare Remp. Solō dicere ſolebat. Cum enim naturæ parens & opifex omnium rerum naturalem quandam inter homines cōſtituerit cognationē, impij ſanè aduersùs Deos immortales iudicandi ſunt, qui hanc ab ipſis conſtitutam conſociationem peruerſitate morum euertere conantur. ergo illi, qui perpetratione delictorū publicam hominū ſocietatē turbant, legitimis pœnis coërcēdi ſunt, vt & alijs pronior delinquēdi occaſio' aufera tur: & inde læſi habeāt, quod pro remuneratione delicti ipſis ſolatio eſſe poſsit, l. ſi quis fortè, §. ſi quos in ver. vt exēplo deterriti minus delinquāt, ff. eod. & l. capitalium, §. famoſos, ff. eod. & Plato. in Gorgia, &. c. non fruſtrà, 23. q. 5.

Quis Effectus?

Peremptio obligationis ratione commiſsi delicti conſtitutæ, Sicuti enim in ciuilibus ſolutione eius quod debetur eius debiti conſtituta obligatio tollitur, ita in criminalibus pœna ad quā lex delinquentē obligabat, perpeſſa, ipſa obligatio ſimul cum delicto aboletur. Bal. in auth. ſed nouo, num. 4. C. de ſer. fugitiuis, l. diu⁹, ff. de iure patro.

Quæ Affinia?

Incarceratio, quæ non pœnæ loco, licet ea delinquens puniatur, sed custodiæ causa habetur, iure ciuili. Quia non reis puniendis sed custodiendis magis carceris angustię inuentę sunt, l. incredibile, C. eod. Tamen iure Pontificio hic quoq; carcerum vsus pro delinquentium supplicio receptus est, atq; hæc pœna capitalibus interdũ annumeratur, c. quamuis, vbi glos. in 6. & Felin. in c. qualiter, §. ad corrigendos, extr. de accusat. eiq; supplicio quàm simillima est, quo seculares vtũtur, dũ quempiam in metallũ, vel ad triremes damnãt, Felin. d. c. qualiter: & multa: quæ à pœna tamẽ variè differt, vt tradit Vlp. in l. aliud, §. inter. Et Paulus in l. si qua, ff. de verb. signif. 1. Pœna generale nomen est omnium delictorum coërcitio: multa autem specialis peccati coërcitio. 2. Pœna non tãtùm pecuniaria est, verùm etiam capitis & existimationis: multa aũt tantùm pecuniaria. 3. Pœna legis est, & nõ imponitur, nisi lex, vel quodlibet aliud ius delicto ipsam imponi iubeat. vnde dicitur: certas esse singulorũ peccatorũ pœnas. i. lege statutas, l. si qua, ff de ver. sig. Multa verò non legis est, sed in arbitrio iudicantis qualẽ & quantã imponere velit consistit, d. l. si qua, & l. aliud, ff. de verb. signif. 4. A pœna appellari nõ potest: simulatq;. n. victus qs est eius maleficij, cuius pęna statuta est, statim ea debetur: at multa nõ debetur priusq̃ aut non esse prouocatũ, aut prouocatorẽ victũ esse, appareat, d. l. si qua. 5. Multã is dicere põt, cui adiudicatio data est. i. soli maiores magistratus & præsides prouinciarum, quibus mandatis Principum permissum est, pęnam aũt vnusquisq; irro-

irrogare potest, qui potestatem iudicandi habet, vel cui criminis siue delicti executio competit, d. l. aliud fraus, ff. de verb. sig.

Quæ Adiacentia?

Fraus, infamia, confiscatio bonorum. Fraus (vt ait Vlpianus in d. l. aliud, ff. de ver. sig.) aliud est, aliud pœna. fraus enim sine pœna esse potest, pœna sine fraude esse non potest. pœna est noxæ vindicta, fraus & ipsa noxa dicitur, & quasi pœnæ quædam præparatio. Infamia notantur omnes illi qui Christianæ legis normam abijciunt & statuta Ecclesiastica contemnunt. Qui illi sint? vide c. infames, 6. q. 1. Forma infamiæ contrahendæ habetur in c. infames, 3. q. 7. Contrahitur enim aliquando infamia genere delicti declarati per sententiam: veluti, cùm iudex pronunciat: iniuriam fecisti: hæreditatem expilasti, &c. Aliquando genere pœnæ: sicut illi qui damnantur in opus publicum, qui pristinum quidem statum obtineãt: sed damno infamiæ etiam post impletum tempus subijciuntur. Aliquando genere pœnæ & delicti, per sententiam declarati: veluti dum fustibus cæso per præconem dicitur: συκωφαντῆς, id est, calumniaris. Aliquando ipso genere facti: vt exercentes improbum fœnus, & illicitè exercentes vsuras vsurarum: & mulier, quæ intra tempus, quo moris est lugere maritum, cõtrahit matrimonium: & qui sciẽs illam duxerit, d. c. infames, §. porrò infamia, 3. q. 7. Confiscatio, est auctio omnium bonorum, vel alicuius quotæ & ad fiscũ associatio, Chas. rub. 2. fol. 340. Quæ iure Pãdectarũ & Codicis, liberis nõ existẽtib⁹, permitte-

batur: vt scilicet, damnato corpore bona fisco applicarentur, l. fin. C. de bo. præscrip. & l. 1. ff. de bo. damna. Iure tamen nouissimo bona damnatorum, seu præscriptorum ob delictum commissum (crimine læsæ maiestatis excepto) non confiscantur, sed vel ascendentibus & descendentibus, vel ex latere iunctis vsq; ad tertium gradum, si superstint, relinquuntur. Vxoribus quoq; eorum dotem, & ante nuptias donationem, accipere licet, & si sine dote sint, de substantia maritorum damnatorum partem legibus definitam, siue filios habeant, siue non, consequi possunt, auth. Bona damnatorum, C. de bonis proscriptorũ. Licet enim triplex ius nouissimum authẽticorum sit, quod de confiscatione statuit, scilicet, vnum de quo in, §. 1. auth de nupt. Colla. 2. Secundùm quod indistinctè publicatio bonorum fiebat. Aliud, de quo in §. oportet, in auth. de mandat. princip. secundùm quod non fiebat indistinctè publicatio bonorum. Aliud quod fuit vltimũ, de quo in §. fin. auth. vt nulli iud. collat. 9. tamen hoc iure authenticorum nouissimo, quod etiam cum auth. bona damnatorum, C. de bonis proscriptorum, continet, omnia alia iura corriguntur. Chassa. rub. 2. §. 1. fol. 346. Est autem confiscatio meri imperij: nemo igitur eam facere potest, nisi is, qui suprema potestate & iure gladij vtitur, vt sunt, Imperator, Rex, Dux, & qui ab his ius gladij exercendi potestatem habet, tex. in l. vnica, C. ne fine iuss. princ. & Bal. in l. fin. ff. de off. præsid.

Quæ Pugnantia?

Abolitio, quæ pœnã remittit & infamiã tollit, si quẽ, §. abolitio, 2. q. 3. Indulgentia, restitutio.

Vnde

Vnde in d.c. si quem in fin. Indulgentia quos liberat notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit, si autem restituo te in integrum Princeps dixerit, infamia cum pœna tollitur, d.c.si quem, in fine, 2.q.3. Delictum absq; dolo committentis patratum, est enim fraus præparatio pœnæ, nec pœna absq; fraude esse potest, d.l. aliud, ff. de verb.signi. Transactio criminum, quæ sanguinis pœnam ingerunt, l. transigere, C. de transact. collusio partium litigantium. tot. tit. extra, de collusione deteg. Fauor iudicis, l. perspiciendum, ff. eod. Mors accusati Rei antequam pœnæ subijceretur, l. 2. &, l. 3. C. si Reus accusat. l. ex iudiciorum, ff. de accusat. Mutua compensatio, Iason. & Dd. in l. 1. ff. de leg. sunt autem aliæ multæ causæ, ob quas licet non tollatur, tamen mitigatur pœna, quas Dd. suis locis tradunt,

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Legum interpretatione molliendæ sunt potiùs pœnæ, quàm nimis exasperandæ, c. pœnæ, dist. 1. de pœn.

Cogitatio non meretur pœnam, l. ciuil, cùm suis terminis contenta sit: discernuntur tamen à maleficijs ea, quæ de iure effectum desiderant, in his enim non nisi animi iudicium consideratur, c. cogitatio, dist. de pœn.

Verbum, statuit, rem perfectã significat & consummatam iniuriam, non cœptam, c. hæc autem, dist. 1. de pœn.

Varietas criminum varietatem pœnarum inducit. c. nõ asseramus, 24. q 1.

Bonus iudex nihil ex suo arbitrio, & proposito domesticæ voluntatis facere, sed iuxta leges & iura pronunciare: statutis iuris obtemperare, nõ indulgere propriæ volun

rari, nihil præparatum & meditatum de domo deferre, sed sicut audit ita iudicare, & sicut se habet natura, decernere debet, c. iudicet, 3. q. 7.

Qui aliorum vitia punit, sua priùs corrigere studeat, c. qui sine, 3 q. 7.

Victus victori in expensis damnatur, etiam in causa pecuniaria, c. calumniam, extr. eod.

DE POENITENTIIS ET REmissionibus.

Titulus XXXVIII.

Continuatio.

INter pœnas refertur pœnitentia, quæ in varijs casibus loco pœnæ in commissi delicti correctionem & purgationem iniungitur, c. 1. ex. eod. & c. pœnitentia, dist. 3. eod.

Quid Pœnitentia.

Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet cõmisisse. pœna enim proprie dicitur lęsio, quę punit, vindicãs quod quisque commisit, c. pœnitentia est, dist. 3. de pœn.

Vnde dicitur Pœnitentia?

Pœnitere est, quasi pœnam tenere. ille autem pœnam tenet, qui semper vindicat, quod commisisse dolet, vel vt semper puniat in se vlciscendo, quod peccãdo commisit, d. c. pœnitentia est, dist. 3. eod.

Quotuplex Pœnitentia?

Duplex, interior & exterior. Interior est illa, de qua Augustin⁹ ait: Omnis, qui volũtatis suę arbiter cõstitut⁹ est, nõ potest inchoare nouã vitã, nisi vete-

veteris eum pœniteat. De exteriore loquitur Ambros. super Epist. ad Rom. Gratia (inquit) Dei in Baptismate non requirit gemitum vel planctum, non opus aliquod, sed solùm contritionem cordis, & omnia gratis condonat: quæcunq; enim de pœnitentia facienda dicuntur, non ad exteriorẽ, sed ad interiorem, cordis videlicet cõtritionem, referenda sunt: sine qua nullus vnquam Deo recõciliari poterit, c. quis aliquando, §. ea verò, & §. est enim, dist. 1. eod.

Quæ causa Efficiens?

Spiritus sanctus, & secundariò, voluntas syncera pœnitentis. Nec enim proprijs viribus humanis opus bonum adscribendum est, Ioan. 16. 1. Regũ, ca. 2. Hier. 31. & 2. ad Timot. 2. ibi. ne fortè Deus det illis pœnitentiam; nec vera pœnitentia dicetur, nisi ex quadam cordis synceritate omni æmulatione, odio, inuidia, alijsq; vitijs penitus repulsis præcesserit, c. falsas pœnitentias, dist. 5. &, c. nihil prodest, dist. 3. eod.

Quæ causa Impulsiua?

Promissio Euangelij. Lex enim ostendit peccatum, terret & occidit conscientiã: hæc tandem quærit solatium: Accedit Euangelium & promittit & confert credentibus & pœnitentibus salutem, seu remissionem peccatorum ad nouam vitam, c. ille rex, dist. 3. eod.

Quæ Materia?

Peccatum, ad quo suggestione, delectatione, vel consensione, peruenitur, c. sicut tribus, dist. 2. de pœniten. Omneq; genus delicti, ad cuius purgationem, pœnitentia iniungitur, c. 1. ext. eod.

Quæ

Quæ Forma Pœnitentiæ?

Vera cõtritio cordis, per fidem directam in Euangelij promissionem: qua peccatorum remissio pœnitentibus conceditur facta, c. pœnitentiam, dist. 3. eod. &, c. quæ aliquando, §. est enim, & §. fine contritione, dist. 1. eo. Tres autem actiones pœnitentiæ, vide in c. tres sunt, dist. 1. eod.

Quæ Forma imponenda Pœnitentiæ?

Sicuti bonus atq; diligens Medicus non vno solo pharmaco, vel collyrio omnibus morbis medetur: sed, pro arbitrio, facultate sua, & pro morborum varietate, varijs vtitur, vt inquit glos. in c. vlt. dist. 29. Ita quoq; Sacerdos & vir bonus, pro personæ qualitate, & delicti atrocitate, vel leuitate, canonicas pœnitentias indicere debet, Alexan. Alensis, in 4. part. Summæ, q. 8. memb. 3. art. 1. Sũt enim pœnitentiæ omnes arbitrariæ hodiè: quêadmodum probant permulta iuris Pontificij loca, vt in c. de his, 50. dist. c. si monachus, 90. dist. c. tempora, 26. q. 6. & ibi glos. in c. quem pœnitet, c. mensuram, de pœnit. dist. 1. &, c. significauit, &, c. Deus qui, extr. de pœni. & remis. & ita sentit Abb. in c. at si clerici, §. de adulterijs, num. 3. & ibi Decius, nu. 6. & Alci. num. 3. de iud. & communem testatur Iulius Clarus, lib. 5. sent. iuris, §. fin. q. 83. in fine. Et hanc iuris sententiã procedere tradit Menoch. de arb. iud. lib. 2. cen. 4. Cas. 3. q. 1. nu. 4. etiãsi ex toto pœnitentiam hanc remittere vellet iudex vel Sacerdos, vel etiamsi canones certam iam pœnam indixissent, vel iniuncta esset à Pontifice, nihilominùs tamen, posse ex causa inferiorem: puta, Episcopum vel alium Prælatum pœnitentiã indi-

indictam immutare vel minuere. Ita etiã Decius, §. de adulterijs, num. 6. Excipiuntur tamen tres casus, 1. Quando Episcopus, sine aliqua causa, pœnitentiam iam consuetam & determinatam iure immutare vel minuere vellet, Abb. in c. Deus qui, extr. eod. 2. Quando pœnitentia publicè peragẽda foret, & Episcopus eam immutando priuatã facere vellet, Felin. in c. accusasti, extr. de accusat. 3. Quando iniũcta pœnitentia tertio damnum afferret, c. relatum, extr. de sententia excom.

Quis Finis & Effectus?

Pũrgatio, remissio, vel deletio peccatorum, ad quem finem instituitur pœnitentia, d. c. quis aliquando, dist. 1. eo. Hic nota, quòd peccata triplici ter purgentur. Aut enim donantur, aut delentur, aut teguntur. Donantur per gratiam Baptismi, c. nullus exspectet, 7. dist. eod. Delentur effusione sanguinis Christi, c. baptizati, dist. 4. de consecrat. Teguntur per charitatẽ, c. charitas est, dist. 2. de pœ. Sunt & alij effectus, scilicet, acceptio Spiritus sancti, tranquillitas, bona conscientia, vita, salus. Cùm enim fide Christus apprænditur in pœnitentia, remittuntur peccata, & donatur iustificatis Spiritus sanctus, qui postea eos in omni tranquillitate defendit, & ad salutis vitam ingrediendam viam præstruit, c. quomodò, dist. 2. eo. c. in domo, dist. 4.

Quæ Affinia?

Ieiunium, eleemosyna, moderatio naturalium motuum, atq; libidinũ, c. nihil prodest, dist. 3. eod. culpa, c. productior, dist. 3. eod. aliaq; opera bona & officia iustitiæ Christianæ.

Quæ

Quæ Adiacentia?

Confeſsio, dolor, contritio cordis, & Theologicæ virtutes, ſcilicet fides, ſpes, & charitas, c. ſi Apoſtolus, diſt. 3. d. c. quia aliquando, diſt. 1. & per tot. tit. diſt. 2. de pœnit.

Quæ Pugnantia?

Peccati delectatio, cordis elatio, delinquentiũ multitudo, deſperatio, ſpes per longa tempora propagandi vitam, timor, pudor ſatisfactio pro prijs viribus attributa, pœnitentia, ſimulata, falſa, & deſtituta cõtritione, & bonis operib, de quibus in c. falſas, di. 5. eo. & d. c. qa aliquando, eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Cogitationis pœnam nemo patitur, c. cogitationis, diſt. 1. de pœn.

Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre. in corde enim contritio, in ore confeſsio, in opere tota humilitas. hæc eſt frugifera pœnitentia, c. perfecta, diſt. 1. eod.

Mortificatio vitiorum magis, quàm abſtinentia ciborum pœnitenti neceſſaria eſt, c. menſuram, diſt. 1. eod.

Omnis, qui ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, non poteſt inchoare nouam vitam, niſi pœniteat eum veteris vitæ, c. quis aliquando, §. omnis, diſt 1. eod.

Sine pœnitentia interiori, nullus vnquam Deo reconciliari poteſt, d. c. quia aliquando, § quæcunque, diſtinct. 1. eod.

Sine contritione cordis nullum peccatum dimitti poteſt, d c. quia aliquando, §. ſine eod. diſt. 1.

Primam

Primam vitij causam non penitus extinguit, qui in illam postea recidit, c. si quis, dist. 2. de pœn.

Virtute mortis dilectio comparatur. Quia nimirùm mentem, quã semel ceperit à delectatione mundi funditus occidit, c. valida, dist. 2. eod.

Charitas est recta voluntas, & ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus auersa: iuncta verò Deo inseperabiliter, & ignita igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & ad quem refertur incensa, & quæ sequuntur in c. charitas est, vt, distinct. 2. eod.

Humanæ gloriæ arrogantiæ vitium per contrarium, i. humilitatis exercitia euitatur. Exercitia autem humilitatis sunt, si se vilioribus officijs subdat, & ministerijs indignioribus tradat, c. si quis, dist 2. eod.

Ficta charitas est, quæ deseruit in aduersitatibus, c. ficta, dist. 2. eod.

Radix omnium malorum est, cupiditas, & radix omnium bonorum est, charitas. Et simul ambæ esse non possunt: & nisi vna penitus euulsa fuerit, alia plãtari non potest, c. quia radix, dist. 2.

Sicut tribus gradibus ad peccatum peruenitur: suggestione scilicet, delectatione, & cõsensione, ita ipsius peccati tres sunt differẽtiæ: & in corde, & in facto, & in cõsuetudine, tanquam tres pestes. Vna quasi in domo, id est: cùm in corde consentitur libidini: altera verò quasi iam prolata extra portam: Cùm in factum procedit assensio: tertia cùm vi consuetudinis malæ, tanquam mole terrena, premitur animus, quasi in sepulchro iã putres, c. sicut, dist. 2. eod.

Tribus

Tribus modis admittitur peccatum. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: Et grauius quidem infirmitate, quàm ignorantia: sed multò grauius studio, quàm infirmitate peccatur, c. sciendum, dist. 2. eod.

Pœnitentia, est mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere, c pœnitentia, dist. 3. eod.

DE SENTENTIA EXCOMMVnicationis.

Titulus XXXIX.

Continuatio.

EXcommunicatis licet capitalis pœna nõ habeatur: tamen non modò grauis, sed & grauissima est ijs, qui de religione non benè sentiunt. Nam ab Ecclesia cõmunisq; hominum societate excludit atq; separat: ideò vna ex censuris ecclesiasticæ esse perhibetur, c. ad mensam, 11. q. 3. c. corripitur, 24. q. 3. &, c. quærenti, extr. eod.

Quid est Excommuni atio?

Excommunicatio (secundùm Panorm.) est nihil aliud, quàm censura à Canone, vel iudice Ecclesiastico prolata, & inflicta, priuans legitima cõmunione Sacramentorum, & quandoq; hominũ. Abb. in rub.

Vnde dicta Excommunicatio?

Dicta est excommunicatio, quasi extra cõmunionem: quia hominum communionem & consotiationem adimit, Abb. in rub. hoc tit.

Quotuplex Excommunicatio?

Duplex: maior scilicet & minor. Minor est, per quam quis à sacramentorum participatione con-

scien-

scientia vel sententia arcetur. Hæc enim tantũ sacramentorũ vsũ interdicit, sed hominũ cõsuetudinẽ permittit, & sola cõuersatione & cõmunicatione cũ excõmunicato cõmittitur. Nã Concilio Carthaginensi sancitum est, vt qui cõmunicauerit, vel orauerit cum excommunicato, si laicus est excommunicetur, si clericus deponatur, c. qui communicauerit, 10. q. 3. Maior est, quæ non solũ à sacramentorum, verùm etiam fidelium communione, excludit, & ab omni actu legitimo separat & diuidit. Et hæc anathema etiam dicitur, c. ad mensam, 11. q. 3. &, c. Engeltrudam, 3. q. 4. c. cùm non ab homine, &, c. intelleximus, extr. de iud. c. penul. ext. eod. Et Abb. in rub. eod. tit col. 2. & in c. si celebrat, extr. de cler. excom. ministrant.

Quæ causa Efficiens?

Causę excõmunicationis remotæ sunt: 1. Christus, qui & approbator & institutor excommunicationis est, teste Matthæo, cap. 18. 2. Mandatũ Dei, quia Christus eam exercendam in Ecclesia mandauit, vt habetur Matth. 18. Si in te peccauerit frater tuus, vade & argue illum. 3. Ecclesia, quia Ecclesia excommunicationis iurisdictionẽ à Christo accepit exercendam, & quia sine authoritate & consensu Ecclesiæ, nemo debet excommunicari. Et quanquam Christus dicto loco loquatur de priuatis peccatis in priuatos, ideò tamẽ non sequitur, à Christo hic non esse institutã, vel mandatã excõmunicationem, quę publicorũ criminũ tantũ dicitur, fiũt enim priuata peccata in priuatos publica, quãdo deferũtur ad Ecclesiã, quæ priuatim admonitos ad pœnitentiam, & nolentes audire fratres publicè excommunicat. ha-

bet enim Ecclesia potestatem excommunicandi, quam tamen alijs certis personis committit exercendam, vt omnia cum decoro & ordine fiant. Hinc magis propinqua excommunicationis causa est, Canon & iudex. Vnde & alia excommunicatio dicitur canonica, vel legitima, alia iudicialis. Canonica, qua quis ab ipso Canone, absq; iudicis ministerio, excommunicationis vinculis obstringitur. Et hæc latæ sententiæ excommunicatio, & pœna criminis dicitur. Iudicialis est: quæ à iudice ferè semper propter delinquentis contumaciam, quæ vel non veniendo, vel non parendo commissa est, infligitur, Abb. in rub. eod. tit. col. 1. &, c. cùm non ab homine, vbi glos. ext. de iud. Et hæc pœna contumaciæ dicitur, Abb. in rub. &, c. reprehensibilis, ext. de appel. &, c. curæ, 10. q. 3. Iudicem intellige nõ tantùm ordinariũ, verùm etiam delegatum, & quemlibet Prælatum, iurisdictionem in subditos habentẽ. Licet enim hæc iudicialis excommunicatio magis propriè quidem iurisdictionis Episcopalis sit: vnde & mucro Episcopi appellatur, c. ex parte, ext. de verb. sig. & Ab. in c. cũ cõtingat, ext. de for. cõp. Possunt tamẽ alij Prælati omnes, qui iurisdictionẽ spiritualem, de consuetudine vel de iure communi habent, siue muneri præsbyterali vel curæ animarũ præsint, siue non etiam maiorem excõmunicationem imponere, Hostiens. hoc tit. §. nedum aũt adducens in argumentũ, c. prælectis, dist. 25. c. si in plebibus, dist. 63. c. 2. extr. de off. Archidia. c. reprehensibilis, ext. de appel. c. cũ in ecclesijs, de maio. & obed. &, c. quanto, ext. de off. ord. & hoc de maiore excommunicatione intelligitur. Minor enim non tantũ

ab

ab Episcopo, verùm etiã quouis inferiore Prælato, vel etiã à clerico curã animarum habente infligitur, c. quotidiè, dist. 2. de consecrat.

Quod Subiectum?

Non Iudæus vel Paganus, nec superior, sed Christianus subditus inferior respectu iudicis & Canonis ab eo lati. Nõ enim Iudæus & Paganus excõmunicantur, cũ à Christiana religione sint alieni. Nec superior ab inferiore, ob defectũ iurisdictionis: nisi potestati inferioris se subijciat, c. peruenit, 11. q. 1. Sed inferior ob delictũ patratũ, vel ob contumaciã. Quæ aũt delicta canonica excommunicatione puniantur, & q̃ iudiciali? tradit Hostien. in §. quis possit, & §. nedũ, hoc tit. Nõ tamẽ pro paruis & leuibus causis quis cõmunione priuatur, c. nullus, 11. q. 3.

Quæ Forma ferendæ sententiæ excõmunicationis?

Forma excõmunicationis habetur in c. debent, 11. q. 3. Vt scilicet Episcopũ excõmunicationis sententiã ferentem duodecim sacerdotes circũstent, candelas ardentes manibus tenentes, quas sub ipsum anathematis intorti finem in terrã proiectas pedibus conculcent: deinde epistola continẽs excõmunicati nomen & excõmunicationis cautam per ecclesias parochas mittatur. Hanc tamen formã vsitatã non esse tradit Ab. c. cũ contingat, ex. de for. cõp. nu. 31. sed in ferẽda sentẽtia excommunicationis generaliter obseruandũ esse ait, 1. Vt ipsã sententiã trina monitio cũ iustis dierũ interuallis præcedat. c. constitutionem, eo. in 6. 2. Vt præsentibus personis idoneis cũ causæ cognitione fiat, c. sacro, vbi glos. &, c. contingit, extr. eod.

3. Vt in scriptis excommunicationis causa nominatim adiecta promulgetur, schœdæ exemplũ, si petitum fuerit, excommunicato intra mensem exhibeatur, c. 1. eod. in 6. Et deniq; vt excommunicati nomen publicetur, c. curæ sit, 11. q. 3. & hæc traduntur in c. &, c. statutum, eod. tit. in 6. Formã inducendę excõmunicationis, Matth. ca. 18. hanc ponit: Primũ, vt admoneatur, qui deliquit priuatim. Secũdò, in præsentia vnius aut duorũ. Tertiò coram Ecclesia, quam si non audierit peccator, subiaceat sententiæ excommunicationis.

Qui Effectus?

Maioris excommunicationis effectus est: quòd ab Ecclesia communiq; hominum societate excludat atq; separet, c. ad mensam, 11. q. 3. Et per eam tanquam membrum à corpore abscissum excommunicatus abijciatur, c. nihil, 10. q. 3. Sathanæq; & angelis eius tradatur, c. omnis Christianus, 11. q. 3. Secundò, quòd is excommunicatus, si in excommunicatione per annum & vltra perseuerer, habeatur pro confesso, & conuicto de eo delicto & causa, ob quæ fuit excommunicatus. Hunc enim effectum perseuerantia in excommunicationis, & deinde sententiæ, quò ad illud crimen, ne inducit. Estq; lapsus anni, loco solius probationis facitq; perinde, ac si is excommunicatus ore suo esset cõfessus, & lata esset à iudice sententia. Quocircà, si illud crimen, ob quod lata est excommunicatio, ita graue est, vt is delinquens priuari & deponi possit, & debeat, à beneficijs vel sententia declaratoria tantũ, vel diffinitiua, priuandus & deponendus est: si verò illud delictum non est ita graue, vt priuationis vel depositionis pœnam in

ferat,

ferat,nõ erit is deponendus & priuandus,sed pœna arbitraria indicenda, si ordinaria deficiat. ita sentit Menoch.de arbi.iudi.casu 416. lib.2.cen.5.

Tertiò, quòd maiori excommunicatione notatus,non possit eligere vel eligi,nullum ecclesiasticum beneficium acquirere,nec quid de beneficiorum suorum prouentibus percipere possit, c. postulastis,extr.de cler.excom.c.pastoralis, extr. de appellat. Minoris autem excommunicationis effectus est,exclusio à sacramentorum participatione,quod ex Gregorio VIII.intelligitur,qui ita ait:Si celebrat minore excommunicatione ligatus,licet grauiter peccet,nullius tamen notam irregularitatis incurrit: nec eligere prohibetur, vel ea,quæ ratione iurisdictionis sibi competunt exercere.Si tamen sciẽter talis electus fuerit, eius electio est irritanda,pro eo,quòd ad susceptionẽ eorum eligitur,à quorum perceptione, à sanctis patribus est priuatus. peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta,sed ab eo collata, virtutis non carent effectu.Cùm non videatur à collatione,sed participatione sacramentorum(quæ in sola consistit perceptione) remotus, dummodò non in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ,videlicet contra prohibitionem Superioris, cõmunioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit:in quo casu anathemate feriendus, c. si celebrat, extr. de clerico excom. vel deposito ministrante.

Quæ Affinia?

Affinitatem magnam habent cum excommunicatione degradatio, depositio, cessatio à diuinis officijs,irregularitas,bannum imperiale & a-

liæ eccleſiaſticæ cenſuræ, ſcilicet, interdictum ecclesiaſticum, & ſuſpenſio.

Quot ſunt Cenſuræ Eccleſiaſticæ?

Sunt tres: excommunicatio, eccleſiaſticum interdictum, & ſuſpenſio. Vnde animaduerſionis verbum, latiùs patet: quia complectitur non tantùm depoſitionem, ſed etiam alias pœnas, c. 1. de homicid. in 6.

Quod eſt eccleſiaſticum interdictum, quæ cauſa Efficiens, Materia, Forma & Effectus?

Eccleſiaſticum interdictum eſt, cenſuram eccleſiaſtica prohibens adminiſtrationem diuinorũ, c. quod in te, ext. de pœnit. & remiſ. Cauſa efficiens eſt, Canon & iudex. Vnde interdictum dicitur, vel iudiciale, vel legitimũ. Iudiciale eſt, cùm competens iudex locum, vniuerſitatem, vel certos homines à diuinis prohibet, vel interdicti ſententia arcendos pronuntiat. Et habent ius prohibendi Papa, c. tanta, extr. de exceſ. prælat. Legatus c. nouit. ext. de off. leg. Delegatus, c. quoniam, de off. ordina. Epiſcopus cum Capitulo, c. 1. extr. de his, quæ fiunt à ma. par. cap. Vacante eccleſia Capitulum, c. graue, de off. ord. Legitium interdictum dicitur, quod Canonis vel iuris diſpoſitione, inducitur, de quo legitur c. 1. de vſur. in 6. c. quanq̃ de cenſib. in 6. c. fin. de pœnis, in 6. &, c. vbi periculum, de elect. in 6.

Materia interdicti, ſunt prouincia, regnum, diœceſis, rus, caſtrum, eccleſia, ſacellum & homines. Vnde interdicta vel ſunt generalia, vel ſpe-

cialia

cialia vel singularia. Generalia quidem appellantur, cùm prouincia, regnum, vel diœcesis, & eorum homines interdicuntur. Specialia verò cùm ciuitas, rus, castrum, vel horum homines. Singularia denique, cum ecclesia, vel sacellum, vel homo nominatim interdictus sit, c. si sententiam, de sent. excom. in 6. Forma, cum excommunicatione eadem est, c. reprehensibilis, extr. de appellat. Effectus est, amotio, à certis sacramentis, & omnibus diuinis officijs, & sepultura ecclesiastica, c. quod in te, extr. de pœniten.

Quid Suspensio, causa Efficiens, Subiectum, Forma, & Effectus?

Suspensio est, inhabilitas quædam ordinum vel officiorum executionem impediens, Antoninus in suo tractat. de suspens. Causa efficiens est, Canon & iudex. Vnde suspensio dicitur vel Canonis vel iudicis: Hæc per iudicis sententiam: illo ipso iure inducitur, c. reperiuntur, 1. quæst. 1. &, c. præter hoc, 32. distinct. Subiectum est, persona tantùm clericalis. Cùm enim suspensio sit inhabilitas quædam, ad exequendos ordines, & officia Ecclesiastica, laicus, qui tales ordines non habet, suspendi non potest. priuatio enim præsupponit habitum. Formam sententiæ ferendæ suspensionis vide in c. is cui, eodem in 6. & in c. 1. eodem titul. in 6. Effectus, quòd suspensus à sui ordinis & officij executione arceatur, quæ si exerceat: ratione huius censuræ non habita contrahat irregularitatem. Alios effectus vide notatos, per Abb. post Innocen.

in c.ſicut,extr.de cohab. mulier. c. fin. de cle. excom.min.c.miror,17.q.4.&,c.2.extr.de tranſla.

In quibus ſententia Excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti,conueniunt, & diſcrepant?

Notant Doctores in c.1.de ſenten. excom.interdictum,excommunicationem, & ſuſpenſionem in quibuſdã æquiparari.Primò:in cauſa efficiente conueniunt.Quia quælibet ſententia à competente iudice proferenda,& à ſuperioribus ſeruanda eſt,c.cùm ab eccleſiarum,extr. de off. ordinar. Et vel iure, vel per iudicem inducitur. Vnde & excommunicatio,& interdictum & ſuſpenſio, dicuntur iuris & iudicis.Secundò cõueniunt in forma.Quia tam ſentẽtia excõmunicationis, quàm ſuſpenſionis,& interdicti,in ſcriptis cum expreſſione iuſtæ cauſæ,proferenda: & exemplum huiuſmodi ſcripturæ excommunicato ad eius requiſitionem ſuper qua publicum inſtrumẽtum, vel literæ teſtimoniales,ſigillo authentico conſignatæ confici debent, tradendum intra vnum menſem,c.1.eod.tit.in 6.Item quamlibet ſententiam præcedere debet monitio,c. reprehenſibilis, extr.de appellat. nec debet ſuperior de ipſis aliquid diſponere, partibus non vocatis, c. Romana,§.fin.eod.titu.in 6. Tertiò conueniunt in effectu.Iſta enim tria comprænduntur appellatione cenſuræ eccleſiaſticæ, & arcent adminiſtratione diuinorum officiorum: adeò, vt conſtitutus in his immiſcendo ſe diuinis,contrahat irregularitatem,à qua non, niſi à Pontifice,abſolui poſsit,c.eo.in 6.in fin.c.1.cui eo.in 6.&per Innoc.

& Dd. in c. fin. extr. de excess. prælat. & in c. Abbates, de priuileg. in 6. Nec durante sententia excommunicatus, suspensus, vel interdictus eligere, eligi, vel testificari potest, c. cùm dilectus, ext. de consuetud. c. Apostolicæ, extr. de exceptio. &, c. veniens, ext. de testib. Et in his omnibus sententia etiam iniusta ligat, potestq; ad cautelam relaxari, c. sententia, 11. q. 3. Indifferenter autem absolutio fieri debet, præcedente præstiti iurisiurandi religione, de parendo mandatis Ecclesiæ, c. venerabili, extr. eod. In alijs tamen effectibus differunt. Quia per interdictum non ita tollitur communio hominum, sicuti per excommunicationem. Ideò primò differũt in participatione. Quia cum suspenso & interdicto participari potest, nisi participatio specialiter esset interdicta, non aũt cũ excommunicato, c. sacris, extr. de his quæ vi metusq; causa, &c. Secundò, propriè loquendo homo excommunicatur, vel suspenditur: sed non interdicitur, nisi impropriè, c. cùm dilectus, extr. de relig. dom, &, c. pastoralis, ext. de appellat. Cadit enim interdictum in rem inanimatam, vt in locum, c. si ciuitas, eod. in 6. Vbi interdicta ciuitate, suburbana & continentia ædificia dicuntur interdicta ecclesia, capella contigua, & contiguũ cœmeterium dicitur interdictum, ita Cardinal. in c. fin. de cler. excom. & in Clemen. 1. de sentent. excommu. Loca igitur propriè interdicuntur, licet in pœnam personarum delinquentium, c. nõ est, extr. de sponsa. Ideò debet per id potiùs fieri districtio in personas, quàm in facultatibus, c. illud, in fine 16. quæst. 6. Tertiò. Quia effectus excommunicationis latæ non possunt suspendi, sed

reliquorum possunt, vt in c. adhæc, quoniam, extr. de appellat. Quartò, differunt in casu, c. quia periculosum, eod. titu. in 6. Quintò, differunt in c. præsenti, eod. in 6. Vbi dicitur: Relaxatio ad cautelam non habet locum, in generali interdicto. Sextò, differunt in c. Romana, ad finem eodem tit. in 6. vbi Dd. ex text. notant differentiam inter excommunicationem & interdictum. Quia sententia interdicti, per quam punitur quis pro delicto alterius, & iustè, benè potest fieri contra vniuersitatem, & iustè, vt in c. non est, extr. de spons. vbi legitur, per censuram ecclesiasticam patrem compelli restituere filio vxorem eius, quam iniustè detinet. Secus in sententia excommunicationis contra vniuersitatem, & iustè dicendo: excommunico omnes de vniuersitate, qui fuerunt mandato meo rebelles: ita probatur, ex d. text. secundùm Ioan. Andr. Imò si constaret, q. tota vniuersitas, vel collegium deliquisset, excommunicari possent singuli de vniuersitate vel collegio, & locus interdici, vt voluit Hostiens. in sum. tit. de contum. §. fin. Plures differentias vide in c. statutum, eod. in 6. &, c. fin. §. 1. & §. in festiuitatibus, extr. eod.

Quid est Depositio? Quomodò differat à Degradatione? Degradatio quotuplex? Quæ causa Efficiens Subiectum, Forma & Effectus?

Depositio est à dignitatibus & honoribus motio, c. nouimus, ext. de verb. sig. Et differt depositio à degradatione, quæ non est honorum, vel dignis

gnitatum, sed priuilegiorum & ordinum sacrorum priuatio, ob crimen atrox, contra clericum constitutum, in sacris factum, probatur in c. 2. de pœn. in 6. d. c. nouimus, extr. de verbor. signif. c. cùm non ab homine, extr. de iudic. &, c. qualiter, extr. de accusat. Degradatio duplex est, scilicet: verbalis & actualis. Verbalis degradatio aliquando est, vt terminus pœnæ: aliquando, vt præambula ad degradationem actualem. Est autem degradatio verbalis, vt terminus pœnæ, quando iudex ipse ecclesiasticus non vult progredi ad actualem degradationem. Sed hac verbali contentus est Bal. in l. iubemus, C. de Episco. & cleric. Et hæc degradatio sumitur pro ipsa depositione, seu priuatione, c. tuæ, extr. de pœn. Forma eius habetur in c. accedens, 50. distinct. nec fit, nisi in casibus lege expressis: nec requirit consensum aliorum Prælatorum, Abb. in c. non potest, extr. de sentent. & re iudic. Degradatio verò verbalis, quæ est præparatoria ad pœnam fit: quando iudex vult procedere ad degradationem actualem, qua quidem actuali facta, relinquit degradatum iudici seculari puniendum. Huius causa efficiens est consensus prælatorum. subiectum, clericus in sacris vel dignitate constitutus, aliàs enim degradari non posset. Obiectum est. crimen atrox, ob cuius patrationem fit degradatio. Forma habetur in c. accedens, 50. distinct. &, c. 2. de pœnitent. in 6. Effectus est, priuatio omnium priuilegiorum & ordinum. Hæc enim degradatio destituit degradatum omni officio & priuilegio cle-

clericali, eximitq; clericum à iurisdictione, & potestate iudicis ecclesiastici; non autem superior illa verbalis, Panorm. in c. ad audientiam, num. 2. de crim. falsi, c. degradatio, extr. de pœnis, & Bal. in l. officiales, C. de Episc. & cler. & in hac adhibetur consensus prælatorum potissimùm si crimen hæresis commissum dicatur, c. quoniam, de hær. in 6. & in alijs criminibus consensus Episcoporum, d. c. degradatio. Est autem hic annotandum, quòd quando canones statuunt, clericum esse degradandum, & in monasterium detrudendum, intelligunt de verbali degradatione, quæ fit in pœnam, & depositio dicitur, Abb. in c. at si clerici col. 3. extr. de iud. Degradatio realis est, quæ reipsa fit, ab Episcopo in præsentia Prælatorum in clericum præsentem absq; alia monitione. Sicuti in hæretico, pertinace, negatiuo & relapso fit, c. ad abolendam, &, c. excommunicamus, extr. de hæret. Et hæc dicitur quædam executio verbalis degradationis. Nam primò clericus degradatur verbis, deinde facto. A quibus autem fiat hæc degradatio, ex quibus causis Episcopus vel clericus subsit degradandus, & ita, quæ sit causa efficiens, subiectum, obiectum forma & effectus huius degradationis? vide latè per Ioan. Bertach. in tract. suo de Episcopo in fol. 7. & Dd. in c. degradatio, §. actualis de pœn. in 6. c. 2. de pœ. in 6. & Albertinum quæst. 14. num. 8. in fine. Et de degradatione à dignitate Doctoratus, militiæ, & clericali, vide latiùs Bart. in l. 2. §. exercitum, ff. de infamibus Dd. in l. iudices, de dignita. lib. 12. & Abbat. & Felin. in c. cùm sit, ext. de simonia.

Quid

Quid est Cessatio à diuinis? Quotuplex? Quæ causa Efficiens, Obiectum, Forma, & Effectus?

Cessatio est, intermissio diuini officij, ratione iniuriæ ab alio illatæ, vel ex consuetudine vel aliqua legitima causa, de iure facta, vide in c. si canonici, de offic. ordina. in 6. Causa efficiens est, priuilegium, consuetudo, vel ius. Cessant enim clerici à diuinis, si de consuetudine vel alio iure, hoc eis permittatur, d.c. si canonici, &, c. 1. de cens. in 6. Obiectum est, offensa vel delictum alicuius, d.c. 1. de cens. Forma ex requisitis colligitur: 1. enim requiritur, quòd qui cessant, habeant de consuetudine, vel alio iure, vt cessare possint. 2. Quòd vocentur absentes ad tractandum de cessatione. 3. Quòd ipso facto tractent. 4. Quòd de cessando diligenter deliberent. 5. Quòd sit manifesta offensa, propter quam cessant. 6. Quòd sit rationabilis. 7. Quòd ante cessationem instrumẽto publico, vel patentibus literis, authentico sigillo munitis causam cessationis exprimant. 8. Quòd illud instrumentum, vel literas tradant ei, contra quem approbatur cessatio. 9. Quòd præcedat requisitio, pro emendatione offensæ & iniuriæ illatæ, ob quam cessatio inducitur. Effectus est, perceptio fructuum, perinde ac si præstet officium debitum, donec satisfiat pro offensa. Quòd si autem forma in cessatione iam tradita seruata non fuerit, priuãtur clerici cessantes à diuinis, fructibus præbendarum suarum, & si perceperint ad restitutionem perceptorum reditu ũ, & satisfactionem competentem pro iniuria illa-

ta

ta illi, in cuius odium cessatio inducta fuit, tenen tur, Dd. in d. c. si canonici, &, c. quamuis, de officio Ordinarij in 6. Est autem cessatio, quo ad effectū, duplex, generalis scilicet, & specialis. Generalis vim habet interdicti, vt notatur in Clem. 1. eod. tit. Non autē specialis cessatio, illa enim est quid facti, cùm nihil aliud sit, quàm suspēdere organa ministrorum, ne ibi præstent debitum officium; Sentētia verò interdicti quid iuris est. Vnde subijcitur ille locus interdicto, ita vt in loco interdicto se immiscens diuinis, contrahat irregularitatem, c. is cui, eod. tit. lib. 6.

Quid est Irregularitas? vnde dicta? quotuplex? quæ causa Efficiens? quod Obiectum? quæ Forma, & Effectus?

Irregularitas est nota quędam seu canonicum impedimentum, ex facto seu defectu proueniēs, quo quis tam ad ecclesiasticos ordines promoueri, quàm promotus in ijsdem ministrare prohibetur, ita definit Guil. Dura. in Spec. tit. de dispēs. §. iuxta propositionis dicta irregularitas ab In quod est sine, & Regula quasi contra regulam Ecclesiæ, &c. Et dicitur tripliciter, scilicet: Primò, pro defectibus, qui sunt in homine sine peccato: vt quia quis est bigamus, vel maritus viduæ, vel illegitimus & huiusmodi, &c. c. nisi cùm pridē, §. personæ, extr. de renunciat. c. non confidat, distinct. 50. & per tot. distinct. 54. Secundo modo dicitur irregularitas personæ, vbi generaliter omnis homo prohibetur ordinari, sine dispensatione Pontificis, vel etiam debitum officium in Ordine iam susceptō præstare, siue patiatur defectū

sine

ſine peccato, ſiue graue peccatum commiſerit & qui hi ſint notatur tit. de temporib. ord. Tertiò dicuntur irregulares omnes illi, qui non poſſunt remanere, in ſuſceptis Ordinibus: nec ad maiores promoueri, etiam poſt actam pœnitentiam, ſine diſpẽſatione Pontificis, & aliorum Prẽlatorum. & notatur de his etiam, d. tit. de temp. ord. vt tradit Innocentius, in c. niſi cùm pridem, ex de renũtiat. Huius irregularitatis cauſa efficiẽs eſt, ius diuinũ & ius canonicũ, para. ca. 28. &, c. hinc etenim, diſt. 49. Obiectũ eſt crimẽ cõmiſſum, vel alius defectus. Forma contrahendæ irregularitatis certa præſcribi nequit, cùm nõ incurratur niſi expreſſum iure ſit, c. is qui, eod. tit. in 6. Qui autem caſus in ducendæ irregularitis iure exprimatur? vide apud Alphonſum in ſuo Theſauro Chriſt. relig. qui cap. 38. De irregularitate, pro explicatione huius materiæ 51. Regulas ponit. Effectus eſt, quòd irregularis ex canonica inſtitutione, ab executione diuini officij repellatur: nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, nec ad maiores aſcendere poſſit, c. ſi quis Epiſcopus, 11. q. 3.

Quid Bannum? Vnde dictum? Quæ cauſa Efficiens, Subiectum, Forma & Effectus?

Solent banniti comparari ijs, qui cenſurã eccleſiaſticam patiuntur. Hi apud Hebræos apoſynagogi dicebãtur, quaſi ſynagoga exacti, & extorres: vt refert Budæus, l. 2. ff. de pœnis, & dicebantur ſacri homines, quaſi execrandi, & deteſtandi. Dicitur autem bannum imperij iudicialis cenſura, qua violatoribus pacis publicæ aqua & igni interdicitur: ita, vt à nemine in clien-

clientelam, fidem, aut amicitiam, recipi, ab omnibus verò impunè tam in persona quàm rebus offendi possint, Cuiacius in præfatione commentarij, De feudis, scribit, bannum fuisse generale nomen, quo significabatur edictum, siue citatio: Heribannum speciale nomen, nempe citatio ad delectum. Nam Vasalli solent citari, vt ad comitatum equis & armis instructi venirent, vtroque nomine significari, etiam pœnam, edicto non obtemperantis. Causa efficiens banni est summi Principis voluntas, & præceptum, soli enim Cæsari, vel eo absente regi Romanorum, & Cameræ Imperiali ius banni imperialis competit, facit ad hoc tex. in l. 1. §. hi quibus, ff. de leg. 3. Non autē alijs inferioribus principibus & statibus Imperij. Et licet nōnulli status Imperij ius banni quo ad suos subditos sibi quoq; vsurpent, tamen talia banna vltra eorum territoria non extenduntur, & ideò non banna proscriptiones, deportationes, & relegationes propriè apellanda sunt, Nellus in tract. de bannitis, num. 1. 2. part. At bannum Imperij quod à Cæsare, vel suæ maiestatis nomine à Camera Imperiali irrogatur vniuersale est, propter vniuersalem Cæsaris iurisdictionem, quam in omnes omnium ordinum personas, cuiuscunq; dignitatis & excellentiæ ex æquo habet: ita q; ab Imperatore bannitus, vbiq; terrarum in Imperio pro bannito reputetur, & ab omnibus tanquam communis omnium hostis impunè offendi possit, l. deprecatio, ff. ad l. Rho. de iact. Subiectum: Non tantùm singulares personæ, sed etiam tota vniuersitas, vel communitas, aut ciuitas ob nimiam contumaciam, in ciui-

libus,

libus, vel delictum contra pacem publicam commissum cum omnibus rebus suis in bannum Imperiale declarari, & denunciari possunt. Nam & vniuersitas dolum committere, & proinde delinquere potest, l. metum, §. animaduertendum, ff. quod vi aut clam, & l. sed &, ex dolo, §. 1. ff. de dolo. Forma inducendi banni est, vt is, qui delictum turbatæ pacis publicæ, vel solam contumaciam, non comparendo, vel iudicis præcepto non obtemperando, commisit à iudice Cameræ Imperialis per sententiam cum expressione causæ declaretur in bannum. Atqui publicata hac sententia declaratoria banni, in publico Cameræ consistorio, statim dominus Iudex & Assessores, ex iudicio surgentes in publicum prodeant, vbi prothonotarius iudicij in corona Iudicis & Assessorum atque multa hominum frequentia, ex breuiculo sub dio recitet denunciationem banni. Cuius denunciationis publicatione facta sub dio prothonotarius schedulam denunciationis disrumpat, & in terram abijciat: mox edicta Cæsarea banni in loco denunciationis, nec non domicilij publicè ad valuas ecclesiarum, vel domus senatoriæ affigantur: ad hoc, vt omnibus bannum innotescat, & banniti persona, tanquam communis omnium hostis, euitari & offendi queat. Effectus est: 1. Quòd, quemadmodum excommunicati membra Ecclesiæ esse desinunt, c. decernimus, eod. tit. ita banniti membra Imperij non sunt: sed à fide & tuitione sacri Imperij excluduntur. 2. Sicuti, cum excommunicatis nulla debet esse conuersatio, nullum hospitalitatis & beneuolentiæ officium, c. per discursum, 11.

quæst.3.Ita etiam banni, omnia humanitatis iura, officiorum viciſsitudines, & commercia amittunt, ſuntque extra protectionem, clientelam,& fidem Imperij, & pro hoſtibus transfugis & rebellibus habẽtur: quos nemo vrbe, domo, hoſpitio,menſaúe recipere poteſt, quibus tellus pontusqúe negatur facit, l. 2. ff. de fur. 3.Cùm extra protectionem ſacri Imperij banniti ſint, in diſcrimine vitæ & fortunarum ſuarum conſtituuntur: ita,vt & in perſona,& in rebus impunè offendi & moleſtari poſsint. 4.Quòd denuntiati & declarati in bannum Imperij, ciues Romani eſſe deſinant, impiorumqúe & ſceleratorum numero habeantur: quibus ius non redditur,neque honos vllus communicatur: quorum nec obligationes,contractus,pacta,iuramenta,vel actiones ipſo iure ſubſiſtunt: æquiparantur enim deportatis, quibus actus iuris ciuilis interdicti ſunt, cum eo iure pro mortuis habeantur, vt tradit Zaſius in Tractat.de Iudæ.quæſt.3. & in apologia contra Eckium,& Nellus in Tractat.de bannitis: & colligitur ex ipſis conſtitutionibus Diuorum Impp.Maximiliani I.Caroli V.&Ordinat.Cameræ Imperialis. Denique, ſicut excommunicatus,expiato crimine, Eccleſiæ reſtituitur, c.canonica, 11. quæſt. 3. ita quoque bannitus Cæſari,Imperio, & parti læſæ reconciliatus omnia iura amiſſa recuperat,Tiraq.de retractat.§.1.glo. 9.num.271. & facit l. 1. & l.fin. C. de ſentent.paſſis.

Quæ Adiacentia?

Infamia,priuatio prouentuum beneficij, denun-

nunciatio, & iurisdictio. nam sine his iudicialis excommunicatio fieri non potest, c. conquesti, c. cùm non, &, c. à nobis, extr. eod.

Quæ Pugnantia?

Absolutio, Dispensatio, & Indulgentia, &c.

Quid Absolutio? Quæ causa Efficiens, Obiectum, Forma & Effectus?

Vnus modus, quo tollitur excommunicatio, est absolutio: quæ nihil aliud est, quàm censuræ ecclesiasticæ per eos, qui absoluendi ius habent facta relaxatio. habent autem ius absoluendi maiori excommunicatione canonica excommunicatum, Episcopus, vel Superior, exceptis certis casibus: quibus Pontifex facultatem absoluendi sibi reseruauit, vt in c. non dubium, c. porrò, c. decæterò, c. ea noscitur, c. tua nos, extr. eod. c. si quis suadente, 17. quæst. 4. c. conquesti, extr. eod. Clem. 1. de pœnit. Clemen. grauis, eod. tit. Et alia, quæ sparsim, per iuris Pontificij libros inueniri licet. causa igitur efficiens absolutionis est præceptum diuinum & voluntas Prælati, qui censuræ ecclesiasticæ indicendæ ius habet. Sententia enim ab homine prolata, ab eodem etiam aufferri potest, à quo fuerit prolata, Hostiens. in Sum. versic. si verò sit lata, eodem. Obiectum est, censura ecclesiastica, à qua liberatio fieri debet. Forma absolutionis est, si maior excommunicatio siue à lege siue ab homine inflicta sit: vt cùm delictum per confessionem vel legi-

timas probationes sit manifestum, excommunicatus antequam absoluatur, iuramento promittat, se ecclesiasticis mandatis pariturum, & de omni damno illato, omnique offensa plenè satisfacturum: vel vbi tunc de damni summa non constaret, vel vbi soluendo non esset, quòd satisfacere velit, saltem cautionem cum iuramento præstet, Hostiens. §. secundum, eod. tit. &, c. ex parte, vbi glos. vers. contumacia, extr. de verb. significat. Quibus peractis, ille, qui absoluendi ius habet, vel cui ex delegatione commissum est, excommunicatum coram se prostratum, seruata forma absoluet. Quam formam & solennitatem reconciliationis excommunicatorum, vide in c. cùm aliquis, 11. quæst. 3. & notat Hostiens. in d. §. secundum. Si verò excommunicatio fuerit minor, etiam sacerdos, cognita excommunicationis causa, nullis alijs solennibus obseruatis, absoluere potest, Hostiens. in §. qualiter absolutio eod. titu. Fit quandoque absolutio ad cautelam iuxta Innocentianarum constitutionum tenorem, c. solet, &, c. venerabilibus, eod. in 6. Cùm quis scilicet sententiam excommunicationis asserit esse nullam, vel iudicem esse incompetentem, vel excommunicatum, vel intrusum, aut à iurisdictione suspensum, alijsque modis, c. 2. eod. in 6. & glos. in c. præsente, eodem in 6. Effectus absolutionis à minore excommunicatione est, restitutio, ecclesiasticorum sacramentorum, à quorum participatione, excommunicatus fuerat, priuatus. Effectus absolutionis à maiore excommunicatione est, restitutio communionis, aliarumque rerum, à quibus, per excommunicationis ma-

maioris ſententiam, excludebatur. Effectus abſolutionis ad cautelam eſt, quòd ita abſolutus, licet pendente probationis articulo, extra iudicium in officijs, poſtulationibus, electionibus, alijsq; legitimis & canonicis actibus, admittatur: tamen in cæteris, quæ actor in iudicijs attentauerit, euitetur, c. 2. de ſentent. excom. ſuſpenſ. & interdicti in 6.

Quid eſt diſpenſatio? Vnde originem traxit? Quæ eius ſpecies? Quæ cauſa Efficiens, Materia, Forma & Effectus?

Diſpenſatio eſt, rigoris mitigatio, vel pœnæ inducendæ moderatio per eum, qui ius diſpẽſandi habet, ſuadente vtilitate publica, vel alia rationabili æquitate facta, Bal. in addit. ad Specul. tit. de diſpenſat. Et colligitur ex c. requiſitis, §. niſi rigor, 1. quæſt. 7. &, c. ſeq. Diſpenſatio originem traxit ex iure diuino, vt multis ex veteri Teſtamento adductis exemplis, docet Speculat. §. originem, titu. de diſpen. lib. 1. par. 1. Eſt autem duplex, iudicialis & extraiudicialis. Iudicialis eſt, cùm agitur in forma iudicij, & quis de aliquo crimine conuictus, in quo ſecundùm formam iuris diſpenſari poſsit, à pœna, per ſententiam liberatur. Extraiudicialis dicitur: quæ extra iuriſdictionem contentioſam, vel diſsimulando, vel monendo, vel remittendo, vel tolerando fit: nec ſententiæ prolationem exigit, c. vbi iſta, 74. diſt. c. ſi homo, 27. quæſt. 1. c. ad reprimendam, extr. de off. ord. c. cùm iamdudum, extr. de præbend. Cauſa efficiens, authoritas ſummi vel inferioris præla-

timas probationes sit manifestum, excommunicatus antequam absoluatur, iuramento promittat, se ecclesiasticis mandatis pariturum, & de omni damno illato, omnique offensa plenè satisfacturum: vel vbi tunc de damni summa non constaret, vel vbi soluendo non esset, quòd satisfacere velit, saltem cautionem cum iuramento præstet, Hostiens. §. secundum, eod. tit. &, c. ex parte, vbi glos. vers. contumacia, extr. de verb. significat. Quibus peractis, ille, qui absoluendi ius habet, vel cui ex delegatione commissum est, excommunicatum coram se prostratum, seruata forma absoluet. Quam formam & solennitatem reconciliationis excommunicatorum, vide in c. cùm aliquis, 11. quæst. 3. & notat Hostiens. in d. §. secundum. Si verò excommunicatio fuerit minor, etiam sacerdos, cognita excommunicationis causa, nullis alijs solennibus obseruatis, absoluere potest, Hostiens. in §. qualiter absolutio eod. titu. Fit quandoque absolutio ad cautelam iuxta Innocentianarum constitutionum tenorem, c. solet, &, c. venerabilibus, eod. in 6. Cùm quis scilicet sententiam excommunicationis asserit esse nullam, vel iudicem esse incompetentem, vel excommunicatum, vel intrusum, aut à iurisdictione suspensum, alijsque modis, c. 2. eod. in 6. & gloss. in c. præsente, eodem in 6. Effectus absolutionis à minore excommunicatione est, restitutio, ecclesiasticorum sacramentorum, à quorum participatione, excommunicatus fuerat, priuatus. Effectus absolutionis à maiore excommunicatione est, restitutio communionis, aliarumque rerum, à quibus, per excommunicationis ma-

maioris sententiam, excludebatur. Effectus absolutionis ad cautelam est, quòd ita absolutus, licet pendente probationis articulo, extra iudicium in officijs, postulationibus, electionibus, alijsq; legitimis & canonicis actibus, admittatur: tamen in cæteris, quæ actor in iudicijs attentauerit, euitetur, c. 2. de sentent. excom. suspens. & interdicti in 6.

Quid est dispensatio? Vnde originem traxit? Quæ eius species? Quæ causa Efficiens, Materia, Forma & Effectus?

Dispensatio est, rigoris mitigatio, vel pœnæ inducendæ moderatio per eum, qui ius dispẽsandi habet, suadente vtilitate publica, vel alia rationabili æquitate facta, Bal. in addit. ad Specul. tit. de dispensat. Et colligitur ex c. requisitis, §. nisi rigor, 1. quæst. 7. &, c. seq. Dispensatio originem traxit ex iure diuino, vt multis ex veteri Testamento adductis exemplis, docet Speculat. §. originem, titu. de dispen. lib. 1. par. 1. Est autem duplex, iudicialis & extraiudicialis. Iudicialis est, cùm agitur in forma iudicij, & quis de aliquo crimine conuictus, in quo secundùm formam iuris dispensari possit, à pœna, per sententiam liberatur. Extraiudicialis dicitur: quæ extra iurisdictionem contentiosam, vel dissimulando, vel monendo, vel remittendo, vel tolerando fit: nec sententiæ prolationem exigit, c. vbi ista, 74. dist. c. si homo, 27. quæst. 1. c. ad reprimendam, extr. de off. ord. c. cùm iamdudum, extr. de præbend. Causa efficiens, authoritas summi vel inferioris prælati.

ti. dispensat enim summus Pontifex, c. domino sancto 50. dist. Legatus Apostolicæ sedis in prouincia sibi decreta, c. quod translationem, ext. de officio Legat. Episcopus in sua diœcesi, c. significasti, ext. de offic. archi. Quatuor principales Patriarchæ, c. mos antiquus, dist. 55. &, c. antiqua ext. de priui. Abbates etiam cum monachis de varijs rebus dispensant, c. non mediocriter, distinct. 5. de consecrat. Materia dispensationis, sunt variæ res. De quibus autem rebus Episcopi alijque Prælati dispensare possint? Vide Panormit. & Ioannem Andr. in c. dilectus, extr. de tempo. Ordinan. & Alphons. cap. 17. De dispensat. Episcop. in suo Specul. An autem summus Pontifex in omni casu dispensare possit? Et sunt qui affirmant: ita vt etiam contra Apostolum, & de iure supra ius dispensare ipsum posse tradant, cùm legibus non adstringatur, & teneat locum Diui Petri, sitque Vicarius Christi, par autem in parem non habeat imperium, c. innotuit, ext. de elect. Et hoc videtur asserere c. post translationem, extr. de renunciat. Sed hoc impium est dicere, synceriorique religioni & omni iuri aduersatur. Papa enim, his casibus, quibus per dispensationem peccatum inducitur dispensare canonibus prohibetur. Quare contra Euangelium Papa non dispensat, c. sunt quidam, 26. distinct. &, c. sicut distinct. 14. Nec contra decem præcepta decalogi, d. c. sicut. Nec contra salutiferas Apostolorum traditiones, & articulos fidei, c. 1. distinct. 40. & c. aliorum, 9. quæst. 3. &, c. super eo extr. de bigamis. Et sic nec contra ius diuinum vel ius naturale, quod immutabile est, & dicitur in canonibus,

bus, id, quod in lege vel Euangelio continetur, c. humanum, distinct. 1. &, c. fin. distin. 9. Ob id nec in gradibus consanguinitatis lege diuina prohibitis, c. literas, extr. de restitut. spoliat. &, c. Pictatium, 30. quæst. 3. In alijs gradibus dispensare potest, c. fin. extr. de transact. &, c. quia circa, extr. de consang. & affin. Et denique in omnibus his, quę de sui natura mala sunt, & commissa peccata inducunt: putà, vt quis sine peccato adulterium, furtum, & quid simile committere possit, dispensare prohibetur, c. etsi Christus, §. quædam extr. de iureiur. Plures casus, quibus Pontifex dispensandi facultatem non habet, vide apud Speculator. §. nunc autem, titu. de dispens. lib. 1. Forma dispensationis est, vt Prælatus, qui ius dispẽsandi habet, diligenter perpensis omnib. circumstantijs, & sic cum causæ certæ cognitione, dispenset de rigore iuris in casibus iure permissis, iusta causa ex tempore, persona, pietate, necessitate, vtilitate, vel euentu rei desumpta æquitatem inducit, qua Prælatus ad mitigandum iuris rigorem moueri debet, c. & si illa, 1. quæst. 7. c. cùm nostris, extr. de concessio. præbend. c. sicut, distinct. 14. c. scias, 7. quæst. 1. &, c. requisitis, extr. de præbend. Rigor est stricti iuris seueritas. Aequitas est flexio rigoris ad humaniorem partem. Ius est constitutio rationabilis, Bald. tit. de dispensationibus, in addit. ad Speculato. Forma autem dispensationis per sententiam in iudicio concessæ, habetur in c. fraternitatis, distinct. 34. c. alligant, 16. quæst. vlt. c. non satis, distinct. 86. c. ex diligenti, extr. de simo. &, c. sicut, extr. de elect. Effectus sunt,

1. Vt ſuper crimine publico, ſuper quo publicè diſpenſatum eſt, non poſsit quis vlteriùs accuſari, c. ex tua, extr. de filijs presby. &, c. de his, extr. de accuſat. Secus, ſi in occulto diſpenſatum fuerit, c. admonere, 33. q. 2. 2. Abolitio infamiæ, infamia enim, ſecundùm Canones, tripliciter aboletur. 1. per in integrum reſtitutionem. 2. per diſpenſationem; quando ſcilicet is, qui ius diſpenſandi habet, pœnam crimini debitam remittit. 3. per pœnitentiam, vide de hoc, c. in ſumma, diſt. 50. Tertius effectus eſt: vt ea obtenta, eccleſiaſtica ſacramenta & beneficia dignè & licitè recipi, retineri & exequi poſsint. Quæ omnia aliàs in mortali peccato conſtituto, qui quantũ ad ſe ſuſpenſus videtur, prohibentur, c. multi, diſt. 40. c. ſecuti, 2. q. 7. &, c. diuerſis, extr. de cler. coniuga.

Quid Indulgentia? cauſa Efficiens? Obiectum, Forma & Effectus?

Indulgentia eſt, remiſsio pœnę temporalis, quę pro peccatis debetur, ab eo, qui poteſtatem indulgendi habet, cõceſſa. Cauſa efficiens eſt, Deus ipſe: merito enim paſsionis Chriſti, omnis pœna, quæ debetur pro peccato in Baptiſmo remittitur, c. paruulo, diſt. 3. de conſecrat. & iuxta illud Apoſtoli: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quẽ effudit in nobis abundè. Et ad Titum, cap. 4. Qui autem poſſint concedere indulgentias? vide Alphonſum in ſuo ſpecul. cap. 28. de indulgentijs. Obiectũ eſt, peccatum, quod per indulgentiarum conceſsionem remittitur. Forma, ex requiſitis colligitur: quorum duo ex parte dantis, ſcilicet: poteſtas indulgen-

dulgentias cõcedendi,& causa rationabilis & honesta:duo ex parte recipientis vt debita deuotio & contritio desiderantur,Alex.de Ales.in 4. sent. dist.20. Effectus est,relaxatio pœnæ pro peccatis debitæ,quæ merito passionis Christi,ad augmentum gratiæ, & adeptionem æternæ fœlicitatis,nititur,Card.in Clem. 1.de priuile,&Felin.in suo sermone de indulg.plena.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Nunquam quis incurrit irregularitatem, nisi in casibus iure expressis,c. is qui, eod.in 6.

Dispensationes,cùm sint contra ius commune, restringendæ sunt, arg.c. pœnæ,dist.1.

Qui dignus est minore honore, non ob id dignus est maiore,c.scriptum est,extr.de elect.

Restitutus per indulgentiam Principis ad dignitatẽ, nõ est per hoc restitutus ad bona:nisi generaliter restitutus sit ad ordines,& honores,& cætera bona,C.si quẽ,2.q 3.

In beneficijs ampla interpretatio est facienda,c. cùm dilectus,ext.de donat.&,c.quia circa,extr.de priuileg.

Excommunicatus,vel suspensus,absolui non debet,nisi priùs iuramento præstito,c.quòd in dubijs,extr.eod.

Prælatus excommunicare non debet subditum,nisi cõ petenti monitione præmissa,& ex causa manifesta & rationabili,& contrafacienti imponitur pœna iuxta c.sacro approbante,extr.eod.

Semel excommunicatus debet vitari semper, vt excommunicatus. nisi legitimè probet,se fuisse absolutum,c. sicut nobis,ext.eod.

Excommunicatus est, qui in clericum etiam volentem manus iniecerit violentas: etiamsi hoc faciat in vindictam præcedentis iniuriæ, c. contingit, ext. eod.

Excommunicatur & qui mandat, & qui dolosè permittit clericum percuti, ex quo poterat prohibere, & non prohibuit, c. quantæ, ext. eod.

Excommunicatio simpliciter lata, intelligitur de maiori, c. si quem, extr. eod.

Excommunicatus, vel suspensus, absolui non debet: nisi priùs iuramento præstito, si tamen sine scandalo iuramentum præstari non possit, poterit fieri absolutio per manualē promissionem, c. super, ext. eod.

Non leuem culpam committit iudex infligendo pœnam insonti, nisi forsitan errauerit ex probabili causa, c. sacro approbante, extr. eod.

Clericus si scienter & sponte participat excommunicato in diuinis officijs, excommunicatus est maiori, & tantùm per Pontificem absoluendus, c. significauit, extrà eodem.

Excommunicatio requirit iurisdictionem, ideò generalis excommunicatio non ligat, nisi subditos proferentis. c. à nobis, extr. eod.

Qui clericum, dimisso clericali habitu propulsando iniuriam illatam occidit, impunis est, c. perpendimus, ext. eo.

Vim vi repellere licet, modò vindicta caueatur, d. c. perpendimus.

Clericus vt laicus incedens, tertiò monitus, non resipiscens, perdit priuilegium clericale, c. in audientia, &, c. contingit, ext. eod.

Ligatus pluribus excommunicationibus, licet ex eodē facto

facto obtinens absolutionem, expressa vna causa, vel vna excommunicatione, non habetur pro absoluto, quò ad aliã c. cùm pro causa, ext. eod.

Communicans excommunicato incurrit minorem excommunicationem, c. quod in dubijs ext. eod.

Excommunicatio non tollit obligationem obsequij familiaris, c. inter alia, ext. eo.

Cùm Pontifex absolutionem excommunicati delegat, mandat recipi cautionem de parendo mandatis Ecclesiæ, c. ad hæc, ext. eod.

Ante absolutionem communicandum non est excommunicato: licet iurauerit parere mandatis Ecclesiæ, vel composuerit cum offenso, c. cùm desideres, ext. eod.

Infamato de excommunicatione communicandum non est, nisi se purget, vel ad cautelam absoluatur, d, c, cũ desideres.

Sententia interdicti proferri debet in scriptis causæ interdicti addita, eiusque exemplum sentẽtiam passis si fuerit petitum, edi debet, c. 1 eod. in 6.

Si quis dicat, se iniustè excommunicatum, priùs est absoluendus an æquã sint admittendæ probationes, super iustitia excommunicationis: nisi excommunicator, vel is, ad cuius petitionem excommunicationis sententia lata fuerit, velit probare eam fuisse pro offensa notoria latam. Eo enim casu non debet absolui, nisi priùs satisfaciat, c. solet, eod. in 6.

Si pars dicat post appellationem, vel aliàs, nulliter fuisse excommunicationem factam, sunt super hoc partium admittendæ probationes, vt appareat, an quis indigeat absolutione, nec ne? c. venerabilibus, eod. in 6.

Neces-

Necessitas & simplicitas excusat à communione cum hæreticis, ad euitandam excommunicationem, c. si verè, extr. eod.

Communicans excommunicato in contemptum, incidit maiorem excommunicationem, c. fin. extr. de cler. excom. minist.

Participatio criminosa cum excommunicatis implicat excommunicatum eadem excommunicatione, c. in primis, 2. q. 1. Quòd si non fuerit criminosa ligat participantem minori excommunicatione, à qua ab ordinario absolui poterit, c. quoniam, 11. q. 3.

Defectu, qui obuenit mihi ex te, non potes vti contra me, ad tuum commodum, c. significauit, extr. eod.

Excommunicationis sententiam præcedere debere monitio ferriq; debet in scriptis, & legitimam causam obtinere, quæ etiamsi falsa sit, ligat tamen ea notatum, c. 1. eod. in 6.

Cui causa committitur, omnia, quæ causam contingũt, censentur permissa, c. 1. &, c. prætereà, extr. de offic. deleg. &, c. cùm voluntate, §. fin extr. eod.

Qui seipsum irato animo verberat, & grauibus flagris afficit, incidit in excommunicationem, c. contingit, extr. eo. &, c. si non licet, 23. q. 5.

Sententia quamuis iusta, non tenet, omissa citatione et ordine iudiciario, c. ecclesia, extr. de constitut.

Pro paruis & leuibus causis nullus communione priuatur, c. nullus, 11. q. 3.

Licet potiùs causa facti, quàm ipsum factũ, consideretur: neq; tamen in facto, neq; in modo debet esse peccatũ, c. Pisanus, ext. de restit. spoliat. &, c. occidit. 23. q. fin.

Is li-

Is ligandi atq; soluendi potestate se priuat. Qui hanc pro suis voluptatibus, & non subditorum moribus exercet, c. ipse ligandi, 11. quæst. 3.

Iudicare dignè de subditis nequeunt, qui in subditorũ causis suum vel odium vel gratiam sequuntur, c. iudicare, 11. q 3.

Ex quo Deus, quid prohibet, non debet quis magis obedire Superiori suo, quàm Deo, c. Iulianus, c. si dominus, & c. qui resistit, 11. q 3. Quinimò, nec Papæ est obtemperandum, quando ex eius mandato secuturum est scandalum, vel peccatum, Innocent. in c. inquisitioni, extr eod. Papæ enim non habet authoritatem peccandi: ex consequenti igitur, eius authoritas non excusat, c. 1. dist. 40.

Sicut in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus præferri debet, c. quæ contra, dist. 8.

Sortis Iesu Paderb.

FINIS LIBRI QVINTI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
4833
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN